INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

½ fode ans

Versaliis. — Ex typis Beau junioris, via de l'Orangerie, 36.

TRACTATUS

DE PRINCIPIIS

JURIS CANONICI

AUCTORE

D. BOUIX,

THEOLOGIÆ ET JURIS UTRIUSQUE DOCTORE.

EDITIO SECUNDA

AB AUCTORE RECOGNITA.

APUD PERISSE FRATRES, CATHOLICOS BIBLIOPOLAS

PARISIIS

IN NOVA DOMO

REGIS RUFFET ET SOC. SUCC.

IN VIA DICTA SI SULPITII, 38

LUGDUNI

IN VETERI DOMO

VIA DICTA MERCATORIA, 49

ET VIA CENTRALI, 34

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

MAR 22 1937

9428

FACULTAS IMPRIMENDI PRIMÆ EDITIONI CONCESSA.

---

7 *maii* 1852. — IMPRIMATUR. — *F. R. Dominicus Buttaoni, ordinis Prædicatorum, sacri palatii Apostolici magister.*

8 *maii* 1852. — IMPRIMATUR. — *F. R. Ligi-Bussi; ordinis Minorum conventualium, Archiepiscopus Iconiensis, Vicesgerens.*

FACULTAS IMPRIMENDI MUTATIONES ADDITIONESVE,

QUÆ SECUNDÆ EDITIONI ACCESSERUNT.

M. l'abbé D. Bouix, voulant faire réimprimer dans notre diocèse son Traité *de Principiis juris canonici,* dont la première édition porte l'*imprimatur* de la censure de Rome, et nous ayant demandé notre autorisation par rapport aux changements introduits dans la nouvelle édition, nous avons fait examiner ces changements; et, sur le rapport qui nous en a été présenté, nous avons accordé l'autorisation demandée.

† PIERRE, *Évêque de Versailles.*

Dilecto filio presbytero Dominico Bouix

PIUS PP. IX.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteræ tuæ, sensibus erga Nos et hanc apostolicam Sedem præclaræ devotionis et observantiæ undequaque refertæ, propensionem erga te Nostram non mediocriter augent; quam studium sacrarum disciplinarum, canonum præsertim, animo tuo alte defixum Nobisque perspectum, jam sibi conciliabat. De quo sane studio certum præbet ecclesiasticis viris indicium opus tuum, cui titulus : *Du Concile provincial, ou Traité des questions de théologie et de droit canon, qui concernent les Conciles provinciaux*, ad Nos dono missum humanissimum in modum. Nos de ingenio ac sedulitate tibi plurimum gratulamur, quibus gravissimum ejusmodi ecclesiasticæ disciplinæ argumentum expendis, unaque scite demonstras quibus revera legibus eorumdem conciliorum decreta subjiciantur. Pignus interim Nostræ in te caritatis sit apostolica Benedictio, quam omnis auspicem gratiæ cœlestis, tibi ipsi, dilecte fili, intimo paterni cordis affectu amanter impertimur.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die 20 octobris anni 1851, pontificatus Nostri anno VI.

PIUS PP. IX.

PROOEMIUM.

In votis mihi erat quamplurimum, secundam prodire hujusce tractatus editionem; ea scilicet potissimum de causa, quam in prioris editionis proœmio sic exponebam : « Non te, lector benevole, proloquendo » detinerem, nisi quædam præter exspectationem co- » geret necessitas. Dum scilicet Parisiis excuderetur » tractatus hic, ego vero Romæ degerem, menda typo- » graphica non potui ipse corrigere; nec de commit- » tenda alteri hac cura, ut par erat, satis provisum » est. » Irrepserant autem istius modi menda, non pauca et levia, sed frequentissima et quæ passim textum truncarent sensumque perverterent. Qui tamen adversus casus, non cæteris meis tractatibus, sed huic *soli* accidit. Quapropter scriptores, qui meam doctrinam ad crisim vocare in posterum volent, enixe rogo, ut non priorem jam, sed posteriorem hanc editionem, cui recognoscendæ sedulam navavi operam, allegare faveant. Eo vel magis quod, tum gravissimæ quæstioni de antiquato per concordatum anni 1801, veteri gallicano jure, tum præcipue *quartæ parti*, ubi de *jure*

Ecclesiæ constitutivo disseritur, nonnulla haud parvi momenti adjecerim.

Ad facultatem imprimendi quod attinet, ea donati sunt a Magistro sacri Palatii et Vicesgerente Cardinalis vicarii, non omnes, sed aliqui dumtaxat è meis tractatibus; ii scilicet quos, dum Romæ degerem, publici juris feci; ita nimirùm exposcente Urbani VIII, decreto *Sanctissimus*, 3 octobris 1625, quo prohibetur ne ii auctores qui Romam incolunt imprimendos libros alio mittant, *sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi et Reverendissimi Cardinalis, Sanctissimi Domini nostri Vicarii, et Magistri sacri palatii* (Bullar. Roman., tomo 5, part. 5, pag. 359). Alii vero tractatus, quos in Galliam redux edidi, huic legi non subjiciebantur; sed debui eos Ordinario loci in quo impressi sunt subjicere. Et ideò hujus Ordinarii facultas ipsis præfixa est. De quo lectorem præmonitum volui; quia nonnulli, ut mihi perlatum est, aliam nescio quam hujus varietatis causam somniarunt, atque in vulgus sparserunt.

TRACTATUS

DE

PRINCIPIIS JURIS CANONICI.

TRACTATUS DISTRIBUTIO.

Principia juris canonici vocamus notiones quatuor, a quibus exordiatur necesse est qui juris hujus vere peritus fieri cupit; quæ si ipsum lateant, aut confuso tantum intuitu fuerint perspectæ, nec poterit firmo pede ad reliquam disciplinæ canonicæ indagationem progredi. Imprimis scilicet introspiciendæ ipsiusmet juris canonici naturæ ita adlaborare debet, ut a cæteris juribus ab ipso diversis illud scite discernat, et quid ipsi adscribendum, quidve ab eo removendum, ex recognita propria illius essentia tuto valeat concludere. Tum ad investigandam ejusdem juris efficientem causam, auctoritates nempe varias, a quibus oriri et constitui possit, animus strenue convertendus; fontes enim illos ecclesiastici juris nisi prius adeat, eosque ita recenseat, ut et quinam sint, et quænam vis ab unoquoque dimanet pro explorato in antecessum habeat, in perpetuo versabitur errandi periculo; veras nempe leges ecclesiasticas æstimabit quæ nullæ sunt, nullasve quæ certissimæ; aut justo majorem minoremve auctoritatem eisdem attribuet. At vero exploratis juris canonici natura et fontibus, temporum quoque ratio habenda est : non enim sicut naturale, ita et ecclesiasticum

jus unum semper et immutabile : sed ex ipsius natura consequitur ut possit pro variis temporum circumstantiis attemperari atque immutari. Non ergo omnia quæ scripta reperiuntur et variis temporibus viguerunt jura ecclesiastica eadem lance pensanda sunt et quasi eodem hodie robore polleant reputanda. Unde et juris canonici studioso prælibanda est præcipuarum saltem disciplinæ ecclesiasticæ evolutionum atque temperamentorum historica notio. Cum tandem jus ecclesiasticum, licet mutabile, immutabili tamen Ecclesiæ potestate atque divina constitutione tanquam fundamento nitatur, est etiam fundamentum illud perscrutandum; exploranda scilicet mirabilis illa et nullis unquam adversis conatibus convellenda constitutio, qua Christus homo Deus suum in terris regnum instructum voluit atque firmatum. Primum enim et fundamentale Ecclesiæ jus, est ipsamet ejus constitutio, ex qua leges ferendi tota defluit potestas.

Hinc præsentem de *Principiis juris canonici* tractatum in quatuor partes distribuendum, et propositæ materiæ ratio, et instituendorum clericorum facile suasit utilitas. 1ª erit de natura juris canonici; 2ª de ipsius fontibus; 3ª de ejusdem evolutione historica; 4ª de jure Ecclesiæ constitutivo.

PARS PRIMA.

DE NATURA JURIS CANONICI.

Paucis quidem verbis tradi posset (præteritis temporibus forte sufficiens), de juris canonici natura aliqualis notio; non vero ea qua instructum hodiernum clerum decet ad pugnam

procedere contra multiplices obortos jam errores, quibus et ipsa quatiuntur orthodoxarum doctrinarum fundamenta, et in dubium primariæ jurium omnium rationes vocantur. Non ergo supponamus præcognitam et omnibus quantum satis est perspectam juris generatim sumpti rationem; sed in genus ipsum, in naturam nempe *juris in genere,* primum diligenti obtutu intendamus; ne quis forte, dum statim ad jus speciale, de quo est in hoc opere tractandum, deveniremus, nobis de retro relicta quæstione generica negotium facessat. Imo nec alia jura a canonico diversa omnino prætergrediamur : ea enim in testimonium sæpe vocare est disciplinæ canonicæ solitum; cujus præterea genuina et propria ratio inde etiam clarior menti affulget, quod instituta cum cæteris juribus collatione, qua parte cum illis conveniat, vel ab iisdem recedat, fuerit perspectum.

Non parum insuper conferet ad omnem removendam in posterum confusionem atque æquivocationem, qua posset distincta de canonici juris natura præpediri notio, explorare atque determinare quid sit et quo habendum loco jus *canonicum nationale,* proprium nempe alicujus regionis ecclesiis. nter nationalia autem hujusmodi jura adeo percelebre est illud quod *gallicanum* vocant, ut merito sibi vindicet præ cæteris in exemplum assumi, et cum universali Ecclesiæ jure conferri.

Hæc, inquam, omnia adeunda visa sunt, ne truncam, et pro nostrorum temporum ratione minus justo evolutam notionem de canonici juris natura traderemus. In qua tamen disceptatione brevitati quantum fas erit consulemus. Eam autem expediemus hoc ordine : 1ª Sectio de jure in genere et juribus a canonico diversis; 2ª de ipsius juris canonici recta et præcisa notione; 3ª de jure gallicano aget.

SECTIO I.

DE JURE IN GENERE ET DE JURIBUS A CANONICO DIVERSIS NOTIO.

CAPUT I.

DE JURE IN GENERE NOTIO ET VARIÆ SPECIES.

Exponendum est hic 1°, unde juris nomen desumptum; 2° quotuplici sensu vox ista usurpari soleat, et quo nos eam sensu usurpemus; 3° quænam sit juris sic intellecti in varias species præcipua distributio.

I. UNDE JURIS NOMEN DESUMPTUM.

Alii contendunt vocabulum istud esse primitivum, alii derivatum. In derivationis systemate multiplex est etymologia excogitata : alii nempe derivant a verbo *juvare;* quod scilicet contra vim et injuriam jus præsidio sit : alii a *jussu* seu a jubendo; eo quod jus idem sit ac jussum superioris; jura enim sive leges a priscis dicebantur *jussa;* nec videtur aliud esse jus quam quod Deus, vel princeps, vel populus, vel civitas, vel consuetudo jubet; alii volunt a *justo* originem trahere, et sic in Corpore juris, canone *jus generale* 2, distinctionis 1 : alii a voce *justitia* deductum existimant, cum jus sæpe usurpetur pro scientia justitiæ, et scientiæ nomen suum a fine sibi proposito sæpe usurpent : quædam alia omittimus de vocabuli hujus derivatione placita.

Opposita vero sententia, quæ nempe primitivum juris nomen asserit, non caret defensoribus; et hanc sibi non displicere testatur Schmalzgrueber : « Videtur enim, inquit, » *juris* vocabulum esse simplicius *justo* et *justitia ;* simulque

» jus, utpote objectum justitiæ, ipsa justitia antiquius est. » Igitur non jus a justitia, jussu aut justo, sed potius jus- » titia et justus a jure, secundum ipsius etiam grammaticæ » leges derivatur. » (Jus ecclesiasticum universum, Dissert. proœmialis, § 1.)

II. QUOTUPLICI SENSU NOMEN JURIS USURPARI SOLEAT, ET QUO NOS SENSU HIC EAM VOCEM ACCIPIAMUS.

1° Significat id quod justum est, seu æquum, seu rationis naturalis dictamini, divinæque et humanæ legi consentaneum. Sic, verbi gratia, dicitur, *abhorrendum ab omni quod est contra jus;* id est, contra æquitatem.

2° Accipitur pro ipsa sententia judicis, ut in hac locutione : *Quando jus reddidit prætor, siluerunt omnes.* Imo olim pro loco ipso in quo judicia agebantur usurpatum est.

3° Usurpatur et pro legitima facultate aliquid agendi vel omittendi, aut obligandi alterum ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum, ut in hujusmodi locutionibus : *Sum mei juris; jus habeo ad hæreditatem; hæres succedit in omne jus defuncti; nemo plus juris transferre potest in alterum quam ipse habet; utitur jure suo,* etc.

4° Sæpe idem sonat ac jurisprudentia, sive scientia jurium. Hoc sensu dicitur quis studere juri civili, vel canonico, id est scientiæ civilis canonicive juris.

5° Sumitur tandem et præcipue juris vocabulum eodem sensu ac lex seu legum complexio. Si dicitur corpus *juris canonici,* id est collectio legum ecclesiasticarum; *corpus juris civilis,* id est, complexio legum civilium; *jus naturale,* id est, complexio legum naturalium; sic etiam dicitur excusari aliquem quod laboraverit *ignorantia juris,* id est, quod nesciverit exstare legem quam sua agendi ratione violavit.

Loquendo tum de jure in genere, tum de diversis juris speciebus, non alium quam ultimo loco memoratum sen-

sum intendimus. Nobis scilicet idem erunt jura quod leges, idem jus quod complexio quædam legum.

III. JURIS GENERATIM SUMPTI IN VARIAS SPECIES DISTRIBUTIO.

1° Dividitur in essentiale seu naturale, et accidentale seu positivum. Naturale constat iis legibus seu obligationibus quæ ita necessario fluunt ex Dei et creaturarum natura ut non possint non existere. Positivum constat legibus libera voluntate sive Dei sive hominum constitutis. Quidam auctores divisionem hanc primariam aliter statuunt : distinguunt scilicet jus æternum, jus naturale, et jus positivum (ita inter alios Reiffenstuel, Jus canonicum, proœmium, § 1). Jus æternum vocant actum divinæ mentis quo Deus inspicit atque judicat quasdam regulas practicas necessarias et æternæ veritatis, esse a creatura rationali observandas, cum voluntate ipsam obligandi. Jus autem naturale dicunt lumen rationis hominibus congenitum et dictans quædam esse facienda, quædam vitanda. Sed distinctio hæc juris æterni et juris naturalis non videtur regulis rectæ partitionis consentanea. Regula enim partitionis est ut unum membrum alterum non ingrediatur. Porro quæcumque sunt de jure naturali, sunt etiam de jure æterno, utpote actu mentis et voluntatis divinæ statuta; et vicissim multa quæ Deus judicat et jubet ab hominibus facienda, innotescunt homini per lumen rationis congenitum. Anteponenda ergo videtur partitio primaria in jus naturale et jus positivum.

Quomodo autem inter se differant, ex tradita de utroque notione facile colligitur. Jus naturale invariabile est, jus autem positivum variabile. Illud ex intrinseca ratione et exigentia objecti provenit : hoc autem ex libera voluntate legislatoris juxta diversam temporum, locorum, personarum, aliarumque circumstantiarum exigentiam, pro communi utilitate diversas et speciales leges statuentis. Quæ

jure naturali sunt prohibita, ideo prohibita sunt, quia ex se mala: quæ autem jure positivo prohibentur, ideo sunt mala, quia prohibita. Notandum autem est omne jus naturale esse simul et divinum, sed non e contra; cum dentur leges divinæ positivæ.

2° Jus positivum subdividitur in divinum et humanum, prout leges libera, vel Dei vel hominum, voluntate feruntur.

3° Humani vero juris triplex distinguitur species; nempe jus ecclesiasticum sive canonicum, jus gentium, et jus civile.

Jus ecclesiasticum proprie dictum non constaret nisi legibus positivis Ecclesiæ auctoritate latis. Ecclesia tamen non tantum leges positivas ex seipsa fert, sed et leges tum naturales, tum etiam divinas positivas declarat, promulgat, urget, et sic quatenus a se declaratas facit simul aliquo sensu ecclesiasticas. Hinc codices, sive collectiones juris ecclesiastici multa continent decreta juris divini, tum naturalis tum positivi, ad quæ jurisprudentia canonica extendi merito reputatur.

Jus gentium vocari solet quo omnes vel ferme omnes gentes utuntur.

Jus civile stricte sumptum constat legibus positivis in bonum temporale civium alicujus reipublicæ, auctoritate civili hujus reipublicæ constitutis.

Sed quemadmodum et in jure ecclesiastico, ita et in codicibus civilibus multa sunt quæ ad jus divinum, tum naturale sive immutabile, tum positivum et variabile pertinent; quæ tamen lege civili simul proponuntur et exiguntur, et quæ velut fundamentum totius legislationis civilis, atque adeo ipsius pars haberi possunt.

CAPUT II.

DE PRIMARIO JURIS CUJUSCUMQUE FUNDAMENTO.

Prænotandum. — 1. Cum leges seu obligationes sint illud ipsum quod nos per *juris* vocabulum intelligere supra monuimus, quærere quodnam sit primarium cujuslibet juris fundamentum, idem prorsus est ac quærere obligationum omnium radicem seu primariam rationem.

2. Obligatio autem duplex distinguitur : alia sub pœna tantum, alia sub culpa. Prior est necessitas homini incumbens tali modo agendi, si velit vitare pœnam. Posterior est necessitas tali modo agendi, ut vitet malum morale seu peccatum. Prior non est obligatio nisi improprio sensu; cum liberum sit homini absque culpa ulla eligere potius pœnam, quam sese obligationi hujusmodi subjicere. Posterior autem est obligatio proprie dicta, utpote quæ ita hominem ligat ut, si obligationi non pareat, malum patret atque peccati reus sit. De obligationibus proprie dictis, id est, de obligationibus sub culpa hic agimus, et earum inquirimus radicem seu primarium fundamentum. Quam quæstionem tractandam habent non solum qui jus canonicum exponunt, sed etiam qui de jure civili vel alio quocumque agunt. Ut enim aliqua collectio legum merito dici queat jus, necesse est ut homo sub culpa teneatur leges illas servare; alioquin leges illæ non essent nisi arbitrariæ coactiones, conscientiam minime attingentes. In qualibet ergo jurisprudentia, ante omnia exponenda venit obligationum theoria seu primaria ratio, quæ si omittatur, totum ædificium tractationum juridicarum quasi fundamento caret.

3. Jam vero circa fundamentum illud, errores non pauci recentioribus temporibus oborti sunt, qui occur-

runt in scholis præsertim et libris in quibus de jure civili disseritur. Voluerunt scilicet multi auctores acatholici jurium ædificia construere præscindendo a Deo atque a divina homines ligante voluntate. Hinc alii pactum inter homines in societatem coeuntes tanquam primarium obligationum fundamentum ponunt. Alii ab isto principio tanquam fundamentali ordiuntur, teneri quemlibet ea vitare quæ utilitati publicæ noxia sunt, et hinc omnem profluere dicunt obligationem. Alii pro obligationum omnium fonte laudant rationis naturalis, vel conscientiæ, vel naturæ dictamen. Porro cum semper sacerdotalis muneris fuerit sanam doctrinam docere erroresque profligare, tum nostro ævo jurisprudentiæ canonicæ studiosis præsertim incumbit prædicta pseudojurium commenta evertere. Non ergo otiosa reputanda est hæc de primario obligationum omnium fundamento disceptatio.

4. In ea autem sic procedemus. 1° Confutabimus falsa systemata. 2° Principia quædam stabiliemus quorum ope deveniri possit ad primarium obligationum omnium principium. 3° Probabimus homini incumbere obligationem ad Deum tendendi tanquam finem ultimum. 4° Ostendemus obligationem hanc esse primarium obligationum omnium et cujuscumque juris fundamentum.

§ I.

Refelluntur, tum falsa et anticatholica systemata, tum aliquæ opiniones quæ licite tamen sustinentur in scholis catholicis.

Propositio 1ª. — *Principium obligationum non constituitur per pactum ullum sociale inter homines initum.* — Nam antea quam ineatur hujusmodi pactum, vel malum est talia pacta violare, vel non; si prius, ergo non

ex pacto ipso homines tenentur illud servare, sed ex anteriori aliquo principio homines obligante ad standum hujusmodi pactis. Si posterius, id est, si nulla culpa reus sit qui hæc pacta transgreditur, ergo nec post initum pactum sociale ulla existet proprie dicta obligatio. Ergo pactum sociale minime potest allegari tanquam primaria obligationum ratio.

Propositio 2ª. — *Neque obligatio consulendi utilitati publicæ et quæ huic utilitati nocent vitandi, constituit obligationum principium.* — Nam quod homo teneatur privatam suam utilitatem utilitati publicæ postponere, vel probatur aliunde, vel non ; si probetur aliunde, ergo prædicta obligatio non est primarium obligationum principium, sed ipsa ex alio anteriori principio fluit. Si hæc obligatio probari nequeat, ergo gratis asseritur, et nedum ipsa sit omnium obligationum principium, dubium etiam remanet an dici possit obligatio. Adde, multa non nocere utilitati publicæ, quæ tamen scelera sunt.

Propositio 3ª. — *Neque lumen naturale rationis dictans talem actum esse bonum et laudabilem, et talem alium malum et vitandum, est primarium obligationum principium.* — Lumen quippe illud nihil aliud est quam intellectus ipse percipiens alia esse bona, alia vero mala et peccaminosa. At vero intellectus percipiens non constituit nec existere facit objectum perceptum, sed illud præsupponit : objectumque illud non ideo est quia percipitur, sed potius ideo percipi potest, quia est in se reale seu verum. Quando intellectus meus percipit parricidium esse horrendum scelus, mea perceptio non constituit malitiam parricidii, sed ista malitia existit independenter a mea perceptione; nec minus culpabile esset parricidium, etiamsi nunquam de ipsius pravitate cogitassem, vel etiamsi nunquam exstitissem. Quando aperiendo oculos video ædificium aliquod, actus ille videndi non constituit ædificium, sed quia ædificium est jam constitutum et

existens, ideo aperiendo oculos illud video; idem porro de intellectu percipiente alicujus actus pravitatem. Moralitas ergo actuum humanorum debet jam existere et in se constitui sicuti est, ut intellectus possit illam percipere. Ergo nulla obligatio constituitur per lumen naturale rationis. Ergo lumen naturale rationis non est principium ullius obligationis, nec a fortiori primarium juris cujuscumque principium. Verum est equidem legem seu obligationem, non urgere neque ligare conscientiam nisi cognoscatur; sed illud probat cognitionem legis requiri, ut obligatio conscientiam attingat, non vero ut lex existat. Et tandem lex seu obligatio jam tota constituta est et existit antequam cognoscatur; ergo non fluit ex cognitione; ergo ratio primaria obligationum aliunde quam ex naturali rationis lumine repetenda est.

Propositio 4ª. — *Neque conscientia est primarium obligationum principium.* — Nam conscientia nihil aliud est quam ipsemet intellectus quatenus judicans aliquid esse licitum, aliud vero illicitum et culpabile; atqui ex propositione præcedenti intellectus non constituit moralitatem actuum quam percipit, sed illam præsupponit; nec obligationem facit existere, sed jam existentem agnoscit; ergo neque conscientia obligationes constituere dicenda est, sed jam constitutas intelligere et discernere; ergo non est obligationum ratio et primarium principium.

Propositio 5ª. — *Neque primarium obligationum principium est ipsa natura humana inclinans ad damnandos aliquos actus tanquam pravos, et ad laudandos alios tanquam moraliter bonos.* — Nam ista naturalis propensio non procedit nisi ex ipso conscientiæ dictamine, seu ex ipsius intellectus perceptione. Porro intellectus agnoscendo aliquos actus tanquam culpabiles et obligationem illos vitandi, non constituit culpabilitatem seu malitiam horum actuum, nec obligationem ab eis abstinendi; ergo nec inclinatio naturalis.

Hæc vero præcipua sunt acatholicorum systemata. Nunc expendenda opinio quæ in intellectu vel voluntate divina primariam obligationum rationem reponit.

Propositio 6ª.—*Primarium obligationum principium non est ipse intellectus divinus ab æterno percipiens quosdam actus tanquam ab hominibus vitandos, quosdam alios ab ipsis ponendos.* — Nam intellectus divinus, licet infinite perfectus, non in eo tamen differt ab intellectu creato quod possit percipere id quod non est; sed etiam quoad intellectum divinum prius est, prioritate rationis, aliquid esse quam a Deo percipi. Unde ab æterno quidem Deus cognoscit et videt multas hominibus obligationes incumbere; at vero non ideo sunt illæ obligationes, quia Deus illas videt; sed videt illas, quia sunt, et quia cognitio Dei attingit omnia quæ sunt. Ergo non stant præcise illæ obligationes per intellectus divini illas cognoscentis actum.

Propositio 7ª. — *Neque primarium obligationum fundamentum est voluntatis divinæ essentia, vi cujus Deus aliquos actus imperat et exigit, alios reprobat et vetat.* — Nam Dei voluntas non cæco motu fertur in prohibendos aliquos actus et exigendos alios; sed ideo Deus ex essentiæ suæ necessitate prohibet aliquos actus tanquam malos, quia revera mali sunt; et ideo alios exigit, quia revera tenetur homo sub culpa eos ponere; ergo et ipsa voluntas divina præsupponit obligationes essentiales jam existere, non illas ipso suo actu constituit.

§ II.

Statuuntur principia quædam quorum ope deveniri possit ad primarium obligationum et juris cujuscumque fundamentum.

Propositio 1ª. — *Homo in quolibet actu suo sibi proponit attingendum finem aliquem ultimum.*— Finis actus dicitur

illud ad quod obtinendum ponitur actus; seu, aliis terminis, illud quod homo vult obtinere per suum actum, et ad quod per hunc actum tendit. Certum autem est hominem per omnes actus suos deliberatos (1) finem sibi proponere. Nam agere est necessario agere aliquid, siquidem agere nihil, idem prorsus esset ac *non agere*. Sicut etiam velle, est velle aliquid, cum volitio nullius objecti idem sit ac nulla volitio; et tendere, est tendere ad aliquid, siquidem tendere ad nullum objectum, est non tendere. Unde omnis deliberatus actus habet necessario objectum aliquod seu terminum aliquem : finis autem actionis dicitur ipsummet objectum seu ipsemet terminus actionis; id nempe, quod vult homo agens et ad quod obtinendum agit. Ergo sicut omnis actus humanus habet objectum, habet etiam hoc ipso finem. Jam vero finem illum, ad quem immediate tendit, potest homo dupliciter velle : nempe vel propter ipsum, vel tanquam medium ad obtinendum aliud. Si prius, finis immediate intentus erit simul finis *ultimus;* nam finis ultimus agentis dicitur illa res quam homo agens quærit propter ipsam, ita ut in illa obtenta quiescat, et actionem suam et tendentiam terminet et ultimatim finiat. Si posterius, id est, si res propter quam homo immediate obtinendam agit, non sit nisi medium per quod aliud obtinere intendat, tunc istud aliud vel est finis ultimus intentus, vel tantum alterum medium. Jam vero impossibile est hominem velle unum tanquam medium ad aliud, et istud aliud tanquam medium ad tertium aliquid, et tertium istud tanquam medium ad quartum, et sic in infinitum, ita ut velit tantum media et nullum sibi finem ultimum proponat. Tunc enim vellet seriem mediorum tantum, quod repugnat, cum non possit quis velle ali-

(1) Aliquando homo indeliberate agit seu potius agitur, v. g. in somno, in statu amentiæ, in motibus primo primis. Hos actus theologi vocant *hominis* non *humanos*. De his non est hic quæstio.

quid quatenus medium, nisi intendat finem per medium illud assequendum. Ergo quocumque modo homo ponat actum deliberatum, semper intendit finem aliquem ultimum.

Propositio 2ª. — *Finis ultimus, ad quem homo necessario tendit quolibet actu suo, est bonum plenum seu infinitum.* — Homo enim nequit velle aliquid nisi quatenus ipsi *conveniens*, id est, quatenus res illa quam vult, potest *venire* aliquo modo *in unum* cum ipso, seu ipsum augere et perficere. Velle autem aliquid quatenus conveniens, est illud velle quatenus *bonum*. Bonum ergo, quod homo in aliqua re putat adesse, est tota ratio ob quam potest rem illam velle, et ad obtinendam eam agere. Unde velle idem est ac *velle bonum*. Jam vero homo non posset velle aliquod bonum particulare seu limitatum, nisi jam prius esset in ipso permanens appetitus boni generatim sumpti. Si enim indifferens esset homo erga bonum quatenus simpliciter bonum, quando occurrit aliqua particula boni, non ad illam arripiendam sese determinaret, quia esset a fortiori indifferens erga illud bonum particulare : non enim vult homo bonum limitatum, ideo quia est limitatum seu propter ejus limitem; sed e contra vult bonum limitatum propter bonum quod continet, non propter bonum quod non continet seu propter limites. Ergo voluntas hominis est essentialiter et permanenter voluntas boni quatenus talis, seu boni absque limitibus, seu boni pleni, summi, absoluti, infiniti.

Idem insuper inde probari potest quod de facto videamus homines nullo bono finito expleri posse, sed semper ad majora anhelare. Istud vero bonum, ad quod homo invincibiliter tendit, et sine quo ejus cor irrequietum semper est, cum non sit particulare seu limitatum bonum, infinitum bonum sit necesse est : infinitum autem bonum est Deus ipse; unde Augustinus : *fecisti nos ad te, Domine, et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te.*

Propositio 3ª. — *Potest homo bonum plenum seu perfectum supponere et quærere in rebus creatis.* — Licet Deus solus sit bonum illud plenum, voluntatem humanam satiare valens, tamen quandiu et quatenus non possidetur, non est de facto bonum plenum hominis. In præsenti autem vita de facto non possidetur; et quamvis homo sciat, tum ex fide tum etiam ex naturali ratiocinio, se non posse invenire nisi in Deo beatitudinem illam perfectam ad quam necessario tendit, interea tamen illa caret. Hinc autem sequitur, illum non necessitari ad quærendum bonum suum plenum in Deo potius quam in rebus creatis. Sancti e contra qui jam Deo possesso fruuntur, ipsi tanquam fini ultimo necessario adhærent. Impossibile enim est homini quærere bonum quod jam tenet et quod sentit se possidere; et inde impeccabilitas beatorum, qui utpote bene conscii se Deum seu bonum infinitum possidere, nequeunt bonum illud infinitum extra Deum quærere; unde ab amando Deo tanquam bono summo jam nequeunt deficere. In præsenti autem vita remanet homini libertas bonum suum plenum quærendi vel in Deo, vel in quadam finitorum bonorum summa. Ista vero bona creata, utpote præsentia et sensibilia, hominis attentionem vehementer occupant; potestque homo abstrahere ab eorum limitibus, et ita supponere et fingere ibi adesse bonum plenum quod necessario quærit; et sic potest recedere a Deo tanquam fine ultimo, et ad particulas illas bonorum finitorum tanquam ad finem ultimum sese convertere, easque Deo aliquando possidendo anteferre; et inde in præsenti vita peccabilitas, remanente scilicet libertate Deum non amandi super omnia, et finem ultimum seu bonum plenum extra ipsum quærendi.

§ III.

Incumbit homini proprie dicta obligatio tendendi ad Deum tanquam finem ultimum.

Probatur 1° ex verbis Christi, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... hoc est primum et maximum mandatum.* Verba illa exprimunt obligationem Deum amandi super omnia; ergo tenetur homo Deum omnibus anteponere; finis autem ultimus est id quod homo intendit et vult super omnia et omnibus anteponit, siquidem homo, quærens aliquid tanquam finem ultimum, non vult cætera nisi tanquam media ad finem illum; ergo præceptum diligendi Deum super omnia est præceptum tendendi ad Deum tanquam finem ultimum.

Probatur 2°. Homo quærens bonum summum extra Deum, vult hoc ipso bonum summum seu infinitum esse alibi quam in Deo; ergo hoc ipso vult Deum non esse bonum summum seu infinitum; ergo tendit ad Dei destructionem seu annihilationem; quæ tendentia adeo est ex natura sua inordinata et bono opposita, ut nisi dicatur peccatum et malum morale, nihil peccaminosum seu culpabile vocari poterit.

Item per hanc tendentiam homo deficit a bono summo, cum illud quærat ubi non est, nempe in rebus creatis; ergo tendit ad sese perpetuo privandum bono pleno et infinito, quo tamen ex essentia sua omnino indiget in æternumque indigebit; ergo tendit ad sese constituendum in statu summe misero et summe deordinato, in damno scilicet summi boni semper appetiti et nunquam possidendi. Porro, et ex hac parte, prædicta tendentia est natura sua malum et deordinatio, et culpa seu vitium. Ergo ad vitandum summum malum et peccatum, incumbit homini proprie dicta et rigorosa necessitas tendendi ad Deum tanquam finem ultimum.

§ IV.

Prædicta obligatio tendendi ad Deum tanquam finem ultimum est omnium obligationum et juris cujusque fundamentum.

Posita enim prædicta obligatione, tenetur homo amare super omnia Deum sicuti est; ergo tenetur amare super omnia Deum cum divinis ipsius voluntatibus, tum essentialibus, tum accidentalibus. Porro voluntates divinæ essentiales seu necessariæ constituunt jus naturale seu jus divinum essentiale; et voluntates seu leges divinæ accidentales, constituunt jus divinum positivum; ergo posita primaria obligatione tendendi ad Deum tanquam finem ultimum, ligatur homo omnibus legibus seu obligationibus tum juris naturalis, tum juris divini positivi.

Insuper vult Deus ut societates humanæ auctoritate regantur, et leges justæ ab auctoritate humana latæ observentur; ergo ligatur etiam homo jure humano tum ecclesiastico, tum civili.

Et sic solidissime fundatur omne jus sive naturale, siv divinum positivum, sive humanum ecclesiasticum, sive quod dicitur jus gentium, sive etiam jus civile, sive jus paternum, sive jus matrimoniale et quodcumque aliud. Culpabilis enim concipitur homo legibus seu obligationibus, ab istis omnibus juribus constitutis, resistens, quia hoc ipso resistit Dei voluntati, et deficit a Deo tanquam fine ultimo.

Si vero homo non teneatur primario amare Deum super omnia, et Deum omnibus aliis bonis anteponere, nec peccet quærendo in rebus creatis bonum suum summum, et sibi constituendo bona hæc creata pro fine ultimo, jam nullo modo peccabit infringendo quaslibet leges ut consulat utilitati et voluptati suæ. Nec peccata dici poterunt parricidia aliave scelera.

Ergo in scholis et tractatibus juris cujuscumque, si descendatur ad jurium radicem seu fundamentum, agnoscenda est tanquam fundamentalis et primaria illa obligatio quam Christus Dominus nos docuit esse *primum* et maximum mandatum, diligendi scilicet Deum super omnia : *primum* utique, quia fundamentum quo solo cætera mandata seu jura superexstrui possunt.

Hanc theoriam de jurium omnium fundamento hic breviter tantum delineamus; evolvendam theologicis et metaphysicis tractatibus relinquentes.

CAPUT III.

DE JURE NATURALI.

Prænotandum. — Quid generatim per jus naturale semper intellectum sit, colligi potest ex notionibus seu descriptionibus apud auctores variorum temporum occurrentibus, e quibus præcipuas hic subjicimus. In decreto Gratiani (can. 7, dist. 1) jus naturale dicitur illud quod *est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua, habetur.* Aristoteles (5 Eth., c. 7) illud describebat, *quod ubique eamdem vim habet, et non quia videtur aut non videtur.* Seneca vero (epist. 65, ad Lucilium) : *Est ergo a Deo, tanquam naturæ auctore, impressum inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicæ, actus humanos liberos ad bonum justumque dirigimus.* Celebris est Ciceroniania descriptio (pro Milone) : *Legem non scriptam, quam non didicimus, legimus, verum ex ipsa natura hausimus, accepimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.* Et in lib. II *de Legibus*, sic eamdem notionem evolvit : *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque*

scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei : ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata; est enim ratio mensque sapientis ad jubendum deterrendumque idonea. Et in libro de Republica : *Est vera ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, et constans, quæ vocat ad officium jubendo, vetando....* Sanctus Thomas (in IV Sent. dist. 33, art. 1) : *Naturalis conceptio omni homini indita, qua dirigitur ad operandum convenienter, lex naturalis seu jus naturæ dicitur.* Et in 1. 2. q. 94, art. 6, hæc S. Augustini (Confess. 6. 4) verba allegat : *lex tua scripta est in cordibus hominum.... Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus?*

Ex sacra autem Scriptura ad notionem juris naturalis referri solent sequentes textus : *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (Psalm. 4,v. 6). — *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.... Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex... Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum* (Epist. ad Rom. 2. 14).

Ex textibus illis satis patet jus naturale semper et ab omnibus habitum fuisse tanquam aliquid æternum et immutabile, tanquam hominibus per lumen naturale rationis cognitum, et tanquam a Deo quatenus naturæ humanæ auctore derivans.

Quando vero auctores magis determinate disserunt de jure naturali, quasdam movent magni momenti quæstiones, de quibus non una est omnium doctrina. Harum quæstionum discussionem hoc ordine absolvemus : 1° de essentia juris naturalis; 2° de ipsius promulgatione; 3° de ipsius materia et immutabilitate.

§ I.

De juris naturalis essentia.

1. Plures juris civilis consulti veteres essentiam legis naturalis reponebant in quadam inclinatione potentiæ seu facultatis sensitivæ, tum hominibus, tum brutis etiam animalibus communi; et ideo cum Ulpiano jus naturale intelligebant et definiebant *quod natura omnia animalia docuit.* Sed illius abjectæ notionis falsitas adeo patet, ut illi confutandæ immorandum non sit. Ad multa scilicet appetitus sensitivus inclinat homines, quæ nedum sint juris naturalis, ab isto jure e contra prohibentur; licet eadem in brutis, utpote ratione et libertate carentibus, mala non sint. Quando vero inclinationes hujusmodi malæ non sunt, indicant quidem jus naturale, et ad illud probandum argumentum subministrant; sed ipsummet jus naturale non constituunt. Adde facultates sensitivas hominis a multis abhorrere, ad quæ tamen jure naturali tenetur.

2. Alii cum Vasquez (1. 2. dist. 150, c. 3) existimant jus naturale esse ipsammet naturam rationalem, quatenus est prima regula vel boni convenientis, vel mali disconvenientis. Cum nempe aliquæ actiones sint per se, seu ex natura sua, intrinsece malæ, nec malitia ista pendeat a prohibitione aut voluntate divina, concludendum putant legem naturalem esse ipsammet hominis et actuum humanorum essentiam. Illa autem notio, quæ a multis refellitur, aliquo sensu vera videtur, aliquo sensu falsa; quod patebit attendendo ad sensum strictum, et ad sensum latum vocabuli illius *lex*. Si enim stricto sensu usurpetur, designat actum quo superior aliquis prohibet aliquid vel injungit. Unde, ubi deest superioris voluntas aliquid præcipiens vel prohibens, deest lex proprie dicta. Et hoc sensu falsum est essentiam ipsam ac-

tionum humanarum, sive essentiam hominis, aut etiam Dei, esse legem naturalem; siquidem essentia illa non est aliquis actus voluntatis prohibentis aliquos actus aut præcipientis alios, sed tantum est ratio, cur prædicti actus constituantur in se boni vel mali, et ratio, cur Dei sanctissima et justissima voluntas eos actus necessario jubeat vel vetet. Aliquando autem vox illa *lex* usurpatur pro fundamento legis, vel etiam pro medio per quod promulgatur seu innotescit; et hoc latiori sensu potuit Vasquez legem naturalem vocare ipsam essentiam tum Dei, tum hominis, tum ipsorum humanorum actuum; sicut et patroni sententiæ mox exponendæ, per legem naturalem intelligere potuerunt lumen naturale rationis humanæ, per quod jus naturale hominibus innotescit et quodammodo promulgatur. Unde in eo errasse videtur Vasquez, quod legis naturalis fundamentum pro ipsa naturali lege acceperit.

3. Plures theologi cum Suarezio legem naturalem dicunt esse *inditum* a naturæ auctore Deo nobis *lumen rationis*, atque dictamen quo honestum discernimus ab inhonesto, et judicamus alia esse agenda, alia vero vitanda. Sed sicut Vasquez juris naturalis fundamentum pro ipso jure accepit, ita et isti eamdem naturalem legem cum ipsius promulgatione confudisse videntur. Nam per lumen naturale rationis nostræ non fit aliquid vetitum vel injunctum, bonum vel malum; sed quod jam est ex se bonum vel malum, injunctum vel prohibitum, agnoscit intellectus noster. Unde lex naturalis est jam constituta, quando rationis lumen illam nobis revelat; ergo istud lumen naturale nullatenus dici potest esse ipsammet legem. Præterea lex stricto sensu sumpta implicat actum voluntatis, quo aliquis superior quosdam actus vetat aut præcipit; atqui lumen rationis humanæ, respective ad hominem, non est superior aliquid ipsi vetans aut imperans; sed tantum per illud naturale lumen homo præcepta esse quædam aut vetita agnoscit et intus monetur. Unde sicut

nuntius qui nos certiores faceret de lata lege aliqua a principe, minime dici posset legislator aut lex, ita neque lumen rationis, quo jus naturale dignoscimus.

4. Jus naturale dupliciter intelligi potest : vel quatenus abstrahit ab omni actu superioris aliquid statuentis, et designat tantum obligationes, quæ ex ipsa rerum natura oriuntur et hominem ligant, vel quatenus designat etiam actum legislativum superioris, easdem obligationes hominibus sua auctoritate imponentis. Nam præscindendo ab omni actu voluntatis divinæ, obligationes quæ sunt de jure naturali concipiuntur per solam rerum essentiam constitutæ et hominem ligantes. Posita scilicet Dei et hominis et variarum actionum moralium essentia sicuti est, jam ad multa facienda vel vitanda homo tenetur, etiam abstrahendo ab actu divinæ voluntatis hæc præcipientis aut vetantis. Et revera obligationes illæ, prioritate rationis actum divinæ voluntatis, easdem ut legem imponentis, præcedunt : divina enim voluntas ideo necessario, v. g., mendacium prohibet, quia mendacium jam ante omnem prohibitionem ex essentia sua malum est et ab homine vitandum. Unde licet de facto omnes obligationes juris naturalis, actu divinæ voluntatis necessario firmentur, et Deus necessario velit hominem iisdem obligationibus ligari, iste tamen actus voluntatis, naturam rerum has obligationes constituentem non præcedit, sed consequitur; ita ut, v. g., mendacium non ideo sit malum et prohibitum, quia a Deo vetitum, sed potius a Deo vetitum, quia ex se malum et ab homine vitandum. Sed lex naturalis, quatenus consideratur sic præscindendo ab actu divinæ voluntatis, non posset dici *lex in strictiori sensu;* quia lex stricte sumpta includit semper superioris alicujus præcipientis aut prohibentis actum.

His vero præmissis et stabilitis, patet via ad rectam juris naturalis definitionem.

5. Jus naturale, sensu latiori sumptum, recte definiri

videtur, *complexio obligationum, ex rerum essentia homini incumbentium*. Hæc vero definitio non confundit jus naturale cum ipsius fundamento, nempe cum rerum essentia, ex qua oritur; nec cum ipsius promulgationis instrumento, nempe cum naturali humanæ rationis lumine; sed jus naturale reponit in *ipsismet obligationibus*, e rerum essentia orientibus, et per lumen naturale cognitis. Per hanc autem definitionem jus naturale secernitur ab omni jure diverso; secernitur enim ab omni jure positivo tum divino, tum humano. Porro jus omne quod non est positivum, in jus naturale refundendum est. Ex eadem definitione patent juris illius præcipui et proprii characteres. Est scilicet æternum, quatenus ex æterna rerum essentia fluens; est immutabile, ob essentiarum immutabilitatem; est divinum, tum quia essentiæ omnes in ente divino suum fundamentum habent, tum quia voluntas Dei, utpote essentialiter et infinite recta et sancta, jus illud vult et necessario sua auctoritate firmat.

6. Jus naturale sensu quodam strictiori recte definiri potest, *complexio obligationum necessario a voluntate divina homini impositarum*. In sensu strictiori quem intendimus, obligatio non designatur legis nomine, nisi quatenus a superiore communitati imposita; porro huic strictiori acceptioni satisfit per dictam definitionem; intervenit enim legislatoris, nempe Dei voluntas, obligationes quasdam necessario imponens. Illæ vero obligationes eædem sunt, de quibus in priori definitione, nempe quæ ex rerum essentia oriuntur. Illas enim solas voluntas Dei *necessario* imponit.

Inde concludere licet jus naturale ex duplici titulo obligare, ex ipsa nempe rerum essentia, et ex superveniente necessario voluntate divina. Quæ duo obligationum naturalium principia a mente nostra separatim concipiuntur, in re tamen inseparabilia sunt.

§ II.

De Juris naturalis promulgatione, seu de medio per quod jus naturale hominibus innotescit.

Circa medium quo hominibus innotescit lex naturalis, duplex occurrit doctrina : sententia nempe communis Patrum Ecclesiæ scholarumque catholicarum, et recens quoddam *traditionalismi* systema.

I. Doctrina communis admittit inesse homini vim quamdam verum percipiendi, quæ lumen naturale rationis vocari solet. Et vis quidem illa, ut objecto suo applicetur, indiget, in præsenti humanæ naturæ statu, quibusdam conditionibus; apta nempe organorum corporis dispositione, et tum sensationum, tum sermonis excitationibus, quibus mens ad attendendum impulsa verum a falso discernat : quæ conditiones si omnino deficerent, homo forsan remaneret omni reflexa cognitione destitutus, et qualem eum videmus primis ab ejus ortu diebus. Sed quando excitante sermocinatione eorum quibuscum vivit, tandem aliquando attendens ad istam propositionem, *bis duo dant quatuor*, aut ad illam, *totum est sua parte majus*, reflexe percipit illam esse veram, perceptio hæc non ipsi ab extrinseco injicitur, sed ipse, per suam naturalem percipiendi vim, illam elicit, et acquirit. Quam doctrinam præclare sanctus Augustinus evolvit in libro *de magistro*, ubi ostendit magistrum de quæstione aliqua disserentem, esse quidem occasionem discipulo ut ad rem propositam attendat; non autem auctorem esse perceptionis qua discipulus veritatem thesis agnoscit. Sed veritatem discipulus percipit per participatum aliquatenus et sibi intus manens lumen illud *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Atque ideo statim ac discipulus propositionem a magistro expositam et variis ratio-

nibus propugnatam veram perspicit, non magistro cæca adhæsione credens, sed de magistro judicium proferens exclamat, *verum est quod dicit magister.*

Hoc vero lumen homini a Deo tanquam naturæ auctore inditum, supponunt et ut certum agnoscunt christiani auctores, imo et pagani, ut ex textibus initio capitis allatis satis colligi potest. Per istud ergo lumen rationis humanæ innotescere legem naturalem dicunt; ita ut sufficienter promulgetur jus naturale per illam hominibus inditam bonum a malo discernendi facultatem. Quam tamen facultatem, utpote ex peccato originali et cupiditatum fomite impeditam valde et debilitatam, revelationis christianæ ope ad convenientem juris naturalis notionem acquirendam indiguisse, concedunt omnes auctores catholici.

II. Contra doctrinam illam communiter receptam excogitatum est paucis abhinc annis systema quoddam, *traditionalismi* jam nomine designari solitum. Contendunt scilicet illius opinionis patroni mentem hominis per se solam esse quasi tabulam rasam, in qua nulla inscribatur veritas seu distincta notio nisi per revelationem et ab extrinseco. Juris ergo naturalis principia, sicut et illa etiam quæ dicuntur immediate *evidentia,* primo homini innotuere per revelationem seu locutionem primitivam quamdam instruentis et attestantis Dei. Hanc primitivam revelationem societas humana succedentibus generationibus perpetuo transmisit; et ex notionibus sic cuique per socialem traditionem transfusis coalescere dicunt fundum illum, quem *rationem naturalem* vocamus. Ad quod probandum tanquam præcipuum argumentum urgent factum illud, experientia comprobatum, nempe hominem ab omni prorsus humana societate seclusum nullam posse acquirere etiam primorum principiorum notionem. Unde juxta systema illud, jus naturale non innotescit per vim percipiendi homini cuilibet individuo propriam et naturalem, sed per revelatum primitus et postea

propagatum Dei loquentis testimonium. Oppositam vero doctrinam impugnant tanquam *rationalistarum* errore infectam et catholico dogmati oppositam.

Opinionis illius confutatio ad disciplinam theologicam et philosophicam præcipue pertinet; unde hic pauca tantum adnotabimus:

1° Distinguenda est sedulo quæstio possibilitatis a quæstione facti. Quod de facto primus hominum parens a Deo factore suo, sive intus illuminante, sive ab extrinseco et verbis sensibilibus organa creaturæ suæ pulsante, multa edoctus fuerit et intellexerit, certo compertum habemus ex Scriptura sacra et dogmate catholico, neque factum illud negatur aut negari potest. Item quod quilibet homo in præsenti humanæ naturæ conditione parentibus et societate indigeat ut evolvantur ipsius facultates et distinctas notiones acquirat, ita ut, deficiente omni sociali locutione, magisterio et juvamine, non tantum distinctas et reflexas notiones acquirere, sed ne vivere quidem possit, est etiam factum experientia compertum et quod negat nullus.

At vero possibilis concipitur collectio hominum, qui simul in statu, quem perfectæ ætatis vocamus, crearentur. Hi autem utrum per se ipsos et per solam sibi inditam intelligendi facultatem, deficiente omni anteriori Dei aut societatis locutione, possent notiones determinatas et reflexas acquirere, et locutionis ad invicem formulas invenire, est quæstio diversa, quæ ex eis quæ eveniunt in præsenti hominum statu minime solvi potest. Quam quidem quæstionem hic non tractamus; sed adnotamus tantum a traditionalistis minime probari hujusmodi homines, quos Deus crearet in ætate perfecta sicut creavit Adamum, ad evolutionem facultatum suarum absque præeunte ulla sociali locutione non perventuros. Imo in præsenti etiam conditionis humanæ statu, si cum certis quibusdam cautionibus, quæ nunquam adhibitæ sunt, homines aliqui educarentur, minime impos-

sibilis probari potest facultatum ipsorum evolutio extra omne sociale colloquium et magisterium. Supponimus nempe decem puerulos statim a prima infantia ab omni societatis consortio secludi; et illis necessaria ad vivendum ea cura et arte præberi, ut sedulo præcaveretur omnis per verba aut signa cum societate communicatio. Interea vero puerulos illos simul versantes adolescere et ad decimum quintum annum pervenire. Putamus ante ætatem hanc et linguæ alicujus usum apud illos fore, et multipliciter evolutæ intelligentiæ testimonia. Sed tantum hic adnotamus contrarium a traditionalistis minime demonstrari. Ergo primo factum præsenti hominum statui proprium, ex quo argumentantur traditionalistæ, ad solvendam quæstionem de possibilitate, non valet.

2° Factum illud, nempe Dei primum et postea societatis ab extrinseco docentis, minime excludit doctrinam communem asserentem, per vim percipiendi sibi propriam hominem cognoscere tum prima principia intuitive evidentia, tum principia legis naturalis, tum denique omnia, quæ recte ratiocinando certo discernit. Nam quando primum Adamo recens creato, sive intus sive ab extrinseco locutus est Deus, vel ipse Adamus percepit et Deum sibi locutum, et ea quæ ipsi hac locutione dicta sunt, vel non. Si percepit, utique per suum intellectum; non enim potest homo magis percipere seu intelligere per intellectum alterius, quam per alienum oculum videre. Si non percepit, ergo non magis ipsi ad facultatum evolutionem profuit divina locutio, quam si ad lapidem locutus fuisset Deus. Item dum quotidie societas humana crescentem parvulum alloquitur, vel puer aliquando tandem percipit et ad se fieri locutionem, et rem per locutionem istam sibi dictam, vel non. Si percipit, utique per suum intellectum ad hoc percipiendum valentem. Si posterius, non magis proficiet socialis locutio ad puerum, quam ad arborem directa. Nec posset societas facere ut pue

reflectendo intelligeret bis duo dare quinque, aut partem esse majorem toto. Ergo remanet, societatis communicationem et magisterium esse quidem in præsenti hominum statu prærequisitam occasionem, ut percipiendi facultas excitata actus determinatos eliciat, et sic notiones varias quilibet homo acquirat; minime vero tales notiones a colloquente et docente sive tradente societate puero injici et quasi ab extrinseco infundi. Ergo cum facto necessariæ socialis locutionis, bene stat doctrina communis, tradens notionem legis naturalis esse homini inditam et ab ipsa natura insitam, seu, ut dicit sanctus Paulus, cordibus hominum inscriptam. Nam percipiendi vis inest homini hoc ipso quod sit homo. Et talis est ista vis percipiendi, ut statim ac sibi proponuntur multa legis naturalis principia, intelligat illa esse vera. Hanc autem veritatem assequitur, non quia externe affirmatur, sed quia illam ipse percipit. Unde cum illam percipiendi vim homo non adventitie recipiat, sed illam tanquam quid suæ naturæ seu essentiæ possideat, recte dicitur notionem legis naturalis, quæ a vi percipiendi ad actum transeunte necessario oritur, esse homini naturalem, seu naturæ inditam. Et bene sciebant sanctus Paulus et scholæ doctores, et Cicero et Seneca, notionem legis naturalis non adhuc exstare explicitam in puero recens nato; nihilominus tamen, quia puer ille statim ac reflectet ad principia legis naturalis, inveniet illa vera esse, dixerunt notionem hanc esse illi natura inditam.

3° Systema traditionalistarum, omnem cognitionem humanam ad actum credendi reducit. Nam si requireret tantum locutionem socialem tanquam excitamentum quoddam, cujus ope et occasione quilibet homo attendens ad enuntiatas veritates, illas per suum proprium intellectum discernit et percipit, non differret systema illud a doctrina communi, nec adversarium haberet quemquam. Sed ulterius pergit et supponit ipsas notiones a sociali locutione et magisterio ho-

mini infundi, ita ut notiones cujuslibet individui non sint actus perceptivi ab ipsomet eliciti, sed testimonium quod, a societate traditum, tanquam verum quilibet recipit, idem traditurus ipse posteris. Notio autem ex testimonio et locutione tanquam vera accepta et non proprio intellectu perspecta et recognita, est notio cui creditur, non quæ percipitur; et cum traditionalistæ fingant rationem hominis ex hujusmodi notionibus ab extrinseco acceptis totam coalescere, sequitur ex illo systemate omnem cognitionem humanam ad actum credendi reduci.

4° Traditionalismus, in quantum omnem cognitionem humanam ad actum credendi reducit, recidit in *systema illud fallax*, ut vocavit Gregorius XVI, a D. de la Mennais ultimis temporibus renovatum, cuilibet privato intellectui vim omnem veritates certo cognoscendi adimens. Nam qui credit tantum propositionem enuntiatam, illam hoc solo actu credendi nec veram nec falsam percipit; atqui juxta systema traditionalismi quilibet homo posset tantum tradita recipere et credere, non autem propria vi intelligendi et percipiendi vera certo recognoscere; ergo systema illud, sicut et præcedens domini de la Mennais, intellectui privato vim omnem veritates certo percipiendi adimit.

5° Inducit ad scepticismum. Nam in ordine naturali homo legitime dubitat et dubitare debet de omni enuntiatione externe sibi facta, quamdiu illam certo veram esse aliquo modo non percipit. Atqui traditas a societate varias propositiones, in systemate traditionalismi, nullus certo veras perciperet : non perciperet immediate per actum intellectus proprium, quia alioquin enasceretur in homine notio aliqua certa, aliunde veniens quam ex societate, quod negat prædictum systema. Non perciperet concludendo ex infallibilitate testimonii socialis; quia hoc ipsum ratiocinium, utpote a sola vi intellectus procedens, esset series notionum a testante societate non infusarum; quod pariter excludit tradi-

tionalismus. Ergo traditas a societate varias notiones nullus certo veras perciperet; ergo de illis dubitare deberet; ergo in ordine naturali deberet circa omnem enuntiationem hærere dubius.

6° Tandem systema illud contrariam sibi habet communem doctrinam theologorum et canonistarum, ex quo solo suspectum saltem omnibus esse deberet.

Ex dictis autem facile colligi potest quid de *rationalismo* sentiendum sit. Illud scilicet vocabulum, recentioribus temporibus invectum, omnino ambiguum est; et prout uno vel altero sensu accipitur, exprimit veram, aut erroneam et exitialem doctrinam.

Rationalismus, prout exprimit doctrinam qua traditur, *hominem, per suam propriam et naturalem cognoscendi facultatem posse multa certo dignoscere,* non est error; sed e contra est doctrina vera, et ut talis communiter omni tempore recepta.

Rationalismus autem, prout exprimit systema philosophorum acatholicorum ultimi sæculi, quo asserebant *hominem non debere tanquam veras admittere nisi propositiones quarum ipse, per suam intelligendi vim, percipiat veritatem intrinsecam*, est error subversivus fidei, imo et rationi naturali contrarius.

Primo quidem subvertit et impedit fidem illam supernaturalem ad quam ex dogmate catholico homines tenentur, et quæ ipsis ex gratia seu actione divina possibilis et facilis est. Nam dum Ecclesia, verbi gratia, fidelibus explicite credendas injungit has propositiones, *Deus, unus natura, trinus est personis : Christus est simul Deus et homo*, et alias hujusmodi, juxta prædictorum philosophorum systema, licite posset quilibet Christianus eas ut certo veras non admittere, donec ipse *intrinsece* perciperet quomodo tres personæ divinæ in unam naturam, et duæ naturæ Christi in unam personam coeant. Porro nedum licite possint Christiani ita

agere, in teterrimum e contra labuntur hæreseos et infidelitatis peccatum, statim ac de talibus ab Ecclesia definitis dubitant et assentire renuunt. Ideo autem peccant, quia, dum hæc eis credenda proponuntur, præsto est Dei auxilium, ut per supernaturalem ac aliquo sensu theandricum (id est divinum simul et humanum) fidei actum, plene assentiant, licet intrinsecam rei veritatem per lumen naturale non percipiant. Unde istiusmodi rationalismus (qualem intelligebat Jean-Jacques Rousseau et alii hujus temporis pseudophilosophi) veritati catholicæ prorsus repugnat, estque proinde ut pestis rejiciendus.

Secundo repugnat etiam rectæ rationi. Multa enim certo cognosci possunt vera, et ut talia admitti debent, quin valeat intellectus eorum intrinsecam veritatem introspicere. Hujusmodi sunt quæ ex certo testimonio vera esse constat, et quæ ex aliis intrinsece perspectis certo ratiocinio concludenda veniunt. Insaniret prorsus qui negaret, aquam in vaporem redactam posse currus et naves de loco in locum trahere, ex eo quod ipse non intelligeret quo id modo peragi valeat. Sufficit enim ut ipse oculis suis videat hoc vehiculo navem impelli, aut idem ei homines fide digni testentur.

Item ut adhæsione naturali debeant homines admittere Deum esse trinum personis, licet hujus dogmatis veritatem intrinsecam non percipiant, sufficit verum probari Christum exstitisse, et in gratiam doctrinæ suæ comprobandæ miracula patrasse, et inde veram demonstrari ipsius doctrinam, et trinitatem esse unum ex dogmatibus ab ipso traditis.

Ergo impugnandus quidem rationalismus, at non in omni sensu, quo eum impugnant quidam traditionalistæ. Nos vero hic vicissim non quemlibet *traditionalismum* impugnamus, sed tantum eo sensu quem descripsimus.

§ III.

De juris naturalis materia, immutabilitate, et varios actus irritandi vi.

I. Circa materiam juris naturalis aliqui docuerunt illam non extendi ultra principia immediate absque discursu nota, qualia sunt his sacræ Scripturæ verbis expressa, *declina a malo et fac bonum. — Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Sed communis sententia cum Suarezio tenet etiam eas morales regulas, quæ per discursum ex principiis immediate perceptis deducuntur, esse juris naturalis materiam. Rationes quibus hæc sententia fulciri solet, et oppositæ opinationis confutationem, vide apud Schmalzgrueber (*Proœm.*, § 2, n. 56). Ex partitione autem totius juris in naturale et positivum, sequitur ad jus naturale pertinere omnem obligationem quæ non libera sed necessaria Dei voluntate imponitur. Ergo sive ex evidentia intuitiva, sive ex discursu constet aliquam obligationem existere, modo simul constet illam necessario homini incumbere, ad jus naturale pertinere censenda est.

II. Jus naturale esse immutabile, sequitur ex eo quod ab ipsa rerum essentia fluat. Quod enim prohibetur jure naturali, ideo prohibetur, quia ex se malum. Deus autem nunquam potest non prohibere quod ex se seu essentia sua malum est. Et pariter nunquam potest non injungere id cujus omissio ex se mala est. Unde impossibile est mutari jus naturale. Objicitur aliquando mutari materiam præcepti naturalis, et tunc cessare ac proinde mutari etiam præceptum : obligationem voti, verbi gratia, esse de jure naturali ; et tamen si materia voti evadat impossibilis, jam non obligare. Sed respondetur obligationem voti quatenus est de jure naturali, non respicere votum quodlibet et in qualibet circumstantia, sed votum quatenus et quandiu est de meliori,

et impleri potest. Si ergo, mutatis circumstantiis, votum desinat esse de meliori, aut impleri nequeat, cessat quidem seu potius nunquam extitit obligatio respective ad tale votum in his posterioribus circumstantiis consideratum, minime vero cessat quoad votum in prioribus circumstantiis. Unde nihil in præcepto naturali exsequendi vota mutatur, sed tantum perit aliquando præcepti materia.

III. Superest quæstio utrum jus naturale aliquos actus non tantum prohibeat sed etiam irritet. Est communis doctorum sententia aliquos actus jure naturali prohiberi tantum, alios prohiberi simul et irritari. Matrimonium, v. g., contractis cum alia sponsalibus, est jure naturali vetitum, non tamen nullum. E contra pactum ex metu aut violentia extortum, est simul prohibitum et irritum. Hinc canonistæ multum adlaborarunt ut certam quamdam invenirent et determinarent regulam, ex qua tuto discerni posset, quinam actus censeri debeant ex jure naturali prohibiti tantum, et quinam prohibiti simul et irriti.

Duplicem hujusmodi regulam tradit Schmalzgrueber (Proœm., § 2, n. 70), cum Suaresio, Wiestner, Schmier et aliis: « *Prima* est, inquit, irritos esse jure naturali omnes illos » actus qui deficiunt in valoris principio substantiali, vel hoc » omnino tollunt: et sic 1° jure naturali est irrita donatio aut » venditio rei jam antea donatæ, aut venditæ simulque tra- » ditæ; quia in hac donatione et venditione deficit principium » substantiale, scilicet potestas disponendi, et dominium, » quod per primam donationem et venditionem secuta tra- » ditione jam translatum est in primum donatarium et » emptorem. 2° Irritus est jure naturali contractus extortus » vi absoluta, aut dolo versante circa substantiam rei, quia » talis vis et dolus consensum, jure naturali ad substantiam » contractus validi requisitum, tollit. 3° Eodem jure naturali » irritum est matrimonium contractum cum impotentia per- » petua.

» *Altera regula* est, illos actus jure naturali esse irritos,

» qui eo jure illiciti sunt propter malitiam intrinsecam per-
» petuam, sive turpitudinem semper durantem; quia,
» quando valor actus est contra jus naturæ, a nemine fieri
» potest, cum jus superioris resistat. In casu autem præsentis
» regulæ valor ipse est contra jus naturæ; quia turpitudo
» ejus habet causam perpetuam et semper duraturam : igitur
» non potest valor talis actus subsistere; consequenter irritus
» erit actus. Et ex hoc capite jure naturali irritum est matri-
» monium inter consanguineos primi gradus lineæ rectæ.
» Item jure naturali irritus est contractus usurarius quoad
» usuras, quia turpitudo illius sicut in conventione, ita etiam
» in usurarum exactione et solutarum retentione semper re-
» peritur, cum semper maneat nullitas tituli, et inæqualitas
» inter datum et acceptum.

» *Ex quo sequitur*, si prohibeatur jure naturali aliquis ac-
» tus, sed ita ut nec sit illicitus ob turpitudinem intrinsecam
» perpetuam, nec deficiat in valoris principio substantiali,
» talem actum eodem jure naturali non esse irritum. Ratio
» est quia, supposita potestate agentis, capacitate materiæ,
» desitione turpitudinis et indecentiæ, concurrunt omnia re-
» quisita ad substantiam actus, quamvis ille sit aliunde pro-
» hibitus. Ergo talis actus illicitus quidem erit, non tamen
» invalidus. (*Hic post aliquod de matrimonio exemplum sub-*
» *jicit auctor* :) Item venditio secunda post primam sine tra-
» ditione factam, si res vendita secundo emptori tradatur,
» valet; quia penes venditorem tali casu remansit dominium,
» adeoque etiam potestas iterum vendendi et transferendi :
» atque insuper traditione facta secundus emptor in re empta
» et ita tradita justum titulum habet. »

CAPUT IV.

DE JURE POSITIVO DIVINO.

1. Jus divinum positivum est illud quod Deus vel Christus libere constituit. Differt proinde a jure naturali seu divino essentiali. Jus enim naturale non libere, sed necessario a Deo constituitur et imponitur. Hinc etiam patet discrimen utriusque juris quoad promulgationem : ad naturalis enim juris promulgationem sufficit naturale rationis lumen : jus autem divinum positivum non potest hoc medio dignosci. Cum enim accidentale sit, et potuerit non constitui, nisi Deus illud sive per se, sive per ministros angelos, apostolos, aut alios, externa promulgatione notum faciat hominibus, ignorabitur et nullius erit effectus.

Possunt tamen ea quæ juris naturalis sunt, præter promulgationem per lumen naturale hominibus ingenitum, promulgari etiam externo medio, prout promulgatur jus positivum divinum ; et sic propter externam promulgationem istam sub nomine juris divini positivi comprehendi solent. Hoc modo multa Deus optimus maximus populo suo Israelitico edixit juris naturalis præcepta, simul cum legibus positivi juris. Imo disputari solet, utrum ratio humana, prout est in præsenti statu ex peccato originali cupiditatibus obnubilata, jus naturale per se solam discernere valuisset, saltem quoad principia quæ non sunt omnino obvia et aliquali discursu dignoscenda sunt.

Dividitur autem jus divinum positivum in vetus et novum.

2. Jus *divinum vetus* est illud quod Deus in veteri Testamento ipse condidit et tum per angelos, tum per Moysen et prophetas electo Hebræorum populo tradidit, ut ad finem

æternæ beatitudinis per fidem in Christum venturum obtinendæ disponeretur. Continet autem triplicis generis præcepta, moralia nempe, ritualia, et judicialia; quemadmodum innuitur his verbis Deuteronomii (c. 6, v. 1) : *Hæc sunt præcepta, cæremoniæ et judicia.*

Præcepta moralia statuunt de his quæ ex natura sua sunt licita vel illicita, ut sunt præcepta Decalogi in Exodi capite 20 a numero 3 relata. « Sunt juris naturalis (ait Schmalz-» grueber, Dissert. proœm., § 3, n. 93), ac proinde immuta-» bilia et indispensabilia ; quod proinde jus naturale per jus » positivum divinum fuit repetitum et explicatum ; idque ra-» tione optima. Cum enim rationis lumen per peccatum » etiam circa moralia et naturalia præcepta valde fuerit ob-» fuscatum, et inde factum, ut de humanarum actionum » bonitate atque malitia sinistrum sæpe judicium tulerit, ne-» cesse erat per præcepta positiva et per auctoritatem legis » divinæ imbecillitati intellectus humani subveniri ad agni-» tionem illorum ; sicut per doctrinam et revelationem fidei » subvenitur homini non tantum in iis quæ rationem supe-» rant, sed etiam in his quæ de Deo naturaliter cognosci pos-» sunt, ut ex S. Thoma recte advertit Suarez (de legibus, » lib. 9, cap. 4. n. 19). »

Præcepta cæremonialia seu ritualia statuunt de cæremoniis circa cultum divinum vel propter typicam significationem, vel propter ordinem ecclesiasticum populo israelitico observandis; cujusmodi sunt quæ præcipue in Levitico de sacerdotibus et levitis, de festivitatibus variis, et de sacrificiis leguntur.

Judicialia seu forensia, ad politicum regimen et justitiæ administrationem spectant.

Ex triplici jure isto, morali nempe, cæremoniali et judiciali, remansit solummodo primum, non quatenus jus veteris Testamenti, sed quatenus jus naturale ; adeoque hodiedum ad integram obedientiam omnes obligat. Duo alia jura,

opere redemptionis nostræ per mortem Christi consummato, etiam ipsa mortua sunt, et abrogata, exceptis iis quæ a legislatore ecclesiastico denuo inducta sunt; de quibus notandum, quod jam non obligent Christianos ut lex divina, sed ut humana tantum, utpote a sola voluntate humana potestatem obligandi habentia : ita doctores communiter.

De legibus veteris Testamenti exsurgit quæstio, utrum aliquæ sint tantummodo auctoritatis humanæ, utpote auctoritate mere humana, Moysis scilicet, latæ. Sed tenendum cum S. Thoma, Bellarmino, Maldonato, Suarezio (de legibus, l. 9, c. 2, n. 14) et præcipui nominis doctoribus, omnes fuisse divinas. Quæ assertio ita certa est laudatis theologis, ut eam existiment fidei veritati valde propinquam. Ideo ergo tantum lex vetus dicitur Mosaica, non quia auctor Moyses, sed quia promulgator. (Thesis probationem vide apud Schmalzgrueber, loco citato, n. 91 et 96).

3. *Jus divinum novum* illud est quod Christus Dominus, Deus simul et homo, in novo Testamento condidit, et vel per seipsum, vel per apostolos promulgavit. Hoc jus variis insignitur nominibus, nempe : *lex fidei* (epist. S. Pauli ad Rom. 3, 2); *lex spiritus vitæ* (ibid., 8); *lex gratiæ,* juxta illud sancti Joannis, *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est;* item *lex amoris,* et *lex libertatis,* et *lex nova.*

Ad jus illud pertinent præcepta de fide, spe et charitate, de dilectione inimicorum, de ritibus substantialibus sacrificii et sacramentorum, et quæcumque ex ore Christi excepta apostoli tradiderunt. Quorum alia, ut patet, moralia sunt, et ad jus etiam naturale pertinentia, alia cæremonialia. De instituendis autem et regulandis judiciis, licet Ecclesiæ suæ legislativam potestatem Christus dederit, ipse tamen leges nullas tulit : unde quæ exstant leges hujusmodi canonico tantum juri, non divino adscribi solent.

Circa jus divinum novum quæstiones quasdam movent

canonistæ et theologi. *Primo.* — An omnia præcepta quæ apostoli nobis tradiderunt, divina sint? — Negant plures theologi (inter quos Schmalzgrueber, dissert. proœm., § 3, n. 101). Nam præter missionem suam tradendi et transmittendi præcepta ex ore Christi accepta, donati sunt apostoli potestate legislativa, vi cujus potuerunt leges mere ecclesiasticas ex seipsis statuere; unde præcepta apostolica de observanda die dominica, de jejunio quadragesimali, etc., ad jus humanum ecclesiasticum referri posse videntur. Idque etiam dici potest de præcepto non ordinandi homicidam et bigamum, licet in sacris Scripturis sic expresso : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, non percussorem* (I ad Timoth. 3, v. 2).

Secundo. — Utrum Christus præceptis moralibus aliquid addiderit ultra id quod habebant ex jure naturali et in veteri lege? Quam controversiam vide apud Schmalzgrueber (loco citato, n. 104).

Tertio. — Inter leges cæremoniales quarum usus in Ecclesia Christi est, quænam ad jus positivum divinum pertineant? — Docet Suarez (de legibus, l. 10, c. 2, n. 17) ea quæ pertinent ad substantiam sacrificii et sacramentorum a Christo ipso fuisse determinata; cætera autem ad ritus sacros pertinentia fuisse potestati legislativæ Ecclesiæ permissa.

CAPUT V.

DE JURE GENTIUM NOTIO.

« Jus gentium, ait Reiffenstuel (proœmium, § 2, n. 30)
» dicitur illud quo omnes gentes vel ferme omnes utuntur...
» Notandum tamen quod jus gentium per juris interpretes
» passim duplex assignetur, primarium videlicet et secunda-
» rium. Jus gentium primarium coincidit cum jure naturali

» proprie dicto, estque illud quod naturalis ratio inter omnes
» gentes constituit, quodque mentibus hominum a Deo na-
» turaliter inditum est, et ab omnibus populis custoditur.
» Jus gentium secundarium, quod et jus gentium propriè
» dictum... appellant, dicitur illud quod ex naturali quidem
» ratione proficiscitur, non tamen simpliciter ex solo rationis
» instinctu nobis est inditum ; sed necessitate humani con-
» victus sic exigente..., inter omnes vel ferme omnes gentes
» ipso usu atque moribus constitutum est. »

Exempla quædam juris hujus exhibet canon *jus gentium* distinctionis 1, illis verbis : « Jus gentium est sedium occu-
» patio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes,
» postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violan-
» dorum religio, conjugia inter alienigenas prohibita : hoc
» inde jus gentium appellatur, quia eo jure omnes fere gen-
» tes utuntur. »

Porro *gentium* appellatione non intelliguntur quotquot extant gentes in orbis ambitu, sed eæ tantum quæ in vita et moribus honestatis studium atque peritiam profitentur; unde non comprehenduntur gentes barbaræ et incognitæ.

Notionem de jure gentium accuratius et fusiori stylo tradidit Pichler (Jus canonicum, Prolegomena, n. 17) : « Scien-
» dum, ait, 1° homines tripliciter considerari posse : primo,
» quatenus sunt creaturæ rationales; et sub hac ratione re-
» guntur *jure naturali*. Secundo, quatenus sunt cives seu
» membra alicujus communitatis particularis, nempe hujus
» vel illius principatus, aut reipublicæ ; et sub hac ratione
» reguntur *jure civili* proprio tali principatui vel reipublicæ.
» Tertio, quatenus sunt cives seu membra totius communi-
» tatis humanæ ; et sub hac ratione regendi sunt *jure gen-*
» *tium*, ad felicitatem per commercium populorum gentium-
» que omnium ordinato. Siquidem populi, utut in varias
» provincias divisi, retinent aliquam unitatem societatemque
» moralem et politicam inter se, fundatam in præcepto na-

INSTITUT DE LIBRI

» turali mutui amoris et auxilii. Neque enim natura, licet li-
» beralis, ullam gentem tot prærogativis ac tantis divitiis
» instruxit, ut ei ad completam felicitatem nihil deesset ; sed
» bona ac dona sua ita provide distribuit, ut gentes singulæ
» juvamen et præsidium mutuum ab aliis quærere cogeren-
» tur, vel necessitate vel utilitate urgente. Et hinc opus est jure
» quo gentes in ordine ad hoc mutuum commercium dirige-
» rentur, mediante aliqua conventione vel expressa vel tacita
» omnium aut saltem plurium gentium. Ex hac conventione
» consurgens jus appellatur jus gentium; cujus obligatio qui-
» dem non inducitur ab ipsis gentibus, vel singulis, vel
» universis (cum in seipsas potestatem non habeant legislati-
» vam, sed singulæ sunt supremæ potestates, nec aliis seu
» simul seu seorsim sumptis subjectæ), sed inducitur et
» proxime fundatur in illo principio juris naturalis, *fides data*
» *est servanda.* Fidem autem dederunt gentes, dum conve-
» nerunt vel expressis verbis in quædam mutua commercia,
» vel tacite moribus et usu constanti : ex tali enim praxi et
» usu satis colligitur animus introducendæ et retinendæ
» obligationis, præsertim si data occasione provocent ad ta-
» lem consuetudinem velut ad jus sibi commune, aut con-
» querantur jus gentium esse violatum ab illo populo, qui
» contra talem praxim agere deprehenditur. »

« Sciendum 2°, jus gentium aliud esse proprie tale, aliud
» improprie. Jus gentium *proprium* est quod inter gentes qua
» tales receptum est cum obligatione mutua. Hujus exempla
» sunt primo, jus legationum, vi cujus admittuntur legati et
» admittuntur incolumes. Secundo, jus belli, ad vindicandam
» injuriam vel damnum ab alio populo illatum, vi cujus bel-
» lum debet solemniter denunciari per fecialem, antequam
» inchoetur ; nec etiam durante illo fontes aut instrumenta
» bellica veneno inficienda sunt, nec hostis per sicarium
» subornatum occidendus : rerum autem in bello captarum
» acquiritur dominium, uti et impunitas propter cædes et

» deprædationes, in bello etiam injusto factas. Tertio, fœdera
» pacis et induciarum cum rationabiliter petuntur. Quarto,
» jus servitutis, vi cujus homines in bello justo captos et ser-
» vatos pro servis habere licet. Quinto, jus commercii
» quæstuosi apud exteras et non hostiles nationes exer-
» cendi. Sexto, jus sepulturæ, vi cujus cadavera terræ man-
» dari debent.

» *Improprium* dicitur, quod receptum est inter gentes...
» citra obligationem mutuam ; uti : primo, usus panis pro
» cibo : secundo, constructio ædium : tertio, munitio civita-
» tum : quarto, rerum divisio seu dominiorum distinctio :
» quinto, contractus non pauci, ut emptio, venditio, locatio,
» conductio, etc., et plerique modi acquirendi. Quæ leges,
» licet apud plures gentes observentur, quia tamen pro fine
» non habent communem plurium nationum felicitatem,
» mutuam inter illas obligationem non indicunt; et ideo
» non proprie sunt jus gentium, sed potius jus civile, quia
» obligationem solum pariunt inter membra particularium
» communitatum : vocantur tamen abusive jus gentium,
» quia a pluribus populis observantur : forsan non male
» istud vocaveris jus gentium *permissivum*, sicut illud prius
» proprie dictum *præceptivum*.

» Dico 1°, Jus gentium proprie dictum... sic definiri posse :
» est jus quo gentes qua tales, mutua obligatione, ex con-
» sensu tacito vel expresso sibi imposita, consociantur in
» ordine ad ea quæ ad communem earum felicitatem et com-
» mercium pertinent. Seu : est jus ab hominibus pro com-
» modo humani commercii inventum. Etsi enim jus naturale
» suggerat regulas non paucas dirigendis gentium commo-
» dis proficuas, illæ tamen nimis generales sunt, et ideo ab
» ipsis gentibus, saltem communi usu et consuetudine magis
» determinandæ, mutua sibi obligatione imposita, a qua
» alias per se forent liberæ. Unde

» Dico 2° : Hoc jus gentium distinguitur a jure naturali, et

» est libero gentium consensu introductum. Probatur ab
» inductione eorum quæ juris gentium esse cum communi
» doctorum sensu diximus. Sic jus legationum, etsi ingen-
» tem præ se ferat æquitatem naturalem, tamen stando in
» principiis naturæ potuisset quælibet gens secum sola vi-
» vere, neque per legatos cum aliis communicare. Sic licet
» valde conveniens sit bellum indicere per fecialem, fontes
» et arma non infici veneno, hostem non occidi per sicarium,
» tamen hæc absolute necessaria non sunt, et stando in
» principiis naturæ licitum est in bello justo adhibere omnia
» media quæ serviunt ad frangendam hostis, vel inique
» damnum inferentis proterviam, saltem si injusta damnifi-
» catio aliter sisti vel arceri nequeat, modo perfidia non in-
» terveniat. Ergo jus gentium a naturali distinctum et libera
» populorum voluntate introductum est.

» Quæres in quibusnam jus gentium differat a jure natu-
» rali? Respondeo, in sequentibus : 1° Quia ortum habet a
» libera gentium voluntate, jus vero naturale a Deo huma-
» næ naturæ conditore. 2° Quia non obligat omnes omnino
» gentes, sicut jus naturale, sed solum illas apud quas vel ex-
» pressa voluntate receptum est, vel usu et consuetudine in-
» valuit. 3° Quia quæ præcipit non intrinsece honesta, et quæ
» vetat non intrinsece inhonesta sunt, uti tamen quæ præcipit
» et vetat jus naturale. 4° Quia quandoque malum permittit ut
» et humanæ fragilitati condescendat, jus vero naturale nun-
» quam. 5° Quia promulgatur per usum et praxim gentium or-
» dinarie, jus vero naturale per adeptionem usus rectæ ratio-
» nis. 6° Quia mutabile est, et tolli potest saltem mutuo gentium
» consensu... Id tamen verum est quod jus gentium proprium
» ab una sola gente pro libitu et directe mutari nequeat...

» Dico 3° : Existit tale jus gentium paulo ante descriptum.
» Probatur 1° Ex communi gentium sensu, ad jus gentium
» sæpe provocantium, ut patet ex historiis; 2° Ex communi
» consensu doctorum, ut patet ex libris; 3° Ex ratione, quia

» datur jus quo gentes consociantur ad ea quæ pertinent ad
» earum felicitatem ut patet ex allatis exemplis; sed hoc jus
» vocatur *jus gentium*, ergo. »

« Necesse tamen non est ut omnes simpliciter gentes
» conspirent, modo aliquæ magis moratæ ita consocientur.
» Et hinc barbaræ nationes, quas nunquam consensisse facta
» contraria probant, jure gentium non obligantur. »

CAPUT VI.

DE JURE CIVILI NOTIO.

Addiscendæ canonum scientiæ danti operam, non utilis tantum, sed et necessaria est aliqualis de jure civili notio. Plures enim leges civiles fuerunt ab Ecclesia canonizatæ, id est, tanquam leges canonicæ ab ipsa receptæ et universitati fidelium impositæ. Occurrit præterea frequens apud canonistas ad corpus juris civilis recursus, ut disciplinam ecclesiasticam illustrent, et doctrinam suam de pluribus magni momenti materiis fulciant. Utuntur et hæretici monumentis juris civilis, ut prava sua placita contra veram Christi Ecclesiam urgeant; quorum confutandis erroribus impar erit, quicumque summaria saltem de jure civili notione viam sibi non patefecerit ad detegenda in fontibus ipsis fraudulentarum conclusionum commenta. Cæcutiat præterea necesse est circa disciplinæ ecclesiasticæ genuinam historiam et indolem, qui, mutuo sese per multa sæcula compenetrante legislatione civili et ecclesiastica, nesciverit de utraque prudens judicium instituere, et utrique propria vindicare.

« Hinc pauca hic de jure isto tradere non abs re fore exis-
» timavimus; nam, ignorari illa a canonista (ait Pichler,
» Proleg. n. 30), cui ingens commercium cum jure civili in-
» tercedit, turpe, imo noxium foret. »

§ I.

Juris civilis definitio.

« Jus civile sic potest definiri : est jus positivum auctori-
» tate principis vel magistratus sæcularis conditum ad poli-
» ticam reipublicæ civilis gubernationem, pacem, salutem-
» que temporalem civium promovendam et conservandam
» immediate ordinatum. » (Pichler, Jus canonicum, Prolegomena, n° 24.)

Jus civile, juxta Schmalzgrueber (Dissert. proœmialis, § 6, n° 146), proprie accipitur « pro jure positivo, quod ex-
» presso legislatoris consensu pro certa republica in ordine
» ad finem temporalem ordinatum est. »

Describunt auctores illi jus civile in stricto sensu. Nam lato quodam sensu jus civile aliquando dicitur omne jus quo utuntur cives, et sic comprehendit etiam jus naturale et jus gentium.

Peculiari etiam et improprio sensu jus civile onomastice vocatur jus romanum, quod nempe plurimas gentes per plura sæcula hoc jus rexerit.

§ II.

Partitio in varias species.

1° Dividitur in publicum et privatum.

Jus publicum vocant illud, quod ad publicam seu communem omnium utilitatem immediate est constitutum.

Jus privatum illud est, quod immediate et directe respicit privatam civium utilitatem, et mediate tantum utilitatem publicam. Leges, verbi gratia, quæ determinant formam gubernii et magistratuum officia et jurisdictionem, pertinent ad jus publicum, quia immediate tendunt ad utilitatem

communem totius reipublicæ. Leges vero quæ determinant jura civium, non quatenus gerunt officia publica, sed quatenus sunt tantum privati cives, ad jus privatum pertinent.

« Nempe, ait Schmalzgrueber (loco citato, n° 149), quæ » lege publica sanciuntur, in executione primo in utilitatem » publicam redundant, ac per consequentiam in singulos » diffluunt, ut adeo in jure isto bonum publicum sit finis » immediatus tam intentionis quam executionis. Contra, » jura alia, licet ultimo intendant bonum commune, in exe- » cutione tamen prius ad utilitatem singulorum, dein per » consequentiam ad reipublicæ totius commoda, quatenus » hæc per bonum statum singulorum promoventur, dima- » nant. »

2° Jus privatum subdividitur in jus *commune* et jus *particulare*. Jus commune est illud quod viget in tota aliqua republica; jus autem particulare illud est quod in una tantum provincia aut civitate reipublicæ viget. Ad jus particulare pertinent, jus *municipale* seu proprium alicui urbi, jus *militare* quod est regendo corpori militiæ proprium, *statuta* quibus tum universitates et collegia, tum mercatores, tum alii civium ordines aut societates reguntur, etc.

3° Iterum jus civile dividitur in *scriptum*, seu expressa sanctione in republica viventibus latum, ac promulgatum; et *non-scriptum*, quod non auctoritate publica expressa præceptum, sed moribus solum utentium receptum est et tacite comprobatum.

4° Distinguebant etiam olim a jure civili proprie dicto, *jus prætorium*, quod nempe prætores introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam; quod et *honorarium* dicitur, ad honorem prætorum sic nominatum.

§ III.

Juris civilis romani formatio.

Initio, ut traditur, populus romanus a Romulo Urbis conditore et primo rege, sine lege certa et definito jure, pro arbitrio regebatur.

Aucta dein civitate, et populo in 30 partes diviso, quæ curiæ appellatæ sunt, ab ipso Romulo, civibus per 30 suas curias convocatis, certæ leges, *curiatæ* propterea dictæ, sancitæ sunt; quas postea Numa Pompilius et cæteri ejusdem successores auxerunt, unde et *regiæ* vocatæ sunt. Eas temporibus Tarquinii in unum volumen collegit Sextus Papirius, quæ collectio propterea *juris civilis Papiriani* nomen induit.

Expulsis regibus, sublatæ sunt et leges istæ, iterumque aliquandiu populus Romanus incerto jure, consuetudinis tantum vago dictamine directus est. Quod cum tranquillitati publicæ haud parum noceret, decretum est mittendos idoneos viros qui de extranearum gentium legibus optima quæque colligerent. Missi ergo ad hunc finem in Græciam viri decem. Qui reversi mutuatas a Græcis leges in certum ordinem intra anni spatium disposuere; et facta omnibus inspiciendi et censendi potestate, leges sic dispositæ eboreis, aut (ut ferunt alii) æreis tabulis decem incisæ sunt. Quibus cum aliquid deesse animadverteretur, duæ aliæ tabulæ sunt additæ. Et hæ sunt famosæ illæ *duodecim tabularum* leges, quas Livius (l. 3, c. 34) fontem omnis publici privatique juris et absolutum corpus omnis romani juris appellat; et Cicero, sub persona Crassi (l. 1, de Oratore) omnibus philosophorum bibliothecis anteponit.

Duodecim tabularum legibus non omnes comprehendi casus temporis successu animadversum est; unde ipsis ad-

jectæ sunt jurisconsultorum quædam interpretationes quæ *jus civile* communi nomine dictæ sunt. Hæ quidem interpretationes per se vim juris non habebant; tacito tamen consensu abierunt in mores.

Dein ad determinandum modum procedendi in judiciis præscriptæ sunt solemnes formulæ quæ *actiones legis* seu *legitimæ actiones* dictæ sunt.

Supervenerunt *plebiscita,* seu sancita plebis.

Addita *senatusconsulta,* id est jussa et ordinationes senatorum.

Secuta *edicta prætorum* qui juri dicundo præerant, quod et jus honorarium vocatum est.

Postquam respublica romanum in imperium mutata est, supervenerunt juri *constitutiones* seu *placita* principum.

Principes autem jurisconsultis licentiam respondendi solemniorem concesserunt, et hinc *responsa prudentum,* a quibus judici recedere non licebat.

Memoratis juribus cum successu temporis alia et alia semper accederent, in immensum excrevit eorum moles; adeo ut duo pene millia librorum implerent.

Reductionem jam meditatus erat Julius Cæsar; sed facta est tantum sub Adriano imperatore, qui edicta prætorum in unum volumen congesta *edictum perpetuum* vocavit. Edictum hoc commentariis illustrarunt Papirianus, Ulpianus, Paulus, Gaius, Scævola et alii jurisprudentiæ historia celebres.

Promulgatæ postea ab Augusto et successoribus variæ constitutiones, quæ a Gregorio et Hermogene collectæ, *codices Gregorianus* et *Hermogenianus* dictæ sunt.

Anno Christi 401 imperator Theodosius minor constitutiones principum, præcipue christianorum, uno volumine est complexus, qui *codex Theodosianus* vocatur.

Tandem imperator Justinianus, anno Christi circiter 533, jus universum, ex tanto librorum numero in certum quod-

dam corpus variis libris distinctum redegit; et hæc est celebris illa collectio quæ hodiedum sub nomine *Corporis juris civilis romani* præ omnium jurisperitorum manibus extat. Compilatores fuere Trebonianus, Constantinus, Theophilus, Dorotheus, et alii præclariores jurisconsulti, quorum nomina referuntur, lege *Tanta* 2, § *Quæ omnia*, C. *de veteri jure enucl.*

Mortuo Justiniano, non parum imminuta est collectionis hujus auctoritas; sed crescere iterum visa est duodecimo seculo; quo tempore cum Bononiæ et alibi deinceps publice in schola explanaretur; recipi in foro per Italiam cœpit. Quem usum sæculo decimo tertio Gallia et Hispania subsecutæ sunt. Ad Germaniam autem an extensum fuerit jus illud jam tempore Lotharii imperatoris, id est sæculo duodecimo, an tantum sæculo decimo quinto, disputant eruditi.

Hujus ergo collectionis cum frequens sit usus in jurisprudentia etiam canonica, quibus partibus constet, et qua ratione ordinetur et allegari soleat, nunc breviter est adnotandum.

§ IV.

De corpore juris civilis romani.

Corpus juris civilis quatuor præcipue partibus constat : 1° Digestis seu Pandectis; 2° Institutionibus; 3° Codice; 4° Authentico seu Novellis. His additi sunt longo post Justinianum tempore duo libri de Feudis.

1° Quid Pandectæ seu Digesta et quomodo allegari soleant. — *Pandectæ* græcum nomen, compositum à πᾶν, *omne*, et δέχομαι, *capio*, huic civilis juris parti videtur fuisse inditum, quod omne jus antiquum comprehendat. Appellantur etiam *Digesta*, eo quod quæ hac in parte continentur, confusa prius, in ordinem quemdam et lucidiorem

formam digesta sint, id est, disposita. Quandoque etiam Pandectæ vocantur *Codex juris enucleati*, cujus nominis ratio fuisse videtur, quod ibi negotiorum definitiones et divisiones et tota juris ratio enucleate magis quam in cæteris partibus exhibeantur.

Desumptæ sunt Pandectæ ex veterum jurisconsultorum libris, et immensis antiquæ jurisprudentiæ voluminibus. Compilatores autem Justinianei, non prout exstabant textus antiquos retulere, sed pro arbitrio aut adjecerunt aut detraxerunt. Novam hanc redactionem fecit imperator suam, atque auctoritate ita munivit, ut jam in judiciis antiquos textus, si quid contrarii haberent, sequi aut etiam allegare illicitum fecerit.

Complectuntur Pandectæ 50 libros, in triplicem classem distributos. Prima classis, nempe a libro 1 usque ad 24 inclusive, vocatur *Digestum vetus*, quod cæteras partes antecedat. Secunda, nempe a libro 25 ad 38 inclusive, vocatur *Digestum infortiatum*, quod medium sit vetus inter et novum Digestum, et simul fortiores leges contineat; quasi diceretur *inter* utrumque *fortia*. Tertia classis, reliquos nempe 12 libros continens, nuncupatur *Digestum novum*.

Modus citandi Pandectas triplex est, nempe vel per duplicem litteram f, hoc modo, ff; vel per litteram græcam π, quæ est initialis vocis πανδέκται; vel per majusculam D quæ est initialis vocabuli *Digestum*. Signum ff, frequentius adhibitum, forte invaluit ex inscitia vel incuria librariorum, id est, libros ante inventionem typi describentium, qui pro græca littera π, substituerunt duplicem f. Linea enim transversalis quæ claudit litteram π, si tantisper a summitate demittatur efficit ff., ex quo errorem irrepsisse putat eruditus Sarnelli.

Integra autem citatio sic fit. Primo loco ponitur littera l, id est, lex : deinde initium vel numerus legis, vel initium et numerus simul : tum additur ff, vel π, vel D, ad indican-

dum legem hanc inveniri in Pandectis seu Digesto : demum ponitur titulus libri, seu rubrica. Si, verbi gratia, citanda sit lex quæ incipit his verbis, *jus publicum*, quæ est 38 libri cui titulus *de pactis*, his tribus modis recte fiet allegatio : l. jus publ. 38, ff. de pactis — l. jus publ. ff. de pactis — l. 38, ff. de pactis — potest autem, ut dictum est, signo ff substitui littera π aut D.

Quando autem lex alleganda longior est et divisa in paragraphos, indicari solet insuper in qua parte legis verba citata inveniantur; nempe si invenientur in principio, ponitur signum *pr.*; si infra, ponitur signum §, id est paragraphus cum suo numero; quæ paragraphus si ipsamet longior sit, indicatur versus seu phrasis per sua verba initialia, præmissa littera V. Ad allegandum, exempli gratia, phrasim quæ incipit *in rem*, ex lege quæ incipit *juris gentium*, quæ lex est septima libri de pactis, sic scribi potest : l. juris gentium, 7, § 8, V. in rem, ff. de pactis.

2° Quid institutiones et quomodo allegari soleant. — *Institutiones*, quæ et *Instituta* vocantur, sunt juris compendium quoddam, ex variis antiquorum institutionibus, præcipue ex Commentariis Caii, et aliis fontibus, in hunc scopum concinnatum, *ut* (quemadmodum ipse Justinianus imperator declarat in proœmio), *sint totius legitimæ scientiæ prima elementa*. Digestis sunt compositione posteriores, promulgatione autem priores; nam in publicum editæ sunt II calendas decembris anni 533, Pandectæ autem 25 diebus postea.

Dividuntur in 4 libros et 99 titulos. Liber primus tractat de personis; secundus et tertius usque ad titulum 14 inclusive, de rebus; in reliquo agitur de obligationibus ex contractu, de delictis et judiciis. Quæ materiarum distributio in tam antiquo et celebri opere, non videtur parum in causa fuisse, cur canonistarum multi eumdem ordinem in exponendo jure ecclesiastico inducendum existimaverint. Is enim

distribuendi ordo visus est ipsa materiarum natura suggeri : *personis* scilicet, ait Pichler, jus redditur de *rebus*, per *actiones*. (Prolegomena, n. 25.)

Allegantur autem Instituta hoc modo : primo loco citatur paragraphus per voces initiales, aut per numerum, aut per voces initiales, et numerum simul : dein indicantur Instituta sic, *Instit.*, vel per unicam litteram I : tum adducitur titulus. Verbi gratia : § *Inter eas* 2. *Instit. de nuptiis*.

3° Quid Codex et quomodo allegari soleat. — Ante Justinianeum Codicem exstabant tres præcipui Codices, Gregorianus, Hermogenianus et Theodosianus. De Gregoriano et Hermogeniano hodie fragmenta tantum aliqua supersunt. Theodosii autem junioris Codex fere integer superest, atque ex eo tanquam ex præcellenti monumento historico canonistæ et theologi argumenta depromunt. Justinianus in jure dicendo illius usum prohibuit. Hic de Codice tantum Justinianeo agimus.

Duplex autem Justiniani imperatoris Codex distinguitur, *primæ* scilicet, et *secundæ* seu *repetitæ lectionis*. Priorem anno Christi 529, imperii sui 3, promulgaverat; et de hoc in *Institutis* sæpius mentio fit. Codex ille periit. Posteriorem, *secundæ* nempe seu *repetitæ lectionis* vulgavit anno Christi 534, atque solum in posterum servari voluit. Pars est Corporis juris civilis; et de hoc ultimo agitur quando *Codex* a jurisconsultis citatur.

Dividitur in 12 libros, quorum tamen tres ultimi diu post adjecti sunt, nec solent in scholis explicari. Materiarum autem ordo fere is est qui in Pandectis et Institutionibus.

Quando citanda est lex ex Codice, ponitur primo *l*, id est lex : postea initialia verba legis, vel ejus numerus, vel utrumque simul : tum scribitur majuscula littera C. indicans Codicem, quæ littera primo loco etiam sæpius collocatur. Si vero lex divisa sit in paragraphos, idem servatur ac pro Pandectis. Hoc tamen peculiare est et attendendum : si

agatur de tribus ultimis libris post Justinianum, ut dictum est, adjunctis, debere numerum libri enuntiari : Verbi gratia : *l. omnes profugi*, 8, §. *Cæterum, C. de agricolis, l. II*

Codici etiam adjectæ sunt quædam constitutiones Frederici imperatoris sub titulo *Authenticarum Frederici.*

Item plures aliæ *Authenticæ* a jurisconsulto Irnerio sive Wernero anno 1137, quæ auctoritatem legis non habuerunt, et quæ sic citari solent : *Authent. bona damnatorum, C. de bonis proscriptorum.*

4° Quid Novellæ seu Authenticum, et quomodo allegari soleant. — *Novellæ*, prout nomen indicat, sunt novæ constitutiones quas imperator Justinianus, promulgatis jam Pandectis, Institutis et Codice, ad supplendum vel corrigendum successu temporis ediderat, et quas peculiari volumine collectas voluit. Vocatæ sunt *Authenticum*, ad differentiam epitomes quam ex Novellis abbreviatis confecit Julianus Patritius. Id enim ex quo depromuntur transcriptiones seu copiæ, seu excerpta, relative ad transcripta et ad differentiam illorum, *Authenticum* dici solet, ob potiorem ejus auctoritatem.

Novellæ vocantur etiam *jus novissimum*. Continent novem *authenticas collationes*, quæ distinguuntur in titulos et capita.

Citantur autem per majus N., vel etiam sic : *In authentico.* Verbi gratia : *In authentico, de testibus* 90, *cap. sancimus autem, collat.* 7. — Brevius autem, *nov.* 118, *c.* 2. *V. Si autem.*

His quatuor partibus clauditur proprie dictum juris civilis Corpus.

5° Extra autem habentur duo libri Feudorum in titulos et capita divisi et ex moribus Longobardorum præcipue introducti.

SECTIO II.

DE RECTA JURIS CANONICI NOTIONE.

Quæ in præcedenti sectione discussa sunt, ad tractatus hujus objectum proprie non pertinere facile potuit lector animadvertere. Erat tamen ad intelligentiam sequentium aliqua de his notio præmittenda; at cursim et parce, ne extra scopum vagari videremur. Nunc vero limen ipsum institutionum canonicarum attingentes, expendendis atque penitus introspiciendis quæstionibus nos decet sollicitius immorari.

Atque imprimis de natura juris canonici recte sentire eo majoris momenti est, quod ab ipsa juris hujus subdola definitione, fallacis suæ atque venenatæ doctrinæ auctores non pauci, a sancta Sede merito damnati, exordia desumant.

CAPUT I.

DE JURIS CANONICI DEFINITIONE.

Ad discernendam genuinam de jure canonico notionem, expendemus, 1° quibus nominibus in recepto ecclesiastico stylo donari soleat; 2° quomodo communius illud definiant probati auctores; 3° an recta sit definitio quæ non solos Romanos Pontifices, sed et episcopos pro auctoribus juris canonici habet; 4° quomodo definiendum videatur.

§ I.

Ejus varia nomina.

1° Dicitur jus *canonicum*, a voce græca κανών, quæ cor-

respondet voci latinæ *regula;* ideo nempe quia constat regulis quas Ecclesia proponit et statuit ad dirigendas actiones christiani populi, in ordine ad felicitatem æternam. Hoc equidem nomine rigorose loquendo jus canonicum non distingueretur a jure civili, neque ab aliis; cum jus quodlibet constet legibus, et leges nihil aliud sint quam canones sive regulæ ad dirigendam hominum agendi rationem, ac proinde omne jus sit canonicum. Nihilominus ob quamdam eminentiam jus ecclesiasticum antonomastice hoc titulo tanquam proprio insignitur; nec sinit usus *canonicum* vocari jus aliud quam ecclesiasticum.

2° Nuncupatur *jus sacrum,* quam denominationem trahit, tum ab auctore suo, qui est persona sacra, nempe Christus, et ecclesiastica potestas ab ipso instituta : tum a materia de qua tractat; versatur enim circa materias sacras : tum a fine; dirigit enim ad finem sacrum, nempe bonum spirituale fidelium et æternam beatitudinem.

3° Etiam *jus divinum* aliquando vocatur; cujus nomenclationis rationem esse existimat Schmalzgrueber, « non » quod vere divinum sit (est enim mere humanum et ab » homine conditum), sed quia vel continet quædam excerpta » ex sanctis litteris..., vel quia canones instinctu et dono » aut gratia Spiritus sancti dictati sunt, vel quia sunt con- » clusiones deductæ ex principiis legis divinæ, vel denique, » quia jus istud a Pontifice, tanquam Christi in terris vi- » cario.... divina potius auctoritate est constitutum. » (Dissert. proœmialis, § 7, n. 231.) Hoc nomine designatum jus canonicum invenimus in libro sexto decretalium (c. *Cum de diversis,* 2 de privilegiis) : « Providimus quod ibidem de » cætero regatur et vigeat studium juris divini et humani, » canonici videlicet et civilis. »

4° Appellatur etiam *jus pontificium,* utpote per summos Pontifices Christi in terris vicarios pro bono regimine Ecclesiæ universalis, ac spirituali fidelium salute institutum, col-

lectum vel approbatum, a quorum proinde voluntate et auctoritate vim legis et juris habet.

5° Tandem vocatur *jus ecclesiasticum;* idque tum ratione materiæ, quia agit de rebus et personis ecclesiasticis, quæ præcipue hoc jure reguntur; tum ratione originis, quia nimirum auctoritate ecclesiastica constitutum et confirmatum est.

§ II.

Quorumdam auctorum definitiones.

Schmalzgrueber : « Jus canonicum definiri potest : *Jus* » *positivum, quod a summis Pontificibus constitutum vel ap-* » *probatum, Ecclesiæ traditum, fideles proxime ad cultum* » *divinum, pacem et justitiam christianam conservandam;* » *ultimato autem ad æternam beatitudinem tanquam ad ulti-* » *mum finem consequendum dirigit.* Ita quoad rem omnes. » Dicitur 1° *jus positivum,* quia auctoritate summorum Pon- » tificum latum est, qui cum in Ecclesia Dei supremi prin- » cipis locum obtineant, ad eos spectat universales leges » Ecclesiæ condere. Dicitur 2° *constitutum,* id est, latum et » legitime promulgatum per decretales epistolas, rescripta » et constitutiones summorum Pontificum. Dicitur 3° *vel* » *approbatum,* quia in jure canonico quædam sunt de- » sumpta ex decretis conciliorum tum generalium, tum » provincialium, ex placitis principum sæcularium, et ex » sententiis sanctorum Patrum, quibus nisi accedat aucto- » ritas summi Pontificis et hujus approbatio, vim legis seu » juris canonici non habent. Dicitur 4° *fideles,* quia qui extra » Ecclesiam sunt, non subjiciuntur regulariter huic, juxta » Apostolum (I Cor. 5, 12), *quid mihi de iis qui foris sunt* » *judicare?* Hinc infideles pœnis spiritualibus non sunt coer- » cendi, licet corporalibus subjici possint, si quæ prohibita » illis, aut in opprobrium Christianæ religionis faciant...

» Dicitur 5° *proxime ad cultum divinum*, etc., quibus verbis » indicatur finis tum proximus, tum ultimatus et princi- » palis juris canonici. » (Schmalzgrueber, Dissert. proœmialis, § 7, n. 232.)

« Jus canonicum, ait Pichler (Jus can., Prolegomena, n°32), » sic potest describi : Est jus positivum a summis pontificibus » Ecclesiæ catholicæ nomine traditum, vel constitutum, vel » approbatum, quo actiones et mores christianorum ad cul- » tum divinum..., ad pacem et justitiam in populo fideli » conservandam et augendam, ultimate vero ad finem su- » pernaturalem æternæ beatitudinis diriguntur. »

Pirhing : « Jus canonicum sic definiri potest, ex Gregorio » Tolosano (Partit. jur. can., lib. I, tit. 2, c. 2) et Lancelotto » (c. 1) : *Jus positivum quod a summis pontificibus Ecclesiæ » catholicæ traditum, constitutum vel approbatum, actiones » fidelium seu christianorum proxime ad divinum cultum, ad » pacem et justitiam christianam (quæ in puritate fidei et mo- » rum honestate, seu mandatorum Dei et Ecclesiæ observatione » consistit) in populo christiano conservandam et augendam, » ultimate vero ad finem æternæ beatitudinis dirigit.* Dicitur » 1° jus positivum, quia auctoritate summorum Pontificum » latum est, qui cum in Ecclesia Dei principis locum obti- » neant, ad eos spectat universales leges Ecclesiæ condere. » Dicitur 2° traditum, quia quædam juri canonico inserta » sunt quæ ex SS. Scripturis sunt excerpta, et in universali- » bus conciliis repetita... Dicitur 3° constitutum, nempe per » decretales epistolas, rescripta, constitutiones summorum » Pontificum. Dicitur 4° vel approbatum; nisi enim iis quæ » posita sunt in jure canonico accedat auctoritas et approba- » tio summi Pontificis, vim legis seu juris canonici non ha- » bent. Dicitur 5° actiones fidelium seu christianorum, quia » regulariter infideles... Papæ aut juri canonico non subji- » ciuntur... Dicitur 6° proxime ad divinum cultum, etc., » quibus verbis indicatur finis tum proximus, tum ultimatus

» et principalis juris canonici. » (Jus can. proœmium, § 3, n° 15.)

§ III.

Utrum recta sit definitio quæ jus canonicum tribuit non solis romanis Pontificibus, sed generatim primis Ecclesiæ pastoribus, id est Episcopis?

Pronotanda. — 1. Leges ecclesiasticæ aliæ sunt communes, quæ ligant universitatem fidelium; aliæ sunt speciales, quæ ligant tantum aliquam fidelium partem : hincque plures auctores jus ecclesiasticum in *commune* et *speciale* non immerito dividunt.

2. Certum est summum Pontificem, cui commissa a Christo est cura et potestas regendi et pascendi universos fideles, ferre posse tum leges quæ ligent universos, tum leges quibus determinata tantum quædam pars fidelium subjiciatur.

3. Certum est pariter nullum alium prælatum ecclesiasticum seorsim sumptum posse leges ferre quæ universam Ecclesiam obligandi vim habeant. Quilibet enim prælatus Papa inferior, cujuscumque dignitatis sit, non habet nisi jurisdictionem limitatam ad certos subditos aut ad certa loca; quos ultra limites nullus ei subjicitur, nec proinde legibus ejus ligari potest.

4. Certum est ejusdem conditionis esse congregationes quaslibet prælatorum, concilio œcumenico inferiores; eadem scilicet ratione, quod hujusmodi congregatio quælibet nonnisi limitata jurisdictione polleat.

5. Sed et concilii œcumenici (vi potestatis ordinariæ) dicendum est non vigere decreta, priusquam a summo Pontifice approbata fuerint et confirmata (1).

(1) Extraordinarie, id est in casu Papæ dubii, valent per se sola concilii œcumenici decreta quædam, ea nempe, quæ ad providendum de Papa certo sanciuntur.

6. Observandum præterea ex usu apud jurisperitos generaliori, jus canonicum sensu quodam stricto nuncupari eas tantum leges, quæ ab auctoritate ecclesiastica supremam et universalem jurisdictionem habente sancitæ sunt; non vero leges, quæ a prælato inferiori intra fines jurisdictionis suæ, verbi gratia, ab Episcopo in sua diœcesi, feruntur. Sicut nec sub denominatione juris civilis comprehendi solent statuta particularia inferiorum magistratuum in districtis suis; sed tantum leges primariæ potestatis civilis auctoritate munitæ. Hicque sensus exclusive intelligendus est quando sermo fit de *corpore juris canonici :* corpus enim non ingrediuntur leges mere episcopales, et aliæ hujusmodi, nisi auctoritate Sedis Apostolicæ mutatæ fuerint in jus commune.

7. Potest nihilominus quis jus canonicum vocare complexionem legum omnium ecclesiasticarum, id est, tum ab universali superiore ecclesiastico, tum etiam a prælatis inferioribus constitutarum, et huic conceptui suo definitionem aptare idoneam.

His prænotatis, sit

Propositio. — *Jus canonicum non recte definitur : Complexio legum positivarum, quas propria auctoritate sanxerunt primi Ecclesiæ pastores* (1).

Nam qui sic definiunt, vel sub conceptu juris canonici includunt tantum leges juris communis et ab auctoritate suprema et universali Ecclesiæ firmatas, vel insuper leges etiam speciales prælatorum inferiorum; atqui in utroque sensu peccat eorum definitio.

In priori quidem sensu : Episcopis enim tribui non debent leges juris communis, si vim suam non ab Episcopis, sed a solo Romano Pontifice leges omnes istæ habeant; atqui ita

(1) Definitionem illam, quam hic confutamus, tradit recens Manuale juris canonici, auctore Lequeux, a Sacra Congregatione Indicis reprobatum.

est : nam ex illis quamplurimæ, nempe decretales, a solis Romanis Pontificibus absque Episcoporum auctoritate latæ sunt et universitati fidelium et ipsismet Episcopis impositæ, quarum tenore magna ex parte constat corporis juris canonici collectio. Aliæ autem ex sententiis sanctorum Patrum, aut ex decretis conciliorum tum particularium, tum etiam generalium, aut ex legibus civilibus, excerptæ, rationem juris communis ecclesiastici non habuissent, nisi summus Pontifex probando, confirmando et imponendo fecisset suas. Ergo nulla lex ecclesiastica, quatenus pertinet ad jus canonicum priori sensu intellectum, tribui debet primis Ecclesiæ pastoribus, id est, Episcopis, sed tantum Romanæ Sedis Pontificibus. Et vero qui per jus canonicum intelligens jus ecclesiasticum commune, excluso jure cuilibet diœcesi aut cuilibet cœtui proprio, nihilominus affirmat jus canonicum constitui a *primis Ecclesiæ pastoribus,* supponit et implicite affirmat supremam potestatem legislativam Ecclesiæ non residere in Romano Pontifice Christi in terris vicario, sed in collectione prælatorum, id est, Episcoporum; nullam proinde vim inesse legibus a solo Romano Pontifice latis; non monarchica proinde, sed aristocratica forma fuisse a Christo constitutam Ecclesiam; falsum tandem esse concilii œcumenici effatum, de *plena* summi Pontificis universos Christi fideles pascendi et regendi potestate ; quæ omnia quantum a sana doctrina recedant, apud catholicos in confesso est.

In posteriori sensu intellecta juris canonici denominatione, etiam peccat supradicta definitio. Nam si per jus canonicum intelligantur, non tantum leges communes totius Ecclesiæ et a primaria Ecclesiæ auctoritate sancitæ, sed etiam statuta particularia prælatorum inferiorum, definitio non convenit toti definito. Multi enim extant prælati qui non sunt primi Ecclesiæ pastores, id est, Episcopi, et qui tamen pro jurisdictione quique sua, possunt subditos suos legibus statutisve constringere. Quales esse constat legatos sanctæ

Sedis, sive sint Episcopi sive non ; prælatos et capitula familiarum religiosarum ; capitula cathedralia ; rectores universitatum, et alios. Deberent ergo statuta seu leges horum omnium definitione comprehendi. Quæ cum excludantur, in priori sensu jus canonicum intellexisse videntur auctores definitionis, et proinde venenatum aliquid incautis lectoribus propinasse.

Ex subdola autem illa definitione quomodo logice suboriantur pleraque Febronii et similium heterodoxorum eversiva potestatis pontificiæ placita, vel tantisper attendenti patebit facile. Si enim jus canonicum non a sola romani Pontificis auctoritate oriatur atque vim universos Christi fideles obligandi hauriat, sed potius a collectiva auctoritate primorum pastorum, id est, generatim episcoporum simul et summi Pontificis, sequitur 1° leges et constitutiones a solo vicario Christi latas non constituere jus canonicum proprie dictum, sed tunc tantum in jus canonicum transire, quando simul a cæteris *primis Ecclesiæ pastoribus* firmatæ fuerint : sequitur 2°, Romanum Pontificem cui in persona Petri dictum est *pasce agnos, pasce oves,* non posse pascere et regere agnos, id est, fideles universæ Ecclesiæ et eos decretis suis attingere, nisi in quantum Episcoporum universitas simul eadem decernat ; item non posse pascere oves, id est, Episcopos, nisi ipsi velint sese ligare decretis a summo pontifice circa ipsos latis : sequitur 3°, constitutiones pontificias pro universa Ecclesia latas posse ab Episcopis pro non obligantibus ac proinde pro nullis haberi, quamdiu ipsi easdem sua auctoritate non firmarunt, quantumvis urgeat Papa et in rebellantes censuras fulminet : sequitur 4°, et apertissime, Romano Pontifici a Christo in persona Petri non datam esse *plenam potestatem* universalem Ecclesiam, fideles scilicet et eorum pastores, pascendi, regendi, *atque gubernandi,* quantumvis expresse id definierit concilium œcumenicum Florentinum. Unde sub prædicta definitione totum latet gallicanismi, fe-

bronianismi, jansenismi, anglicanismi atque uno verbo schismatis venenum.

His autem pravis sensibus imbutos fuisse qui ea definitione usi sunt, nec dicimus, nec dici debet; cum potuerint bona fide et incaute pro vera erroneam et periculo plenam formulam amplecti.

§ IV.

Quomodo jus canonicum recte definiri queat.

Propositio 1. — *Jus canonicum stricte sumptum recte definiri potest : Complexio legum auctoritate Papæ firmatarum, quibus fideles ad finem Ecclesiæ proprium dirigantur.*

Explicatur definitio : dicitur 1° *Complexio legum,* quibus vocibus genus summum exprimentibus convenit canonicum jus cum alio quolibet jure, verbi gratia, cum jure naturali, cum jure positivo divino, cum jure gentium, cum jure civili, cum jure militari et cæteris; quodlibet enim ex istis juribus est complexio quædam legum. Dicitur 2° auctoritate *pontificia firmatarum,* non autem *constitutarum* aut *approbatarum ;* in jure enim canonico multæ sunt leges juris divini tum naturalis, tum etiam positivi, quæ factæ sunt simul aliquo sensu (nempe quoad declarationem et interpretationem) ecclesiasticæ : has autem summus Pontifex non *constituit,* cum jam extent jure divino constitutæ, nec proprie *approbat,* ut patet, sed tantum speciali promulgatione declarat et urget. Item multæ sunt leges non ab ipsis summis Pontificibus confectæ, sed vel a conciliis œcumenicis, vel a conciliis particularibus, vel etiam a principe civili; quibus si accedat Papæ auctoritas universis fidelibus leges illas imponens, vim juris communis habent; si non accedat, non habent. Dicitur 3° *quibus fideles ad finem Ecclesiæ proprium dirigantur,* quia leges non sunt ecclesiasticæ, nec proinde juris ca-

nonici rationem habent, nisi ad finem Ecclesiæ proprium, bonum scilicet spirituale fidelium æternamque eorum beatitudinem, tendant. Leges, verbi gratia, quas summus Pontifex fert tanquam temporalis princeps ad regimen status pontificii, non juri canonico sed civili accensendæ sunt. Dicitur 4° definitionem hanc referri tantum ad jus canonicum *stricte sumptum*. Jus enim canonicum accipi potest tum latiori sensu, quatenus complectitur omnes leges ecclesiasticas, etiam illas quas prælati inferiores ferunt in proprios subditos; tum strictiori et apud canonistas frequentiori sensu, quatenus constans tantum legibus ab auctoritate in universos fideles jurisdictionem habente firmatis.

Probatur definitionis legitimitas : sat erit ostendere, illam toti et soli definito convenire ; cum aliunde brevis sit et claris terminis expressa.

I. Convenit toti rei definiendæ, nempe legibus omnibus quibus constat jus canonicum stricte sumptum. Omnes enim hujusmodi leges videntur sequenti enumeratione comprehendi : 1° Decreta ab ipsis summis Pontificibus ad bonum spirituale fidelium confecta et promulgata. Porro his maxime convenit definitio; sunt nempe, ut patet, leges auctoritate Papæ firmatæ. 2° Decreta concilium œcumenicorum, quæ in jure canonico extant plurima : sed et istis convenit definitio; nam conciliorum œcumenicorum decreta debent a Romano Episcopo, Christi in terris vicario, confirmari, nec sine illa confirmatione vim habent : non ergo transeunt in jus canonicum, nisi per vicarii Petri confirmationem. Recte ergo dici possunt etiam ista decreta, quatenus jus faciunt, leges auctoritate Papæ confirmatæ. 3° Decreta conciliorum particularium, quæ in jus canonicum transierunt : et his convenit definitio. Nam concilia illa non habuerunt nisi limitatam jurisdictionem; nec proinde valuerunt legibus suis ligare nisi proprios subditos. Leges ergo illæ non potuerunt in jus canonicum commune et stricte dictum transire, nisi vi auc-

toritatis superioris et in universos fideles jurisdictionem habentis. Ista autem superior auctoritas non alia est quam summi Pontificis, cum ipsiusmet œcumenici concilii decreta indigeant, ut dictum est, pontificia confirmatione, nec sine illa vim legis habeant. Recte ergo decreta synodorum particularium quæ transierunt in jus canonicum, leges auctoritate Papæ firmatæ dicuntur. 4° Leges quædam civiles transierunt etiam in jus canonicum : sed et his convenit definitio. Ut enim fierent ecclesiasticæ, debuerunt auctoritate aliqua ecclesiastica fidelibus servandæ intimari, et sic effici simul ecclesiasticæ, seu, ut dicunt, canonizatæ. Porro, ut vidimus, non alia quam summi Pontificis auctoritas id valuit efficere; recte ergo etiam, illæ civilis principis leges, quatenus canonici juris corpus ingressæ, leges auctoritate Papæ firmatæ dicuntur. 5° Consuetudines quæ vim legum ecclesiasticarum sunt adeptæ : his pariter convenit definitio. Nam ut consuetudo acquirat vim legis, requiritur consensus legislatoris, ut docent doctores communiter. « Consuetudo, ait Pichler, ha- » bet vim legis : lex autem non constituitur, vel constituta » non abrogatur, nisi per voluntatem ejus qui leges ferendi » potestate pollet » (Jus can. lib., tit. 4, n. 11); ergo eadem auctoritate indigent consuetudines, ut fiant jus canonicum stricte dictum, ac cæteræ leges, nempe auctoritatis pontificiæ confirmatione. An autem requiratur consensus legislatoris expressus et personalis, vel potius sufficiat consensus et confirmatio *legalis*, id est, generalis voluntas superioris in jure expressa de servandis consuetudinibus rectis legitime præscriptis, expendetur alibi. 6° Tandem multa de jure naturali et divino positivo quæ simul a jure canonico præscribuntur : nam leges illæ in quantum obligant jure divino, non sunt pars juris canonici; nec legis canonicæ rationem induunt, nisi quoad interpretationem et declarationem ab Ecclesia fidelibus factam. Sub hac autem ratione, nempe ut fideles universi teneantur jus divinum modo declarato intel-

ligere, requiritur pontificia auctoritas. Obligationem enim hanc concilium œcumenicum imponere nequit, nisi decreto a Papa confirmato ; et a fortiori concilia particularia et prælati seorsim sumpti impares sunt ferendæ hujusmodi juris divini declarationi quæ universos obliget : ergo et hæ leges divinæ, quatenus interpretatione obligatoria vestitæ, recte a Papa firmatæ dicuntur. 7° Leges locales, v. g. Episcopi in sua diœcesi, non recte quidem dicerentur auctoritate Papæ firmatæ, nisi eo sensu quod Papa potestatem habeat eas corrigendi et irritandi, et quod eas non irritando aliquo sensu indirecte eas confirmet : sed leges istas ad jus canonicum stricte sumptum, de quo definiendo hic agitur, non pertinent ; ergo definitio convenit omnibus legibus ad jus canonicum stricte dictum pertinentibus; ergo convenit toti definito.

II. Convenit soli definito. Nam quælibet lex auctoritate pontificia firmata et ad bonum spirituale fidelium tendens, est hoc ipso canonica et pars juris canonici stricte sumpti, quod est indubitatum apud omnes. Ergo nulla esse potest lex cui conveniat definitio, et quæ non sit vere et proprie canonica ; ergo definitio non convenit nisi solis legibus canonicis ; ergo convenit soli definitio. Aliunde convenit toti ; ergo legitima est.

Hinc colligere est non immerito jus canonicum a multis præclaris doctoribus *juris pontificii* nomine fuisse insignitum ; quæ appellatio totam definitionem nostram unico vocabulo sat commode comprehendit.

Propositio 2. — *Jus canonicum latiori et improprio sensu intellectum recte definiri potest : complexio legum a quocumque potestatem legislativam ecclesiasticam possidente, in bonum spirituale fidelium firmatarum.*

Dicitur, *a quocumque potestatem legislativam ecclesiasticam possidente* ; et sic in jure canonico comprehenduntur leges Legatorum Sedis Apostolicæ in circumscriptione legationis

suæ ; leges synodorum provincialium pro respectivis provinciis ; leges Episcoporum pro suis diœcesibus; leges prælatorum regularium et capitulorum generalium apud religiosos ordines ; statuta denique omnia quæ a quocumque jurisdictionem ecclesiasticam habente ad bonum spirituale suorum subditorum feruntur.

Dicitur, *firmatarum*, non autem *conditarum ;* quia sicut adnotavimus quoad summum Pontificem, ita sæpe Concilia provincialia, Episcopi et alii, non condunt nova decreta, sed jam condita et alibi vel olim vigentia, firmando renovant et ad proprios subditos extendunt.

Cæterum definitionis legitimitatem satis ex dictis in duabus præcedentibus propositionibus colligere quisque poterit.

Propositio 3. — Jus canonicum prout scientia est, recte definiri potest in stricto sensu : *scientia legum ecclesiasticarum auctoritate Papæ firmatarum ;* latiori autem sensu : *scientia legum ecclesiasticarum omnium.* — Cujus definitionis sensus et legitimitas item patet ex præcedentibus.

CAPUT II.

JURIS CANONICI DIVISIO IN VARIAS SPECIES.

1. Dividitur in scriptum et non scriptum : jus autem non scriptum dicuntur traditiones et consuetudines vim legis habentes.

2. In commune et particulare. *Commune* dicitur quod pro universa Ecclesia latum est, adeoque per se omnes fideles obligat : accidentaliter tamen, nempe accedente legitimo titulo dispensationis, privilegii aut consuetudinis contrariæ legitime præscriptæ, possunt aliqui ab obligatione juris communis eximi; quod si eveniat, non ideo tamen amittit jus

illud rationem et denominationem juris communis. *Particulare* est quod pro certo loco aut certis personis tantum statutum est.

3. Jus particulare distingui potest in patriarchale, primatiale, provinciale, diœcesanum, monacale, etc., prout particulare est omnibus ecclesiis unius patriarchatus, aut alicui provinciæ ecclesiasticæ, aut alicui diœcesi, aut monasticam vitam profitentibus.

4. Distinguitur insuper jus canonicum ratione temporis, in antiquum, novum et novissimum ; sed interlimitatio chronologica non eadem apud auctores adhibetur. Canonistæ plurimi, præsertim qui non multo post Tridentinam synodum scripsere, *novum* appellare solent jus ab isto concilio œcumenico determinatum. Juxta hanc loquendi normam, antiquum jus illud est quod ante Tridentinum concilium vigebat ; *novum* vero illud, quod statuit dicta synodus ; *novissimum*, quod decretis deinceps ad præsentem usque diem editis constat. Auctoribus Sanctæ Sedi infensis generatim placet alia chronologica partitio. Isti scilicet volunt per *falsas decretales* subversum et deturpatum fuisse jus canonicum. Hanc antiquæ disciplinæ quam fingunt revolutionem, ab Isidoro Mercatore profectam et Gratiani decreto completam, perpetuis lamentationibus perorant, quasi Ecclesiæ tunc splendor atra caligine obnubilatus fuerit. Jus ergo *antiquum* ipsis est illud quod falsis decretalibus et Gratianeo codici præcessit ; *novum*, quod inde usque ad Tridentinam synodum viguit ; *novissimum*, quod prædicta synodo fuit sancitum. Evertemus infra figmentum illud immutatæ atque in deterius prolapsæ per falsas Isidori decretales antiquæ antea vigentis disciplinæ.

CAPUT III.

JURIS CANONICI PRÆSTANTIA.

I. QUANTA SIT EX COMMUNI DOCTORUM SENTENTIA.

Quam utilis et præstans habita fuerit juris canonici scientia, testatur frequens doctorum de hac disciplina encomium, e quorum sententiis hæc pauca seligimus. « Quantumcumque labor hic (nempe studium juris canonici) sit difficultate » ferreus, utilitate tamen est aureus » (Pirhing. epist. dedic., t. I). « Sacri canones proximum post sacræ Scripturæ thesauros locum habent, dignitateque sua et usu omnes alias scientias longe superant » (Wagnereck, exegesis, præf. ad lect.). « Hæc nostra lex sive scientia vere potest scientiarum scientia » nuncupari » (Cardinalis Ostiensis, apud Pichler., Proleg., n° 56). « Rem igitur necessariam agit theologiæ studiosus, cum » et sacrorum canonum cognitionem suæ professioni conjungit, eam aliquando in Ecclesiæ usum et ornamentum traducturus » (Henricus Canisius in Summa, apud Pichler. loco citato). « Non dubito pronuntiare indignum theologi nomine » qui jus canonicum ignoret... Est enim jus canonicum portio » quædam theologiæ... Et partialis quædam theologia quæ » practica vocatur » (Pignatelli, tom. I, Consultationum can., consult. 14, n° 11). « De jure canonico ita sanctus Antoninus : « Super omnes humanas leges est jus canonicum, quod resultat » ex decretis et decretalibus et sanctorum auctoritatibus doctorum » (Tractatus de Usuris, n° 11) « Dicere soles eum qui » insalutata canonum disciplina theologus, aut qui insalutata » theologia canonum magister audit, non theologiam aut canonum disciplinam, sed theologiæ vel canonum disciplinæ dimidium possidere » (Berardi, Comment. in jus eccles. præf., p. 13). Juris canonici præstantiam simul et affinitatem ejus

cum theologia et jure civili, exposuit his verbis nuperrime doctor Phillips : « Par son nom seul, le droit ecclésiastique se » trouve immédiatement en face de deux autres sciences, » dans une position d'affinité évidente, je veux dire la théo- » logie et la jurisprudence civile. Issu de la théologie, il lui » donne la main et marche constamment à ses côtés ; de là le » nom qu'on lui donne de *theologia practica* ou de *theologia* » *rectrix*. La théologie, en effet, embrasse dans son enseigne- » gnement deux objets distincts, le dogme et les obligations » pratiques qui en découlent. Réglementateur de tout ce qui » a rapport à l'organisation administrative de l'Église et à » l'éducation du peuple chrétien, le droit ecclésiastique asso- » cie son action à celle de la théologie dans le cercle de la se- » conde de ses attributions. Ces deux sciences ont donc entre » elles les rapports les plus intimes : quiconque se voue à » l'étude de l'une ne saurait se dispenser de celle de l'autre. » Tout ce qui touche au rite, aux fonctions sacrées, aux bé- » néfices, à la juridiction ecclésiastique, se trouve déposé » dans le trésor précieux des saints canons. Formulés en » grand nombre dans le langage même des livres de l'an- » cien et du nouveau Testament, ces augustes décrets jettent » une vive lumière sur une foule de passages de la sainte » Écriture. Ayant pour objet principal la direction des fidèles » dans la voie du salut éternel, ils sont pour le théologien un » flambeau lumineux. Ajoutez à cela que ces saints décrets » renferment la solution d'une multitude de cas de cons- » cience et de questions difficiles, et vous conclurez sans hé- » siter que le prêtre ne peut qu'à son grand détriment et au » préjudice d'autrui rester étranger à la connaissance du » droit canon. Par leur union intime avec la doctrine de l'É- » glise, par le rôle qu'elles jouent dans la réglementation de » sa puissance gouvernementale, par les nombreux points de » contact qu'elles ont avec la dispensation des choses saintes » et en particulier des sacrements, les lois ecclésiastiques

» s'imposent impérieusement à ses études les plus consciencieuses comme une partie essentielle de sa vocation, et comme moyen assuré de passer d'un pas ferme des régions de la théorie dans celle de la vie extérieure positive.

» Fille de la théologie, la jurisprudence ecclésiastique forme en quelque sorte l'anneau qui unit le droit séculier avec l'Église... Les principes fondamentaux de la législation de l'Église avaient dû devenir dans toutes les sociétés chrétiennes la base du droit public. Le droit canon a donc exercé une influence considérable, non-seulement sur l'éducation chrétienne des peuples, mais encore sur leur constitution politique. C'est ce qui explique la haute importance que l'empereur Justinien attachait au droit canon. Il le prenait pour base de ses propres prescriptions et entendait, comme il s'exprime lui-même, *que l'on se préoccupât beaucoup plus de l'observation des lois ecclésiastiques qui intéressent le salut éternel, que de celles de la législation temporelle* (Novell. 83, c. I). De là le grand honneur dont le droit canon fut en possession de jouir, et qui lui valut ultérieurement, dans les plus beaux jours de la splendeur scientifique de Bologne, d'être placé à la tête des sciences, comme celle de toutes la plus digne d'enrichir l'entendement humain et de solliciter ses méditations. Le droit canon et le droit romain étaient enseignés parallèlement, et le titre de docteur dans l'un et l'autre était un honneur qui élevait aux plus hautes dignités dans la carrière des professions libérales. C'est ainsi que les deux droits, *jus Pontificium* et *jus Cæsareum*, émanés des deux puissances placées au sommet de la chrétienté, marchaient d'un pas égal en se donnant la main... Le droit de l'Église... va se placer à côté du droit public et du droit privé avec une autorité et un caractère de supériorité que ne peut méconnaître tout juriste qui fait profession d'être enfant de l'Église. D'ailleurs, qu'il s'élève aussi haut qu'il voudra par la théorie et

» la pratique du code séculier dans la région supérieure du » droit, jamais il n'atteindra à la hauteur où peut le con- » duire le droit canon. » (Traduction de M. l'abbé Crouzet, édit. 1850, t. I, p. 16.)

Has maluimus virorum gravium collectas sententias juris canonici studiosis exhibere, quam facile encomium proprio concinnare calamo. Cæteroquin in dubium revocari nequit, nec de facto revocatur summa disciplinæ canonum præstantia. Cujus studium viris ecclesiasticis Ecclesia non tantum commendavit, sed et imperavit : *sciant sacerdotes Scripturas sacras et canones, et omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat* (canon I, distinctionis 38, desumptus e concilio Toletano IV, can. 26). *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare* (ejusdem distinctionis can. 4).

II. AN PRÆSTET JURI CIVILI.

Juris canonici supra jus civile præstantiam arguit Schmalzgrueber his verbis : « 1° Præstat *origine* ; quia pro- » manat ab ipso Christo, et a potestate mere spirituali Petro » ejusque in apostolica Sede successoribus immediate a » Christo communicata. 2° *Universalitate ;* quia obligat om- » nes Christi fideles per mundum universum sparsos... Totus » enim orbis terrarum subest conditoribus hujus juris, » Christo nimirum, ejusque in terra vicariis... 3° *Materia ;* » quia hæc spiritualis est vel spirituali annexa. 4° *Fine ;* quia » intendit pro fine ultimo æternam beatitudinem, et salu- » tem animæ spiritualem ac supernaturalem, per vitæ et jus- » titiæ christianæ opera obtinendam. »

« Contra, jus civile 1° promanat a potestate prorsus sæcu- » lari, profana, et a populo proxime collata, translataque in » principes... 2° Astringit certum dumtaxat populum... » 3° Materia illius mere profana est, quia profanæ sunt res, » personæ et actiones circa quas versatur. 4° Finis ejusdem

» est mere temporalis, quia spectat solum justitiam legalem, » quietem reipublicæ temporalem, et felicitatem naturalem. » Hinc etiam est quod plura principia et regulas a jure civili » factas, canones Ecclesiæ vel corrigant vel non admittant : » uti sunt, primo, quæ rebus vel personis ecclesiasticis præ- » judicium faciunt... ; secundo, quæ statuunt aliquid motu » proprio et ex se de personis aut rebus Ecclesiæ, licet id Ec- » clesiarum commodum et favorem respiciat ; tertio, quæ » decernunt aliquid in materia mere spirituali, exempli gra- » tia, voti, juramenti, sacramentorum, etc. ; quarto, quæ » sunt bonis moribus adversantia et absque peccato exequi » non licet.

» Interim tamen etiam suus honor per jus canonicum » stat legibus civilibus, quippe quas in subsidium sæpe sa- » cri canones vocant, non tantum ut ancillentur..., sed » etiam ut sanctiones canonicæ juris civilis subtilitate deco- » rentur... ; imo multa Pontificum decreta ex legibus civi- » libus pene ad verbum desumpta sunt : ideoque leges ci- » viles in foro etiam ecclesiastico recipiuntur ; atque etiam » obligant in conscientia, si justæ sint, et sacræ Scripturæ, » canonibus et bonis moribus non repugnent. » (*Dissert. proœmialis*, § 7, n. 233 et seq.)

III. AN PRÆSTET THEOLOGIÆ, ET AN PRO EPISCOPALI MUNERE CANONISTA PRÆFERENDUS SIT THEOLOGO.

« Etsi juris canonici magna sit dignitas et excellentia, » multumque præstet juri civili, non tamen est excellentius » sacra theologia : ita communis (1). » Vel enim theologia consideratur quatenus includens tanquam partem jurisprudentiam canonicam, vel quatenus ab ea discernitur et separatur. Si prius, absurdum est dicere, partem nobiliorem

(1) Reiffenstuel, *proœmium*, § 3, n. 42.

esse et excellentiorem toto. Non ergo potest institui comparatio nisi in posteriori sensu. Sed sic etiam intellecta præstare theologia dicenda est. Præstantiæ enim inter disciplinas varias regula est ipsarum objectum proprium seu immediatus scopus. Jam vero de scopo proprio et immediato theologiæ est cognoscere Dei existentiam et attributa, Christi divinitatem et mirandum redemptionis opus, Ecclesiæ divinam constitutionem et auctoritatem : jurisprudentia autem in cognitionem legum ab Ecclesia in bonum fidelium constitutarum proprie intendit. Sed cognoscere leges ecclesiasticas minus esse quam cognoscere ipsam Ecclesiam et Christum et Deum, nemo non videt. Jurisprudentia scilicet canonica præsupponit theologiam, ipsaque tanquam fundamento tota nititur; sed fundamento in ædificiis præstantius nihil.

De quæstione autem, utrum præferendus sit canonista theologo, quando agitur de promotione ad episcopatum, aut ad aliam dignitatem cui incumbit animarum cura, causarum ventilatio et jurisdictio ampla, sic sentiunt theologi :

1° Qui esset simul canonista et theologus, procul dubio foret simplici canonistæ aut simplici theologo anteponendus. Sed quid si unus sit canonista non theologus, alter theologus non canonista?

2° In locis de hæresi non suspectis et ubi magis vacandum est ventilationi causarum, canonista præferendus est. Ita censent sanctus Joannes a Capistrano, Ostiensis, Abbas Panormitanus, Felinus, Fagnanus, etc., quos citat et sequitur Reiffenstuel (*Proœm.* n. 44). Rationem dant, *quod per solam theologiam non possit regi clerus;* quæ verba sunt cardinalis Ostiensis.

3° Quod loca in quibus pullulant hæreses, aut ubi hæretici vicini sunt, duplex sententia : alii nempe volunt theologum anteponi, eo quod ad extirpandas hæreses magis idonea censeatur scientia theologica quam canonica : alii vero, inter quos sanctus Joannes a Capistrano, putant etiam in

hoc casu præferendum esse canonistam; notantque canonistam hoc ipso quod canonista sit, semper habere competentem scientiam theologiæ; scientia autem competens toleratur in prælato, licet eminens exoptetur : econtra vero purus theologus nullam prorsus haberet notitiam ventilandi judicialiter causas ecclesiasticas, aut procedendi contra hæreticos.

SECTIO III.

DE JURE GALLICANO.

Determinata recta notione juris canonici, non minus operæ pretium est, hisce præsertim temporibus, accurate discernere quid esse possit jus ecclesiasticum nationale, id est, ecclesiis alicujus gentis proprium. Titulo enim nationalium hujusmodi jurium, dum omnino alia ac revera in se sunt supponebantur, non pauca fuerunt multis in locis temere attentata, quæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium ecclesiarum matris et magistræ auctoritatem labefactando, et viam schismati straverunt, et ansam præbuerunt sæcularibus potestatibus jura Ecclesiæ certissima conculcandi, salutiferamque ejus actionem plurimis præpediendi vinculis.

In Gallia autem præsertim falsa hujusmodi atque pestifera circa jus canonicum nationale opinio atque persuasio diu invaluit, ut notum omnibus est. Quam ob causam, licet non pro Gallia tantum nostras has Institutiones scribamus, ipsi tamen specialiter applicanda duximus quæ, de jure ecclesiastico alicui nationi proprio, nunc disserenda occurrunt. Quæ autem de Gallica gente dixerimus, facile perspiciet lector et de aliis regionibus, in quibus similia reperiuntur, esse intelligenda.

CAPUT I.

DE JURE CANONICO NATIONALI IN GENERE.

Dicendum 1° quid et quotuplex sit jus canonicum nationale; 2° nullum jus canonicum nationale legitime subsistere, nisi auctoritate pontificia firmatum; 3° quodcumque jus canonicum nationale posse a Romano Pontifice tolli atque irritari.

§ I.

Quid et quotuplex sit jus canonicum nationale.

Quando alicujus gentis ecclesiæ reguntur circa quædam legibus propriis, non autem legibus in universos fideles latis, complexio harum legum ecclesiasticarum huic genti propriarum nuncupari potest jus canonicum nationale. Et ita, verbi gratia, *jus gallicanum* intelligunt etiam illi auctores, quorum doctrina hic confutanda est. Intelligunt nempe jus aliquod Galliæ proprium et juri communi derogans. Non enim hoc nomine vocari solent leges quæ sunt præter, sed non contra jus commune. Vigere legitime posse hujusmodi leges ecclesiasticas alicui genti proprias, negat nullus. Quotuplici vero ratione induci queat jus aliquod nationale hoc sensu intellectum, operæ pretium est diligenter discernere. Jus scilicet nationale, vel fuit nationale seu exceptionale ab initio, derogando nempe juri communi statim ab ortu suo; vel nationale tantummodo evasit, quia, mutato in reliquo orbe communi jure, in ista natione firmum permansit. Iterum, jus quod fuit exceptionale ab initio, vel cœpit stare per simplex privilegium potestatis legislativæ universalis, nationem hanc a suis decretis universalibus eximentis; vel

per contractum aliquem onerosum, quo scilicet concessa est derogatio ob aliquod onus quod sibi natio illa imposuit in gratiam Ecclesiæ, fundandi v. g. beneficia, aut alia auxilia præstandi. Iterum privilegium exemptionis a jure communi evenit huic nationi, vel consensu expresso universalis superioris, vel consuetudine per consensum tacitum universalis superioris firmatæ et in jus evectæ.

His prænotatis quærendum remanet, qua auctoritate nitatur jus nationale quodcumque, et utrum summus Pontifex irritare possit jus quodcumque nationale.

§ II.

Nullum jus nationale firmari et legitime subsistere potest alia quam summi Pontificis auctoritate.

Nullum est jus canonicum nationale quod non sit derogatio quædam juri communi. Illa autem derogatio non potuit statui nisi auctoritate Romani Pontificis. Nam statuta fuisset vel a potestate civili, vel a potestate aliqua ecclesiastica a Papali diversa, vel a consuetudine vim suam aliunde quam a consensu Papali hauriente. Atqui nullum ex his dici potest :

1° Non a sæculari principe, utpote qui leges ecclesiasticas condendi aut a constitutis eximendi potestatem nullam habeat; quod qui negaret, extra orthodoxam doctrinam misere aberraret.

2° Non a potestate aliqua ecclesiastica a Papali diversa. Illa enim potestas esset vel concilium œcumenicum, vel concilium nationale, vel Patriarcha, vel concilium provinciale, vel aliquis Episcopus seorsim sumptus. Porro nullum ex his statuere potuit derogationem legitimam communi juri. Non concilium generale : cum enim ipsius decreta non vigeant ante confirmationem Romani Pontificis, statutum a

concilio etiam generali latum de eximenda aliqua natione a jure communi, non accedente per confirmationem auctoritate Papæ, prorsus invalidum remaneret. Non concilium nationale : nam concilium hujusmodi, utpote particulare, nedum potuerit leges ecclesiasticas universales mutare, et ex parte, id est, pro aliqua regione, irritare, constrictum fuit e contra ipsummet his legibus, debuitque ipsis parere, nec potuit eximi nisi a potestate quæ universos ligare valuit. Quæ ratio a fortiori urget quoad Patriarcham : est enim ipse Patriarcha juri communi subditus, nec seipsum, nedum cæteros, eximere potest; Photianumque schisma renovaret Patriarcha qui legislativa vicarii Petri aut concilii œcumenici a Pontifice Romano confirmati potestate se attingi posse negaret. Ex quo etiam patet neque a concilio provinciali ullo, nec a quacumque alia inferioris ordinis ecclesiastica potestate statui legitime posse juri communi pro aliqua gente derogationem.

3° Nec a consuetudine. Ita quidem invalescere potest alicujus regionis consuetudo contra jus commune, ut vim legis obtineat et regionem illam sub particulari canonico jure constituat : hoc in confesso est apud omnes, et suo loco munietur probationibus. Sed profitentur simul doctores sententia unanimi, ideo tantum in jus erigi præfatam consuetudinem, quia accedit legislatoris consensus, qui scilicet consensus, quamvis silentio tantum constans, fit totum novi ex consuetudine juris fundamentum. Ergo etiam quando ex moribus et consuetudinibus nationis exsurgit aliquod jus ecclesiasticum nationale, non alia jus illud quam Romani Pontificis auctoritate nititur.

Cæterum pro suavitate qua, ex Spiritus sancti ductu, solet suprema Ecclesiæ potestas sibi a Christo commissas oves regere, tolerantur sæpe consuetudines regionum variarum, legibus generalibus oppositæ. Idque suadet aliquando regionis ipsius specialis ratio, ob quam exceptionale jus magis

ad bonum spirituale profuturum est, et quandoque etiam illius supremi Pastoris sapientia et benignitas, qui docuit compatiendum infirmis et non extinguendum fumigantem linum.

§ III.

Utrum summus Pontifex possit quodcumque jus canonicum nationale irritare.

Propositio 1. — *Potest irritare jus nationale, quod fuit ab initio merum privilegium.* — Merum privilegium hic dicimus per oppositionem ad contractum onerosum de quo infra : quando nempe derogatio juri communi concessa est ecclesiis alicujus nationis, non ob aliquod onus quod sibi imponendum promisit illa natio, sed pure et simpliciter, jus illud nationale *ex mero privilegio* vocamus. Privilegium autem hujusmodi potuit evenire vel concessione expressa legislatoris, vel per consuetudinem consensu tacito supremi legislatoris firmatam. Porro in utroque casu supremus legislator, nempe Romanus Pontifex, illud privilegium quantumvis antiquum irritare potest.

Primo quidem, si fluxit ex concessione expressa. Nam potestas quæ valuit nationem illam ligare lege sua universali, non mutata est decursu temporis, nec minor seipsa facta est. Ergo sicut potuit initio nationem illam ligare et non eximere, potest semper quocumque momento eam legi suæ subjicere, et meram exemptionem initio concessam revocare.

Secundo, id procedit etiamsi exemptio introducta fuerit consuetudine. Nam, ut dictum est, debuit hæc consuetudo firmari tacito saltem legislatoris consensu. Porro qui potuit consensu tacito firmare exemptionem, potest hoc ipso, consensum retrahendo, exemptionem infirmare, dummodo de retracto consensu constet. Et præterea, quia legislator tacite

consentiendo exemit, non amisit suam legislativam potestatem, sed servat totam; ergo sicut potuit initio non consentire consuetudini contrariæ incipienti, et jure communi ligare regionem illam, potest semper quocumque tempore illam constringere; ergo et consuetudinem irritare. Ergo potest semper summus Pontifex irritare jus nationale ecclesiasticum, ex mero privilegio introductum.

Propositio 2. — *Idem dicendum, etiamsi jus nationale fuerit initio jus commune, et non evaserit particulare, nisi quia jus commune generaliter alibi mutatum, in aliqua religione illæsum permansit.* — Probamus infra (parte II, sect. 2, cap. 1), Romano Pontifici competere summam potestatem legislativam in Ecclesia, et in *Tractatu de Papa* ostendimus hanc potestatem esse potestatem supra concilium œcumenicum, et supra canones a tali etiam concilio decretos; quod includit simul præsentis thesis probationem.

Propositio 3. — *Potest summus Pontifex, justa exigente causa, irritare jus canonicum nationale, etiam concordatis firmatum.* — Gravissima est hæc quæstio, et nuperrime adhuc occasione perturbationum regni Sardiniæ agitata, utrum summus Pontifex concordatis contravenire et derogare possit. Disserentem Binerum audiamus :

« Ratio dubitandi, ait, esse videtur : quia summum etiam » principem leges suas observare postulat naturalis æqui- » tas... Ad hæc, pacta et contractus summos etiam prin- » cipes ligant, cum juris naturalis scitum sit, fidem datam » esse servandam. At concordata sunt vera pacta, et quidem » publica, mutuo consensu inita; promittitque in iis (1) di- » serte Pontifex *se per quamvis dispositionem, sub quacumque* » *verborum forma factam aut faciendam non impediturum* » *ordinariorum aliorumque collatorum provisiones... juxta*

(1) Citat Biner ibi concordatum Germaniæ anni 1448, per bullam Nicolai V *ad sacram Petri sedem* firmatum.

» *concordata factas*.. Subditque postea eam concordatorum
» ordinationem duraturam deinceps, *nisi in futuro concilio*
» *de ipsius nationis consensu aliter fuerit ordinatum.*

» Hæc equidem argumenta id probare intelligo, non so-
» lere Romanos Pontifices, neque debere levibus de causis
» concordatis derogare; neque censendos iis contraire, nisi
» specialem et expressam eorum ac justæ causæ mentionem
» faciant; adeoque rescriptum adversus concordata obten-
» tum sine hac mentione pro subrepticio et invalido haben-
» dum, ut advertit Engl. (De præbend. et dign., n. 54).
» Quæ sane doctrina ex ipsis etiam summorum Ecclesiæ
» præsulum oraculis habetur perspicua : sic enim Paulus V,
» constitutione *Ex pastoralis,* declarat nec suæ unquam
» mentis, nec prædecessoris sui fuisse concordatis dero-
» gare... Et jam antea Gregorius XIII constitutione 6 junii
» 1572 edita, contestatus est se, sub quacumque forma
» scripserit, concordata nolle lædere.

» Nihilominus tamen non evincitur, non posse summum
» Pontificem *ex plenitudine suæ potestatis* concordatis con-
» travenire iisque derogare, quando justa id causa exigit;
» prout passim agnoscunt ecclesiastici juris interpretes. Nam
» Pontifex Romanus, tanquam verus Christi in terris vica-
» rius, in persona sancti Petri non tantum accepit a Christo,
» cum potestate clavium ligandi atque solvendi, dominici
» ovilis pastoralem custodiam ac summam præfecturam, sed
» etiam supremam dispensationem et administrationem
» omnium per orbem christianum beneficiorum, juriumque
» ecclesiasticorum. Hanc proinde summam potestatem, su-
» premæ Ecclesiæ præfecturæ a Christo ipso annexam atque
» inhærentem, nunquam ita potest Pontifex a se abdicare
» aut alteri cuicumque ita communicare, ut non majorem
» adhuc retineat. » (Biner, *Apparatus jurispr. can.* pars VI, cap. 3, art. 8, § 6.)

Objicitur 1°. Princeps tenetur legibus suis; ergo Papa te-

netur concordata observare. Respondetur : Princeps tenetur legibus suis ex decentia et æquitate naturali, quandiu non evaserunt per novas circumstantias fini intento et rationi oppositæ, concedo; secus nego. Honeste et prudenter agit princeps rerum temporumque necessitatibus nova ordinatione subveniendo et priori derogando; ergo ex eo quod concordatum sit lex Papalis, non sequitur, Papam non posse ei derogare.

Objicitur 2°. Concordatum est pactum seu contractus; atqui pactis et contractibus standum est; ergo concordata summus Pontifex servare tenetur. Respondetur primo, controverti, utrum concordata sint pacta proprie dicta. « Taceo, » inquit Biner, quod quidam negent concordata proprie » esse pacta et contractus, cum spiritualia sub contractum » aut commercium non cadant. Unde dicunt potius esse » privilegia apostolica...; privilegia autem ex gravi causa » revocari posse » (loco citato).

Respondetur secundo cum eodem Biner : « Principem » supremum iis saltem pactionibus, quas cum subditis suis » iniit, derogare posse, si gravissima id boni publici causa » exigat..., complures doctores asserunt; adduntque, quo- » modocumque paciscatur summus Pontifex, maxime cum » sibi subdito, semper inclusam esse hanc conditionem, *nisi* » *aliud exigat causa gravis et extraordinaria propter bonum* » *commune Ecclesiæ*...; et sub hac conditione etiam intelligen- » das esse.. promissiones Nicolai V in concordatis contentas. » Imo ipse Nicolaus hoc sufficienter in ipsis concordatis in- » dicat, dum promittit se confirmaturum Archiepiscopos, » Episcopos et prælatos regulares canonice electos sibique » rite præsentatos, subjecta hac conditione : *nisi ex rationa-* » *bili et evidenti causa de fratrum* (cardinalium) *consilio, de* » *utiliori et digniori persona duxerimus providendum* » (loco citato).

Respondetur tertio : distinguendum videtur duplex con-

cordatorum genus : concordata nempe, quibus natio aliqua non sibi imponit nisi onera aliunde debita, vel debitis æquivalentia, et quæ ab ea summus Pontifex etiam sine concordato exigere posset; et concordata quibus sibi imponeret onus, ad quod subeundum nullomodo posset a Papa adigi. Prioris generis concordata non esse ex parte summi Pontificis nisi privilegia, non autem contractum proprie dictum, satis patet : qui enim paciscitur cum debitore suo, promittens ei beneficium aliquod, modo debita solvat, non proprie dictum contractum utrinque onerosum init, sed tantum debitori suo privilegium confert. Porro hujusmodi esse plura concordata, et inter alia concordatum Galliæ anni 1801, textum inspicienti facile patebit. Si vero concordatum esset secundi generis, ita nempe, ut natio sibi imponeret onus, quale Papa non posset ei aliunde imponere, quæstio evadit difficilis. Nam tunc Papa daret spiritualia, et natio temporalia ; porro non possunt spiritualia bona temporalibus commutari per modum contractus proprie dicti; unde neque tunc concordatum esset pactum seu contractus in stricto sensu. Ergo etiam in isto casu Papa non teneretur vi contractus. Teneretur tamen ob promissionem datam, ex justitia naturali, quæ dictat standum esse promissis. Sed subaudienda semper foret conditio, *nisi aliud exigat causa gravis et extraordinaria propter bonum commune Ecclesiæ.* Quæ tamen de gravissima illa quæstione hic cursim adnotantur, nolim tanquam absolute dicta accipi, sed tantum, ut generaliorem canonistarum sensum indicaremus.

CAPUT II.

QUÆNAM SIT RECTA JURIS GALLICANI NOTIO ET DEFINITIO.

Circa modum intelligendi jus canonicum ecclesiis Galliæ proprium, plurimus invaluit error. Quidam enim finxerunt, 1° jus gallicanum non niti auctoritate summi Pontificis, sed stare per seipsum firmum; 2° talem esse istius juris vim, ut non possit a Papa infirmari; 3° huic juri multa annexuerunt, quæ non jura, sed injuriæ erga Ecclesiam reputanda sunt; 4° tandem falso opinati sunt, ad jus gallicanum pertinere quatuor articulos famosæ declarationis anni 1682. Porro hæc quatuor a recta notione juris gallicani removenda sunt.

1° Jus gallicanum recte intellectum non aliud esse potest, quam jus auctoritate summi Pontificis nixum. Nam per jus gallicanum non potest recte intelligi nisi jus aliquod juri communi derogans et proprium ecclesiis Galliæ : si enim non derogaret juri communi, cum ipso confunderetur, et non posset dici Gallicanum. Sed supra probatum est, quodlibet jus derogans juri communi necessario niti auctoritate summi Pontificis, et nisi nitatur hac auctoritate, esse hoc ipso nullum ; ergo et jus gallicanum ex hac auctoritate, id est, ex decretis, vel consensu expresso aut tacito summi Pontificis, vim suam haurire censendum est.

2° Supra etiam probatum est, Papam posse jus nationale quodcumque irritare. Imo etiamsi intercesserint concordata jus nationale aliquod constituentia, docent auctores multi, Papam promissis suis non teneri, si, mutatis circumstantiis, rescissionem concordatorum exposcat religionis utilitas. Ergo jus gallicanum recte intellectum remanet semper auctoritati sanctæ Sedis subjectum et per eam auctoritatem rescindibile.

3° Certum est, sub nomine juris gallicani, multa in Gallia a parlamentis, a regibus, et a jansenistica secta contra sanctam Sedem propugnata et usurpata fuisse, quæ nullo legitimo fundantur titulo; quæ proinde non jus constituunt, sed tantum lugenda schismatis et rebellionis erga supremam Ecclesiæ auctoritatem tentamina.

4° Quatuor articuli declarationis cleri gallicani anni 1682, sunt etiam omnino a recta juris gallicani notione arcendi : nam illi articuli circa dogmata quædam versantur, verbi gratia, an Papa sit infallibilis, an sit supra concilium œcumenicum et supra canones. Porro hujusmodi dogmata nullo modo possunt constituere aliquod jus gallicanum : nam illa dogmata vel vera sunt in se, vel falsa : si vera, non magis faciunt jus in Gallia, quam in reliquo toto christiano orbe : si falsa, neque quoad Galliam jus constituere possunt. Et quod dicitur de quatuor istis articulis, dicendum pariter venit de omnibus consectariis practicis, quæ ab ipsis deducuntur. Nempe vel neque Gallia poterit istis consectariis uti tanquam jure suo, vel quælibet alia natio uti eodem titulo ac Gallia poterit. Ergo neque quatuor illi articuli, neque eorum consectaria, etiamsi vera sint, possunt constituere jus aliquod ecclesiis Galliæ proprium; suntque proinde a recta notione juris gallicani arcendi.

Quibus prænotatis, ad rectam juris gallicani definitionem jam facilis gressus. Jus scilicet gallicanum nequit nisi in quibusdam derogationibus juri communi consistere. Derogationes autem hujusmodi duplici modo induci possunt. Nimirum vel legitime, vel illegitime. Debet ergo definitio primo exhibere jus gallicanum tanquam derogationem quamdam juri communi, et dein addere notam, quæ derogationem hanc distinguat a derogationibus illegitimis, quæ nullum jus, sed rebellionem tantum constituerent. Jam vero nota illa desumi nequit nisi ab auctoritate aliqua ecclesiastica quæ derogationem prædictam legitimam facere valeat; et

auctoritas illa, ex probatis superiori capite, non alia esse potest quam Pontificia. His porro conditionibus satisfacere videtur definitio ista : *Jus canonicum gallicanum sunt variæ apud ecclesias Galliæ juri communi derogationes, auctoritate summi Pontificis firmatæ.*

Si quis autem definiret his tantum verbis, *jus ecclesiis Galliæ proprium*, æquivocationi et erroneo sensui locum daret. Jus enim alicujus regionis vocari solet, non tantum jus proprie dictum, id est, verum seu legitimum, sed etiam id quod, licet illegitimum, usurpatur tamen de facto et pro jure habetur. Hoc modo, verbi gratia, de jure gallicano esse dicebatur schismatica constitutio civilis cleri anni 1792. Hoc modo etiam per *jus Anglicanum* intelligi solent etiamnum leges schismaticæ, quibus ecclesia Anglicana, a centro unitatis divulsa, regitur. In recta ergo juris Gallicani descriptione, discernendum est jus proprie dictum, ab illo alio, quod de facto juris nomine donari solet, quamvis nihil aliud sit quam illegitima usurpatio; ad quam discretionem non sufficit, ut patet, enunciatio ista, *jus Galliæ proprium.*

Hinc ad discernendum utrum aliquid ad jus gallicanum vere pertineat necne, hanc pro suprema et ultima regula haberi necesse est : fuitne derogatio, de qua agitur, auctoritate ecclesiastica competenti (id est, Papæ vel concilii œcumenici a Papa confirmati) sufficienter comprobata? Quod si ne consensu quidem tacito præfatæ auctoritatis derogatio nitatur, possidet jus commune, et derogatio pro rebellione habenda est.

CAPUT III.

AN JUS PRISCUM GALLICANUM OMNINO ANTIQUATUM FUERIT A TEMPORE PAPÆ PII VII, PER CONCORDATUM ANNO 1801 ET SUBSEQUENTES SANCTÆ SEDIS ACTUS.

Prænotandum. — Cum a quæstionis hujus solutione quamplurimum jam pendeat juris canonici in ecclesiis Galliarum intelligendi et exercendi ratio, et nondum, pro materiæ novitate, supervenerit canonistarum illa consensio quam ducem semper sequi gaudet scriptorum prudens quisque, quidquid erit in re tanti momenti privatæ opinationis nostræ, monemus et doctiorum crisi, et auctoritatis ecclesiasticæ judicio corrigendum submitti.

§ I.

Recensentur leges et gesta ad jus novum gallicanum pertinentia.

Expostulavit inter alia Napoleo, primus Reipublicæ gallicanæ consul, novam fieri diœcesium totius reipublicæ circumscriptionem. De qua simul cum aliis ad restaurandam in Gallia rem ecclesiasticam pertinentibus concinnatum est percelebre concordatum diei 15 julii anni 1801 (Bullarium Rom. continuatum, t. II, p. 175). Petivit Pius VII ab Episcopis Galliarum ut resignarent titulos suos, quo sic vacantes ecclesias omnes posset supprimere, et novas erigere, et de novis pastoribus providere; in quem scopum data Bulla *Tam multa* (Bull. Rom. cont., t. II, p. 187), et bulla *La Chiesa di Gesù Cristo* (ibid., p. 190). Monebat autem summus Pontifex, etiamsi resignationem renuerent, se nihilominus ad suppressionem omnium Galliæ ecclesiarum, novarumque erectionem processurum. Postulatam resignationem recusa-

runt 34 præsules, negantes hujuscemodi suppressionis peragendæ jus summo Pontifici competere; ex quibus tamen postea quatuor tantum rebelles remansere, qui schismatis, *parvulæ ecclesiæ* nuncupati, auctores extiterunt. Die 18 septembris 1801 concordatum ratum habuit Pius VII per Bullam *Ecclesia Christi* (Bull. Rom. contin., t. II, p. 208); et tandem die 29 novembris ejusdem anni per Bullam *Qui Christi Domini* (ibid., p. 245), suppressit ecclesias Galliarum omnes, sexaginta novas erexit, cardinalique Caprara, Legato a latere, cum amplissima facultate commisit totam ex præsenti bulla et ex Concordato rerum ordinandarum rationem. In executionem sibi commissorum, edidit cardinalis Caprara decretum suum *Cum Sanctissimus*, die 6 aprilis 1802, quod ad recognoscendum in plurimis jus nunc in Gallia vigens, perpetuo consulendum est; extat in Bullario Romano continuato, t. II, p. 251. Decretum aliud ejusdem cardinalis pro reductione festorum habetur (ibid., p. 323). Napoleo vero dum publicavit Concordatum, edidit simul eos articulos qui *organici* dicti sunt; sed eos ad Concordatum non pertinere protestatus est Pius VII in consistoriali allocutione diei 24 maii 1802 (Bullar. Rom. contin., t. II, p. 335); qui proinde articuli organici omni prorsus auctoritate ecclesiastica et caruerunt et carent. Protestatus etiam est contra eosdem articulos Pius VII, allocutione 16 martii 1808 (Bull. Rom. cont., t. XIII, p. 270). De quibus protestationibus plenius infra, § 4.

Die 18 julii 1817, idem Pius VII, Bulla *Ubi primum* (Bullar. cont., tom. XIV, pag. 365), novum iniit Concordatum cum Ludovico XVIII, Galliarum rege. In hoc autem Concordato declarantur nulli articuli organici, *in iis quæ adversantur doctrinæ et legibus Ecclesiæ;* restituitur Concordatum inter Leonem X et Franciscum I, quibusdam punctis exceptis; fitque novarum diœcesium erectio. Qua occasione etiam declaratus est sensus juramenti fidelitatis ab Episcopis Regi præstandi (ibid. p. 377). Sed Concordatum istud non fuit ad executionem de-

ductum, teste eodem Pio VII in allocutione consistoriali (Bullarium Romanum continuatum loco citato). Attendendum tamen est illud Concordatum; nam idem summus Pontifex dum nova constitutione anno 1822 ecclesias Galliæ tandem ea stabili ordinatione, quæ hodiedum perseverat, donavit, non in omnibus derogatum Concordato anni 1817 declarat, sed in iis tantum, de quibus in præsenti Constitutione aliter providebat.

§ II.

Per bullam *Qui Christi Domini* priscum jus canonicum gallicanum antiquatum fuit et annullatum.

Priscum jus canonicum gallicanum vocamus varias juri communi derogationes legitime in Gallia introductas et usque ad Papam Pium VII vigentes. Quænam fuerint istæ derogationes legitimæ, longum et difficile esset determinare; de quibusdam enim certo constat; de pluribus autem disputatum est. At vero sive ad plura, sive ad pauciora jus canonicum gallicanum legitime extensum olim fuerit, hic quæritur, an plene fuerit eversum per bullam *Qui Christi Domini;* ita scilicet ut propria nunc ecclesiis Galliæ jura, jam non nisi præfata Apostolica constitutione et posterioribus actis et consuetudinibus fundari censenda sint. Affirmative autem solvendam quæstionem omnino probat ipsius bullæ textus, qui tenoris est hujusce modi :

Supprimimus, annullamus et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infrascriptarum ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis ;... ita ut (deleto etiam omni jure metropolitico cujuscumque metropolitanæ ubicumque existentis) omnes supradicti archiepiscopatus et episcopatus, cum abbatiis,

etiamsi ea vere essent nullius cum separato territorio et jurisdictione, haberi debeant in posterum tanquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimode extincti, aut in novam formam redigendi... Non obstantibus. . earumdem ecclesiarum per nos suppressarum et extinctarum.... statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, etc.

Ex quo textu sic arguere licet : 1° Decreto isto percelebri extinctæ sunt omnes tunc existentes Galliarum ecclesiæ. Hoc clare constat tum verbis ipsis, *Supprimimus, annullamus, perpetuo extinguimus*, tum scopo quem sibi proponebat summus Pontifex, nova scilicet ecclesias creandi in toto reipublicæ territorio, quod fieri nequibat, nisi vere suppressis et extinctis prioribus. Jamvero sic extinctis omnibus Galliarum ecclesiis, debuit hoc ipso simul desinere et extingui priscum jus gallicanum. Nam jus illud, utpote ecclesiasticum, nihil aliud erat quam jus ipsarummet ecclesiarum Galliæ; nec differebat a jure communi, et gallicanum dici poterat, nisi quia erat istis Galliæ ecclesiis proprium : ergo pereuntibus illis ecclesiis, perire debuerunt jura ipsis propria et, ut ita dicam, personalia. Nec dicatur novas erectas ecclesias quasi titulo hæreditatis potuisse jura hæc accipere. Novæ enim ecclesiæ nunc existentes sunt omnino diversæ a prioribus, etiamsi aliqua eodem fere territorio circumscribatur ac prius. Nam postquam prior extincta est, verum fuit in isto territorio nullam remansisse ecclesiam; unde quando nova postea erecta est, eodem modo erecta est ac si erigeretur in regione in qua nunquam ullus episcopatus extitisset. Nec fingatur jura particularia seu privilegia alicujus ecclesiæ inhærere territorio ipsius; hoc enim falsum est : privilegia enim ecclesiæ alicui propria, inhærent illi ecclesiæ quatenus tali, id est, per talem titulum canonicum existenti; unde semel destructa ecclesia aliqua quoad titulum suum canonicum, nullum remanet in ipsius territorio jus huic ecclesiæ proprium. Nemo non videt

quam esset absurdum supponere ecclesias, quæ nunc creantur in Africa, hoc ipso gaudere juribus olim apud africanas ecclesias tempore sancti Augustini vigentibus, eo quod idem sit territorium. Ergo etiamsi Pius VII nihil expresse statuisset de priscis juribus, Galliarum ecclesiis peculiaribus, concludendum esset, ipsamet suppressione et extinctione harum ecclesiarum, suppressa et extincta fuisse varia jura ipsis propria.

2° Pius VII expressis verbis abolevit omne jus priscis ecclesiis gallicanis proprium : extinxit enim omnes illas ecclesias : *cum respectivis earum juribus, privilegiis et prerogativis cujuscumque generis, et nonobstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus;* ergo donec denuo concedantur aut legitima consuetudine renoventur hujusmodi jura, privilegia et prerogativæ, solo jure communi gaudere recentes ecclesias tenendum est.

3° Per suppressionem illam amisisse privilegia sua et prærogativas priscas cathedralia capitula fatentur omnes; et debere regi hodierna capitula tum jure communi, tum decreto speciali a cardinali Caprara de hac materia ex delegata summi Pontificis auctoritate lato, tum statutis episcopalibus ad formam hujus decreti confectis, libenter admittunt; nosque hoc ipsum suo loco stabiliemus. Jam vero si per bullam Pii VII occubuere sæcularia capitulorum variis in locis privilegia, consequens videtur extinctas pariter fuisse varias juri communi derogationes, quibus fruebantur gallicanæ ecclesiæ : nec enim minus clare has quam illa se sustulisse testatur Pius VII.

4° Potest insuper eadem thesis ex nonnullis auctoritatibus et sacræ Congregationis concilii declarationibus non parum fulciri.

In causa Niciensi 23 januarii 1847, contendebant canonici se non amisisse jus patronatus, quo potiebatur olim capitulum cathedralis Niciensis, et vi cujus ad ipsum pertinebat

nominare parochum ejusdem cathedralis. Quod sic exponit sacræ Congregationis concilii secretarius : « Aderat jam in » ecclesia cathedrali Niciensi parochialis animarum cura, » capituli juri patronatus obnoxia; cum, occupata per Gal- » licæ reipublicæ militem Niciensi comitatu, etiam illa ec- » clesia una cum capitulo, parem cæteris Galliarum ecclesiis » cladem passa fuit. Tantam hanc religionis perniciem mise- » ratus sanctæ memoriæ Pius VII, inita conventione cum iis » qui Galliis præerant, novam inter cætera diœcesum divi- » sionem decrevit; datisque in eam rem apostolicis litteris » 3 cal. decembris 1801, incipientibus *Qui Christi vices*, no- » minative Niciensem ecclesiam ab archiepiscopatu Ebre- » dunensi divellens, eamdemque archiepiscopatui Aquensi » assignans, se primum supprimere denuntiavit, ideoque » generatim edixit : *supprimimus, annullamus*, etc. » Ibi refert sacræ Congregationis secretarius varios textus constitutionum Pii VII, et decreti cardinalis Capraræ, ex quibus constat, tunc factam fuisse suppressionem et exstinctionem, tum ecclesiarum omnium archiepiscopalium et episcopalium, tum capitulorum, tum paræciarum, et jus nominandi parochos Episcopis fuisse attributum. Postea memorat quomodo Joannes Baptista Columna, primus post novam circumscriptionem Niciensis Episcopus, quodam suo decreto agnoverit nominationem parochi cathedralis ex jure patronatus sicut olim ad capitulum pertinere. Tum exponit rationes adductas ex una parte a capitulo, ex altera a recenti Episcopo Galvani. E quibus eas tantum quæ ad nostram præsentem quæstionem faciunt referimus.

« Canonici... in genere tuentur tum Niciense capitulum, » tum universa ejusdem jura ac privilegia, gallica occu- » patione cessante, in priorem statum restituta fuisse... » Contendunt omnia quæ tristissima ea tempestate acta sunt, » non nisi ex vi ac violentia gesta accipi debere, quæ idcirco » tamdiu consistere poterant, quamdiu occupantis potentia

» perstitisset (1).... Quinimo si res penitius consideretur, in
» conventione anni 1801, certe Pontificis mens et ratio ea
» non fuit, ut stricte ac proprie loquendo sedes episcopales,
» capitula et parochiæ ad nihilum redigerentur. Divexata
» enim Pontificis voluntas a majoribus quæ imminebant
» Ecclesiæ malis, perperam ad ea protenderetur quæ tem-
» porum absoluta necessitas haud exigebat... Ex quibus
» concludunt omnia capituli jura ac privilegia, ideoque
» etiam antiquum jus patronatus, veluti quodam postli-
» minii jure ad vitam rediisse, et nunc in suo robore con-
» sistere. »

« Hæc confutari satagit Episcopus. Ante omnia, licet non
» deneget ea quæ sub gallica dominatione gesta sunt, ille-
» gitima et nullius roboris exstitisse, tamen excipienda
» monet quæ Pontificis auctoritate statuta sunt; cujusmodi
» fuit nova Galliarum diœcesum circumscriptio cum cæte-
» ris inde subsecutis. Enimvero Pontificem in tota christiana
» republica plenum jus et imperium obtinere nemo catho-
» licus ibit inficias... Nullo firmo fundamento fulcitur jus
» quod dicti canonici contenderunt memoratæ nominatio-
» nis : non quidem reviviscentia jurium antiqui capituli,
» quæ ut luculentissime constat ex apostolicis bullis Pii VII,
» prorsus extincta sunt absque ullo successionis prætextu...
» Si pristinum statum consideres, hic penitus deletus et
» eversus est; si vero novam respicias rerum conditionem,
» decretum episcopale anni 1803 (2) nihil obesse potest. Cum
» enim luculenter Pontifex suis litteris apostolicis parochia-
» rum provisionem liberæ Episcoporum potestati reliquerit,
» jam non erat in Episcopi Columna facultate contra expli-

(1) Hoc si verum esset, soli Episcopi *parvulæ ecclesiæ* ab anno 1814 legitimi forent; et sola nunc legitima foret antiqua circumscriptio diœcesum Galliæ.

(2) Nempe quo Episcopus Columna agnoverat jus a capitulo prætensum.

» citum ipsius Pontificis mandatum venire; hac enim in re
» nihil ille aliud erat nisi merus exsequutor : at vero explo-
» ratissimum in jure est quod mero exsequutori non restat
» nisi simplex ac actualis exsequutio; et si ad unguem non
» servat formam in litteris præscriptam, quarum vigore
» procedit, nulliter et injuste agit... Huc accedit Episcopum
» Columna facto suo decretum retractasse; et licet non re-
» tractasset, nihilominus successoribus haud nocere potuis-
» set, quippe qui jura sua ex concessionibus apostolicis me-
» tiebantur. »

Postquam utriusque partis rationes retulit, addit Sacræ Congregationis secretarius :

« Nonnulla pro meo munere sacri ordinis oracula sub-
» jiciam, ut eminentiæ vestræ deprehendant quid alias
» senserit Sacra Congregatio de antiquorum jurium ac privi-
» legium reviviscentia quoad alia capitula pariter exstincta
» ac noviter erecta. Capitulum Derthonense tuebatur omnia
» universim pristina jura, privilegia, consuetudines, et spe-
» ciatim usum matutini post completorium recitandi, ves-
» peras sine cantu persolvendi diebus ferialibus, in viridi
» adhuc observantia ac vigore persistere, contrarium con-
» tendente Episcopo. Itaque die 12 septembris 1829 propositis
» dubiis :

« 1° *An matutinum sit mane recitandum in casu.* 2° *An*
» *vesperæ sint quotidie cum cantu persolvendæ in casu.* 3° *An*
» *et quot missæ conventuales sint cantu celebrandæ in casu.*
» — Sacra Congregatio nulla habita pristinorum jurium
» privilegiorumque ratione, respondit : *ad* 1, 2 *et* 3 *affirma-*
» *tive et ad mentem : mens est ut Episcopus justa accedente*
» *causa possit dispensare pro anticipatione matutini...* Et ta-
» men in litteris incipientibus *Beati Petri*, quibus ecclesia
» Derthonensis restituta fuerat, legebatur hæc clausula :
» *Salvis tamen et integris manentibus, vel in suo robore resti-*
» *tutis juribus omnibus aut prærogativis quibus capitula ante*

» *annum* 1803 *legitime potiebantur, et quibus hac nostra con-*
» *stitutione nominatim derogatum non fuerit.*

» Easdem vices subierat Pigneroliense capitulum; cum-
» que Episcopus animarum curam, quæ pacifice ante annum
» 1803 de capituli jure patronatus fuerat, præposituræ per-
» petuo univisset, canonici tuebantur integrum suum jus
» etiam post unionem peractam remansisse. Proposito igi-
» tur dubio : *An constet de perpetua unione, ita ut factus sit*
» *locus cessationi capitularis nominationis in casu;* Sacra Con-
» gregatio die 12 julii 1845 respondit : *Affirmative in omni-*
» *bus.* » Hæc postquam commemoravit Sacræ Congregationis secretarius, dubium quoad prætensum jus capituli Niciensis proponit hoc modo : *An et quomodo parochia S. Reparatæ juri patronatus capituli cathedralis adhuc obnoxia sit, seu potius liberæ collationis Episcopi facta fuerit?* Responsum est : *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* (Vide causam hanc in Thesauro resolut., tomo anni 1847, pag. 12.)

In causa Derthonensi 12 septembris 1829, contendebant canonici antiqua sua jura suppressioni et extinctioni Derthonensis ecclesiæ et capituli per Pium VII, anno 1803 peractæ, supervixisse et ad noviter erectum postea capitulum transisse; illud ipsum negante Episcopo. Rem sic exponit sacræ Congregationis Concilii secretarius (in Thesauro resolut. tomo anni 1829, pag. 196) : « Ineunte sæculo 19 ab adverso
» fato, quod ob teterrimas hujus ævi calamitates plurimæ
» ecclesiarum cathedræ sunt expertæ, haud immunis evasit
» Derthonensis ecclesia. Enimvero inter sedes episcopales et
» archiepiscopales quas Pius VII, litteris calendis junii 1803,
» ut graviora quæ Ecclesiæ impendebant vitarentur damna,
» supprimendas duxit, Derthonensis quoque sedes, ejusque
» cathedralis ecclesiæ capitulum recensebantur. Rebus tan-
» dem compositis, idem Pontifex litteris 16 kalendas au-
» gusti 1817 datis, cum cæteras, tum etiam memoratam

» Derthonæ sedem denuo erexit, facultatemque tribuit *uni-*
» *cuique ex noviter erectis capitulis cathedralibus, ut statuta*
» *quæcumque, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et*
» *constitutionibus apostolicis minime repugnantia, prævio Or-*
» *dinarii loci examine et approbatione, de novo edere atque*
» *edita reformare... possent.* Itaque Derthonensis ecclesiæ
» canonici, ut pontificiæ constitutioni obsequerentur, operi
» manus admoverunt, et exemplar conditarum legum die
» maii 1823 Episcopo obtulerunt, qui omnibus cognitis ma-
» tureque perpensis, eas probavit, observarique præscripsit
» sub pœnis a jure inflictis, aliisque arbitrio superioris in-
» fligendis. » Narrat postea S. Congregationis secretarius quomodo, elapso uno aut altero anno, canonici contenderint non periisse, sed adhuc vigere, antiqua capituli Derthonensis jura et consuetudines. Ex rationibus autem hinc inde allatis hæc excerpimus :

« Qui Episcopi partes tuetur, adeo novissimarum consti-
» tutionum custodiam urgere nititur, ut omnia jura et
» privilegia, quæ sive antiquioribus statutis, sive vetusta
» consuetudine innitebantur, velit undique abrogata ac de-
» leta. Idque sane ut præstet, sic edisserit : inter sedes epi-
» scopales Pedemontanæ provinciæ, apostolicis litteris anni
» 1803 suppressas ac penitus exstinctas, aderat profecto
» sedes et capitulum Derthonense. Hujus rei perenne exhi-
» bet testimonium bulla 16 calend. augusti 1817, in qua
» hæc de apostolicis litteris anni 1803 leguntur : *Sancitum*
» *nostra auctoritate fuit, ut prævia suppressione, exstinctione*
» *ac perpetua annullatione episcopalium ecclesiarum Segu-*
» *sinæ... Derthonensis,* etc. Jam vero si antiqua sedes ac ve-
» tus capitulum Derthonense veram subiit suppressionem
» ac perpetuam exstinctionem, antiqua jura et privilegia
» jam penitus exstincta ac perempta dicenda sunt (Reiffens-
» tuel in l. 3 decretalium, tit. 12, n. 32. — Sacra Congre-
» gatio, in Ovetensi 18 novembris 1826, § *Hoc*) : Si, non

» vetus sedes vetusque capitulum ab apostolica sede instau-
» ratum, sed nova sedes novumque capitulum erectum fuit,
» patet haud reviviscere potuisse antiqua jura; sed ea tan-
» tummodo capitulo noviter erecto attribuenda esse privile-
» gia quæ ipsi aut a lege fundationis, aut a sacris canonibus
» impertiuntur. Neque canonici, subdit Episcopi defensor,
» subsidium sibi quærere possunt ex illis quæ in bulla anni
» 1817 leguntur verba : *salvis et integris manentibus, vel in*
» *suo robore restitutis juribus omnibus aut prærogativis,*
» *quibus capitula prædicta potiebantur ante annum* 1803.
» Hæc siquidem verba neque ad capitulum Derthonense,
» neque ad alia capitula prius legitime suppressa, ac postea
» denuo erecta, sed ad alia capitula quæ nonnullas subie-
» rant vicissitudines et de quibus sermo est in eadem bulla,
» referenda esse contendit, veluti legenti apostolicas litteras
» plane liquescere putat. Hinc rem conficit idem defensor,
» inquiens : Constitutiones anni 1823 omnino sunt ser-
» vandæ, ipsæ tantum in exortis quæstionibus dirimendis
» spectandæ; et ubi silent capitulares constitutiones, ad sa-
» crorum canonum dispositionem confugere oportet... »

« Ex adverso capituli defensor statuta, consuetudines et
» privilegia Derthonensis capituli... nullatenus fuisse abro-
» gata aut imminuta, sed ea integra et incolumia hactenus
» manere propugnat. In primis enim animadvertit, sum-
» mum Pontificem Pium VII quarumdam ecclesiarum ca-
» thedralium suppressionem haud eam ob causam anno
» 1803 decrevisse, ut collapsam disciplinam restitueret, abu-
» sus tolleret, mores reformaret, aut capitulorum jura et
» privilegia destrueret; sed ut militarem vim sedaret, et
» graviora quæ infelicissimis tempestatibus imminere pote-
» rant arceret infortunia. Vix autem fausti illuxere dies,
» ac... Pius VII cathedrales ecclesias cum suis capitulis in
» pristinum restituit... et facultatem capitulis in antiquum
» statum restitutis concessit nova condendi statuta... Ea

» autem est vis ac ratio restitutionis in integrum, ut resti-
» tutus in illum redintegretur statum et jus, a quo deciderat.
» Jura igitur et privilegia Derthonensis capituli sua adhuc
» pollent vi, nec eis derogarunt novissimæ anni 1823 con-
» stitutiones; quibus imo canonici solliciti fuere ut antiqua
» jura sarta tecta manerent, editas leges certos intra limites
» ita cohibentes : *Salvis nihilominus et integris manentibus*
» *vel in suo robore restitutis juribus omnibus aut prærogati-*
» *vis, quibus legitime potiebatur capitulum ecclesiæ Dertho-*
» *nensis, eo modo quo censet summus Pontifex Pius VII in*
» *sua constitutione.* »

Declaratio autem Sacræ Congregationis in favorem Episcopi, contra capituli prætensum jus suas retinendi antiquas consuetudines et prærogativas, emanavit die 12 septembris 1829.

Ex præmissis documentis constat 1° ab Episcopis Derthonensi et Niciensi tanquam certam habitam fuisse thesim quam defendimus; per bullas nempe Pii VII exstincta fuisse non tantum ecclesias episcopales archiepiscopalesque atque capitula, sed etiam simul omnia eorum privilegia et antiquas consuetudines; ita ut hujusmodi peculiaria quibus olim fruebantur jura, ad noviter erectas ecclesias et capitula minime transisse censenda sint. 2° Eamdem mentem fuisse eminentissimorum Congregationis concilii Patrum, satis innuunt memoratæ declarationes. Dum enim definiunt ad Derthonenses et Nicienses canonicos minime pertinere quædam antiqua jura de quibus disceptabatur, hoc ipso indirecte mentem suam de exstinctis generatim per Pium VII veteribus consuetudinibus et privilegiis sufficienter Patres manifestant. Si enim supervixissent hujusmodi jura, non videtur quare prædicti canonici causa cecidissent.

His auctoritatibus aliam non parvi faciendam possumus attexere; Eminentissimi nempe cardinalis Orioli, quem e vivis ereptum paucis abhinc diebus lugebat Roma. A sacra

congregatione, Episcoporum et regularium negotiis præposita, postulaverat quidam Galliæ Præsul licitum declarari usum plures media nocte in Natali missas celebrandi et sacram fidelibus synaxim impertiendi. Valere autem illam consuetudinem inde urgebat dictus Episcopus, quod, licet juri communi contraria, diutissime ante concordatum anni 1801 obtinuerat, nec postea desierat. Quam rationem Eminentissimus Orioli, dictæ Congregationis præfectus, et qui in hac causa *Cardinalis Ponentis* partes agebat, sic impugnandam duxit : « Anno 1802, occasione celeberrimi concordati » inter sanctæ memoriæ Pium VII et Reipublicæ Galliarum » primum consulem, per constitutionem *Qui Christi Domini* » *vices* initi, id in scopo fuit ut destrueretur totus antiquus » status cujuslibet episcopatus, cujuslibet capituli, et cujus- » libet parochiæ; substituendo hac eadem constitutione » alium novum statum, omnino a priori, formaliter saltem, » diversum. Et quamvis (quantum in dicta bulla et aliis » ipsi annexis dispositionibus observari potuit) nihil ex- » presse statuatur quoad pristinarum consuetudinum abro- » gationem, hæc tamen abrogatio tanquam quid necessario » consequens admittenda videtur. Cum enim deletus fuerit » uniuscujusque Ecclesiæ titulus cum omnibus privilegiis, » juribus et prærogativis, quomodo intelligi potest adfuisse » intentionem integras relinquendi consuetudines, genera- » libus præsertim Ecclesiæ legibus contrarias (1) ? »

(1) Hæc desumpsimus ex consultatione ipsa italice scripta et in typographia Cameræ Apostolicæ excusa, pagina 16. Textus autem italicus sic habet : « Nel 1802, nell' occasione del celebre concordato tra la S. M. di Pio VII ed » il primo console della Republica francese, mediante la costituzione *Qui* » *Christi Domini vices*, si ebbe in vista di distruggere tutto lo stato antico di » ogni vescovato, di ogni capitolo, et di ogni parrochia, surrogandone nell' » atto stesso uno nuovo, formalmente almeno, tutto dal primiero dissomi- » gliante. E sebbene, per quanto siasi in essa bolla ed altre disposizioni con » essa connesse osservato, nulla expressamente si stabilisca sull' abrogazione

Ex relatis autem Eminentissimi cardinalis Orioli verbis, patet ipsi persuasum fuisse concordato anni 1801 minime supervixisse pristinum jus, Galliarum Ecclesiis proprium. Nec mihi dubium est quin constanter in hunc sensum futura sit tribunalium romanorum praxis. Unde non tantum solidis rationibus, sed etiam auctoritate jam nixa satis videtur quam de hodierno jure gallicano tenuimus doctrina.

5° Hinc videre est quid sentiendum sit de quorumdam systemate, qui perdurasse prisca ecclesiarum privilegia, et ad ecclesias eodem moraliter territorio circumscriptas manasse contendunt. Dicunt scilicet summum Pontificem, propter extraordinariam urgentis necessitatis circumstantiam, auctoritate sufficiente instructum fuisse ad supprimendas omnes Galliarum ecclesias; privilegia autem ipsarum, cum ad id non urgeret necessitas, non potuisse pontificio decreto deleri. Quæ doctrina etiam ad praxim in quibusdam diœcesibus deducta est : concessæ sunt nempe ad contrahenda matrimonia dispensationes sanctæ Sedi reservatæ, non ex indulto pontificio, sed quia olim sedes Episcopales istarum diœcesium gaudebant privilegio talium dispensationum concedendarum. Fuerunt autem istiusmodi matrimonia a sancta Sede, quando res ad ipsam perlata est, in radice sanata.

Jam vero omni prorsus fundamento destitui systema illud facili negotio evincitur. Nam quod non possit summus Pontifex omnes alicujus regni ecclesias, ipsis non consentientibus, decreto supprimere, hoc quidem aliquam præ se verisimilitudinis speciem ferebat. Sequebatur enim invicte ex Gallicana doctrina, quæ docet Papam invalide agere contra receptos ca-

» delle pristine consuetudini, sembra però doversi ciò ritenere come cosa di
» necessaria conseguenza; poichè se si distruggeva il titolo di una Chiesa con
» tutti i privilegi, e dritti, et prerogative, come poteva intendersi che si voles-
» sero lasciare in piedi le consuetudini, molto più se contrarie alle leggi ge-
» nerali della Chiesa ? »

nones et probatas antiquas ecclesiarum consuetudines, ut expresse in famosa declaratione anni 1682 sancitum fuerat. Unde nec mirandum adeo est, sed potius compatiendum, Pio VII ad suppressionem ecclesiarum Galliæ sese accingenti, triginta octo præsules primo restitisse. Ex doctrina enim Gallicana in qua educati fuerant, non tantum obstare poterant, sed, ut dixerunt ex ipsis quidam, etiam ad vitandas intrusiones et schismata ex conscientia debebant huic suppressioni sese pro viribus opponere. Unde nisi, miserante Deo, tunc Episcopi Gallicanismum profitentes sibi contradixissent, non paucissimi, sed catervatim in schisma *parvulæ ecclesiæ* misere proruissent. Quod vero, admissa summi Pontificis ecclesias omnes alicujus regni supprimendi potestate, ipsi denegetur privilegia simul revocandi facultas, est prorsus absonum. Quomodo enim stare potest privilegium destructo privilegiato? Porro ecclesiæ quibus inhærebant ista jura privata, seu ista privilegia, seu, quod idem est, istæ a jure communi exemptiones, vere et proprie suppressæ et interemptæ et extinctæ sunt: extincta ergo et earum privilegia. Unde contradictoria thesis, ratione suadente, amplectenda est, nempe non posse summum Pontificem ecclesiam aliquam supprimere et ipsius privilegia servare; hæc enim duo in terminis pugnant, et summus Pontifex non potest quæ ex natura sua impossibilia sunt et contradictionem involvunt. Poterit ergo summus Pontifex extincta aliqua ecclesia, ad aliam ipsius privilegia actu speciali transferre; non autem solo et unico actu suppressionis privilegiatæ ecclesiæ facere, ut alia quælibet ecclesia, etiam in eodem territorio erigenda, privilegiis extinctæ gaudeat.

Deinde quam periculosum sit asserere, non posse eum, cui Christus commisit oves et agnos in universo orbe *plenam pascendi et regendi potestatem*, privilegia alicui ecclesiæ concessa, aut ex legitime præscripta consuetudine inducta, retrahere, illamque ecclesiam ad jus commune reducere, quis non videat? Præsertim cum, ex supra probatis, omne jus ex-

ceptionale non alia quam pontificia auctoritate nitatur. Præterea certum est, summum Pontificem posse prælatis alicujus ecclesiæ jurisdictionem limitare aut etiam adimere; ergo potest illam jurisdictionem intra limites juris communis coercere, et privilegium vi cujus ultra extendebatur adimere. Et tandem si non possit summus Pontifex legum ecclesiasticarum universalium executionem urgere, ad eas reducendo eos qui privilegiis eximebantur, ipsius legislativa et jurisdictionalis potestas tota in eo erit, ut possit, non legibus ligare universos Christi fideles, sed tantum leges quibus ligentur ab aliis, nempe ab universalitate Episcoporum et ecclesiarum, approbandas proponere. Hoc autem damnando et damnato systemate perit primatus jurisdictionis summi Pontificis, et ad merum primatum honoris reducitur.

Dicendum ergo, per bullam *Qui Christi Domini*, revera antiquatum fuisse priscum jus gallicanum, quodcumque istud fuerit; et novas ecclesias Galliæ surrexisse sub jure communi, exceptis iis materiis in quibus ipsamet bulla et decreta subsequentia derogaverunt juri communi, et constituerunt novum jus exceptionale, gallicanis ecclesiis proprium.

Inde vero fluit maximi momenti consectarium. Nempe, jam ad determinandum jus canonicum in Gallia, non inquirendum esse quid fuerit juris ante concordatum anni 1801, sed tantum quid sit, vel a jure communi, vel a concordato et decretis consuetudinibusve subsequentibus firmatum.

Equidem huic nostræ de antiquato prisco jure gallicano doctrinæ, objecerunt nonnulli cardinalis Capraræ juramentum, diei 9 aprilis 1802; sed perperam, ut probatur sequenti paragrapho.

§ III.

Quod Pius VII perseverare consenserit priscum jus gallicanum (illud præsertim quod *libertatum Ecclesiæ gallicanæ* nomine designari solebat) nequaquam probatur ex juramento à cardinali Caprara apud primum consulem præstito, neque ex ullo alio pontificiæ auctoritatis actu.

In prima præsentis tractatus editione nihil diximus de prætenso illo Pii VII consensu, vi cujus priscum gallicanum jus hodiedum legitime perseverare censendum foret. Non enim mentem subierat posse quidquam allegari, ex quo, vel cum minima verisimilitudinis umbra, consensus iste obtrudi valeret. Nobis tamen objectum est documentum quoddam : at perquam infeliciter. Apertissima quippe falsificatione adulteratum hoc documentum, thesim nostram de antiquato prisco jure gallicano nedum evertat, novo firmat munimine. Istud ergo documentum, id est, juramenti à cardinali Caprara emissi formulam, necnon alia, quæ ad rem facere videri possent, hujus temporis gesta, tantisper expendamus.

I

De arresto gubernii gallici pro registranda bulla, quæ collatas cardinali Capraræ facultates exprimebat.

Die 8 aprilis 1802 (seu, juxta hujusce temporis stylum, 18 *germinal an* x) editum est decretum istud, cujus is tenor est :

« Art 1er. Le cardinal Caprara, envoyé en France avec le » titre de *Légat à latere*, est autorisé à exercer les facultés » énoncées dans la bulle donnée à Rome le lundi 6 fructidor » an ix, à la charge de se conformer entièrement aux règles » et aux usages observés en France en pareil cas, savoir :

» 1° Il jurera et promettra, suivant la formule usitée, de » se conformer aux lois de l'État et aux libertés de l'église » gallicane, et de cesser ses fonctions, quand il en sera averti » par le premier consul de la République.

» 2° Aucun acte de la légation ne pourra être rendu public » et mis à exécution, sans la permission du gouvernement.

» 3° Le cardinal-légat ne pourra commettre ni déléguer » personne sans la même permission.

» 4° Il sera obligé de tenir ou faire tenir registre de tous » les actes de la légation.

» 5° La légation finie, il remettra ce registre et le sceau de » sa légation au conseiller d'État chargé de toutes les affaires » concernant le culte, qui le déposera aux archives du gou- » vernement.

» 6° Il ne pourra, après la fin de sa légation, exercer direc- » tement ou indirectement, soit en France, soit hors la » France, aucun acte relatif à l'église gallicane.

» Art. 2. La bulle du Pape contenant les pouvoirs du car- » dinal-légat, sera transcrite en latin et en français sur les » registres du conseil d'État : elle sera insérée au Bulletin des » lois. »

Ex isto quidem arresto constat (quod alias nimis notorium est et negat nullus), gubernium gallicum conservata voluisse non tantum prisca ecclesiæ gallicanæ jura, sed et eos abusus qui *libertates* vocabantur, et quibus sedes Apostolica tanto temporis tractu constanter obstiterat. Sed id extra quæstionem prorsus est. Nimirum hic quæstio est, non quid gubernium gallicum voluerit aut intenderit, sed *quid ipse summus Pontifex gesserit et consentiendo firmaverit.* Porro nihil omnino valet dictum arrestum, ad probandum Romani Pontificis, quoad istius modi prisca ecclesiæ gallicanæ jura libertatesve, consensum. Nedum huic arresto consensisse Pium VII fingi possit, expresse conquestus est quod, contra ea quæ circa Legati receptionem mutuo consensu statuta

fuerant, ad emittendum juramentum idem Legatus compulsus fuerit; prout ex sequenti documento constat.

II

Excerptum ex epistola domini Cacault, ministri plenipotentiarii, ad dominum Portalis, 12 maii 1802.

« Il (Pie VII) a vu avec peine qu'après avoir été décidé, que » la réception du Légat aurait lieu sans qu'il prêtât serment, » et qu'on renfermerait ce serment dans un discours au pre- » mier consul, il a fallu que le Légat prêtât un serment sé- » paré. Ensuite, ce même serment a été rapporté dans le » *Moniteur, d'une manière inexacte.* »

Unde, quod die 8 aprilis 1802 arresto citato jussus fuerit Legatus juramentum emittere, et quod die sequenti (9 aprilis) ad emittendum juramentum compulsus sit, factum est inscio Romano Pontifice, et contra id quod de hac re dispositum fuerat. Imo de hoc ipso, statim ac rescivit, conquestus est Pontifex. Consenserat solummodo Pius VII, ut a Legato pronuntiaretur oratio sequens, quæ sane systemati de conservato prisco jure gallicano nullatenus patrocinatur.

III

Oratio a legato Caprara ad primum consulem habita, die 9 aprilis 1802.

« Général, premier consul, c'est au nom du souverain » Pontife et sous ses auspices, que je viens remplir au milieu » des Français, les augustes fonctions de Légat à *latere*. Je » viens au milieu d'une grande et belliqueuse nation, dont » vous avez rehaussé la gloire par vos conquêtes, et assuré la » tranquillité extérieure par une paix universelle, et au bon- » heur de laquelle vous allez mettre le comble en lui rendant

» le libre exercice de la religion catholique. Cette gloire vous » était réservée, général consul. Le même bras qui gagna des » batailles, qui signa la paix avec toutes les nations, re- » donne de la splendeur aux temples du vrai Dieu, relève ses » autels et raffermit son culte. Consommez, général consul, » cette œuvre de sagesse si longtemps désirée par vos admi- » nistrés; je ne négligerai rien pour y concourir.

» Interprète fidèle des sentiments du souverain Pontife, » le premier et le plus doux de mes devoirs est de vous ex- » primer ses tendres sentiments pour vous et son amour » pour tous les Français. Vos désirs régleront la durée de ma » demeure auprès de vous. Je ne m'en éloignerai qu'en dé- » posant entre vos mains les monuments de cette impor- » tante mission, pendant laquelle vous pouvez être sûr que » *je ne me permettrai rien qui soit contraire aux droits du* » *gouvernement et de la nation.* Je vous donne pour garant de » ma sincérité et de la fidélité de ma promesse, mon titre, » ma confiance connue, et j'ose le dire, la confiance que le » souverain Pontife, et vous-même, m'avez témoignée. » (Bullarium Romanum continuatum, tomo XI, pag. 325.

Nihil ibi occurrit de conservandis priscis libertatibus aut juribus ecclesiæ gallicanæ. Et juxta conventionem quæ præirat de recipiendi Legati forma, nihil aliud præter istam orationem pronuntiare debebat Legatus ; nullum scilicet juramentum emittere, nec aliud promittere quam quod in hac oratione continetur.

IV

Die 9 aprilis 1802, id est, ipsomet receptionis die, Cardinalem Legatum monuit dominus Portalis, exigi à primo consule juramentum juxta formulam quam ei porrexit. Renuit primum Cardinalis : tandem mutuo consensu res ita composita est, ut formula quidem pronuntiaretur, sed cum iis mutationibus quas omnino necessarias duxit Legatus.

In diario l'*Ami de la religion* (7 juin 1853, tomo 160, pa-

gina 569) edita est dissertatio, contra opusculum quoddam domini Prompsault; qui scriptor, more suo, prout in cæteris multis, hac etiam in re ab orthodoxa doctrina plane devius, ex juramento a Cardinali Caprara emisso, et in diario *le Moniteur* relato, concludebat ab eodem Cardinali sartas tectas, conservatas fuisse priscas *ecclesiæ gallicanæ libertates*, a celebri Pithou recensitas. Auctor porro dictæ dissertationis, quod inter Cardinalem et dominum Portalis gestum sit, enarrat in hunc modum :

« Il avait été convenu dans les conférences préliminaires à » la promulgation du concordat, que le légat ne prononce- » rait pas de serment à la cérémonie de l'audience, mais le » simple discours que voici (jam illam orationem superiori » numero transcripsimus)... Ce ne fut que le 9 avril, le jour » même de l'audience, que M. Portalis avertit le cardinal » Caprara qu'il devrait prononcer un serment, dont il lui fit » connaître en même temps l'exigence et les termes. Le Lé- » gat protesta contre cette prétention, et déclara qu'il ne » pouvait s'y soumettre sans dépasser ses instructions et ses » pouvoirs. M. Portalis insista, représentant que tout était » prêt, que le premier consul avait manifesté sa volonté; qu'il » ne fallait pas s'exposer à voir tout arrêter... Il ajoutait » qu'on ne tenait point à la formule telle qu'elle avait été ré- » digée; que le Cardinal pouvait en changer les termes; et » qu'après tout, durant la lecture du serment, il pourrait, si » bon lui semblait, réciter un *Pater;* tant en vue des graves » intérêts qui auraient pu être compromis, la question des » termes du serment lui paraissait de peu d'importance. Le » Cardinal prit la formule, la modifia en soulignant les mots » qu'il changeait, et, durant la cérémonie, prononça le ser- » ment selon la forme qu'il lui avait donnée.

» Le lendemain parut dans le *Moniteur* le récit de l'au- » dience. La *Feuille officielle*, soit par inadvertance, soit par » une habileté destinée à répondre aux passions du moment,

» reproduisit, non pas la formule prononcée, mais celle que » M. Portalis avait soumise au légat. Quant à celle qu'avait » proférée le Cardinal, elle fut insérée dans le journal officiel » de Rome. »

Cum opposuisset dominus Prompsault, hæc asseri, non probari, ei respondit diarium l'*Ami de la religion* (16 juin 1853, tomo 160, pagina 669) :

« Ce fut entre le cardinal Caprara et le conseiller d'État » Portalis qu'eut lieu la discussion relative à l'exigence et » aux termes du serment. Il ne s'agit pas de savoir si les con- » suls, les ministres et le conseil d'État devaient consentir ou » non aux modifications exigées par le Légat, mais si ces mo- » difications furent, en effet, consenties par Portalis. Or, ce » dernier fait est incontestable, nous en avons fourni les » preuves. Portalis accepta les modifications jugées néces- » saires par le cardinal Caprara. Celui-ci souligna de sa main » les termes qu'il supprimait ou changeait au projet primi- » tif ; et, si M. l'abbé Prompsault veut se donner la peine *de* » *consulter les archives du ministère,* nous ne doutons pas » qu'il n'y trouve la preuve de ce que nous avançons *en* » *parfaite connaissance de cause.* Il est vrai que le Légat ne » crut pas nécessaire de protester publiquement contre les » termes du serment inséré au *Moniteur*. Mais cette protes- » tation publique était inutile et dangereuse : inutile, car » l'insertion au *Moniteur* ne pouvait rien contre la nature et » la signification de son serment, connu et consenti par qui » de droit, dans la forme nouvelle qu'il avait reçue : dange- » reuse, car elle eût ranimé contre le Saint-Siége et le concor- » dat des passions et une opposition qu'il était souveraine- » ment important d'étouffer, dans l'état précaire où se » trouvait alors l'Église en France. Rome, toutefois, ne garda » pas le silence : elle protesta, mais avec la prudence qu'exi- » geaient les circonstances et avec la fermeté que demandait » la gravité d'un tel acte. » Dubium mihi non est quin res

peracta sit prout enarrat diarium l'*Ami de la religion*. Habuit quippe præ manibus documenta authentica, licet ex prudentia siluerit à quo et quomodo ipsi documenta hæc commodata sint. Cæterum ad *archivia ministerii* lectorem non remisisset, nisi in hoc archivio extare dicta documenta plane compertum habuisset.

V

Formula, quam edidit et recitatam asseruit diarium *le Moniteur*, diversa est ab illa quam revera recitavit Cardinalis Legatus; et in hac posteriore desunt verba hæc : *Je ne dérogerai en aucune manière aux droits, libertés et priviléges de l'Église gallicane.*

I. *Formula inserta in diario le Moniteur.* — « Jean-Baptiste » Caprara, Cardinal, prêtre de l'Église Romaine, Légat *a latere* du Saint-Siége apostolique, auprès de Napoléon-Bonaparte, premier consul de la République de France, et auprès de la nation française; les mains sur ma poitrine, je » jure et promets sur ma parole de Cardinal et sur mes » ordres sacrés, au premier consul de la République de » France; que je n'exercerai mes fonctions de Légat et que je » n'userai des facultés qui m'ont été accordées par le Saint-» Siége qu'autant de temps que je serai dans la République » et qu'il plaira au premier consul; de sorte qu'aussitôt qu'il » m'aura notifié sa volonté, je déposerai sur-le-champ et » d'une manière convenable, en ses mains le titre et les » droits de Légat.

» De plus, lorsque ma légation sera finie, je remettrai à » celui qui me sera désigné par le premier consul de la Ré-» publique de France, les registres contenant tous les actes » que j'aurai faits, et encore que j'observerai les constitu-» tions, les lois, les statuts et les usages de la République, et » que je ne dérogerai en aucune manière à l'autorité et à la » jurisdiction du gouvernement de la République, *aux droits,*

» *libertés et priviléges de l'église gallicane*. En foi de quoi j'ai » souscrit les présentes et les ai fait sceller de mon sceau. » Hæc est formula quam edidit, et quam falso pronuntiatam asseruit diarium *le Moniteur*, n° 200, 20 germinal, an x, id est, die 10 aprilis 1802.

II. *Formula qualis à cardinali Caprara pronuntiata est.* — Habetur in collectione authentica documentorum, ad concordatum anni 1801 pertinentium, Romæ, summi Pontificis jussu, edita; et ei præfixus est hic titulus : *Verba promissionis quam Cardinalis Legatus in præfata prima admissione e scripto recitavit.* Habetur etiam *latine* in Bullario Romano continuato, tomo XI, pagina 325. Tenor autem est hujuscemodi :

« Je promets au premier consul, que je n'exercerai mes » fonctions de légat et que je n'userai des facultés qui m'ont » été accordées par le Saint-Siége, qu'autant de temps que je » serai dans la République et qu'il plaira au premier con- » sul; de sorte qu'aussitôt qu'il m'aura notifié sa volonté, je » déposerai sur-le-champ, et d'une manière convenable, en » ses mains le titre et les droits de légat.

» De plus, lorsque ma légation sera finie, je remettrai à » celui qui me sera désigné par le premier consul, les régis- » tres contenant tous les actes que j'aurai faits; et encore que » j'observerai les statuts et les usages de la République, et » que je ne dérogerai jamais à la jurisdiction et aux droits du » gouvernement. En foi de quoi j'ai lu publiquement cette » présente promesse que je fais. »

III. *Probatur, non priorem, sed posteriorem formulam à Cardinali Caprara recitatam fuisse.* — 1° Constat ex citata collectione authentica, Romæ edita. 2° Constat ex verbis ministri Galliæ domini Cacault, ita scribentis ad dominum Portalis, die 12 mai 1802 : « Il (Pie VII) a vu avec peine qu'après » avoir décidé que la réception du Légat aurait lieu sans qu'il » prêtât le serment, et qu'on renfermerait ce serment dans

» un discours au premier consul, il a fallu que le Légat prê-
» tât un serment séparé. Ensuite, ce même serment a été
» rapporté dans le *Moniteur d'une manière* INEXACTE. » 3° Confirmatur ex allocutione consistoriali, diei 24 maii 1802, in qua sic Pius VII : « Conscius ille (Cardinalis Legatus) sensuum
» nostrorum, qui sunt omnes ad una spiritualia conversi, et
» religionem in Gallia restituendam, certum fecit gubernium,
» nunquam in suo legationis munere attentatum iri *contra*
» *jura gubernii ac nationis, statuta ac consuetudines reipubli-*
» *cæ*, seque ad gubernii beneplacitum in eodem munere con-
» tinuaturum esse, prout ex *enunciata sylloge* cognoscere po-
» testis. » Ibi refert Pontifex quid Cardinalis Caprara promiserit. Quod si revera promisisset *libertatum ecclesiæ gallicanæ* conservationem, id (ut pote præcipuum) non siluisset Pius VII; nec remisisset ad dictam syllogen documentorum, in qua extat formula promissionis absque prætensa illa sponsione *non derogandi ecclesiæ gallicanæ libertatibus*. 4° Tandem pronuntiatam fuisse à cardinali Caprara formulam, non qualem edidit diarium le *Moniteur*, sed qualis Romæ edita est, plene constat ex citata relatione diarii l'*Ami de la Religion*, et ex documentis *archiviorum ministerii*, ad quæ idem diarium remittit.

VI

Conclusio paragraphi.

Ex deductis hæc colligenda veniunt : 1° a Cardinali Caprara nullum proprie emissum est *juramentum*, sed simplex *promissio*. In formula enim ab ipso recitata nullibi occurrit vox *je jure*, sed tantum vox, *je promets*. Cautum nempe fuerat ut nullum ab ipso exigeretur *juramentum*, sed sufficeret *promissio* in oratione ad primum consulem inserta, *je ne ferai rien qui soit contraire aux droits du gouvernement et de la na-*

tion. Hinc quando, instante jam receptionis hora, certior factus est exigi insuper a primo consule *juramenti* formulam, adduci non potuit ut eam recitaret cum vocibus quæ *juramentum* proprie dictum exprimerent. Et debuit consentire dominus Portalis, ut poneretur dumtaxat vox *promitto.* Unde ubi dicitur præstitum a cardinali *juramentum,* id minus proprio sensu intelligendum est.

2° In formula quam recitavit, nulla reperitur promissio non derogandi priscis *ecclesiæ gallicanæ juribus privilegiis ac libertatibus.* Id quidem exprimebatur in formula ipsi porrecta. Sed voces illas expunctas voluit Cardinalis; nec nisi iis expunctis adduci potuit ut formulam legeret.

3° Quod dixerit Cardinalis legatus, *j'observerai les statuts et les usages de la* RÉPUBLIQUE *et je ne dérogerai jamais à la juridiction et aux droits du* GOUVERNEMENT, nequaquam æquivalet promissioni non derogandi *ecclesiæ gallicanæ juribus ac libertatibus.* Nam expresse loquitur de juribus *reipublicæ* et *gubernii;* et nihil dicit de *ecclesia gallicana.* Vesanum autem foret jura *reipublicæ,* cum *ecclesiarum* juribus confundere. Præterea, si sensus idem foret, non expunctas voluisset voces prioris formulæ, de *ecclesiæ gallicanæ juribus* et *ac libertatibus.*

4° Promissio Cardinalis Capraræ habenda est tanquam novum tot aliis accedens monumentum, de reprobatis a Sede apostolica iis abusibus quæ, nomine *jurium et libertatum ecclesiæ gallicanæ,* in Galliis obtinuerant. Certum enim est expunctas a Cardinali fuisse voces, quibus exprimebatur promissio dictis prætensis juribus ac libertatibus non derogandi. Et coactus est dominus Portalis in hanc expunctionem consentire. Porro eam expunctionem exigere, idem erat ex parte Cardinalis Legati, ac declarare nequaquam ut legitimas admitti aut agnosci posse a Sede apostolica prætensas illas libertates.

5° Etiamsi Cardinalis Caprara juramenti formulam reci-

tasset prout à gubernio gallico exarata fuerat, nihil inde in gratiam libertatum ecclesiæ gallicanæ redundaret. Nam id attentasset Legatus, non tantum inscio Romano Pontifice, sed etiam contra expressam ipsius voluntatem ; siquidem cautum a Sede apostolica fuerat ne ullum juramentum Legatus emitteret; in quod et ipsi qui gubernium gallicum repræsentabant prævio consenserant. Ergo potestatem et instructiones suas Legatus excessisset, ac proinde nulliter egisset. Nec valere istius modi juramentum dici posset, ex eo quod summus Pontifex illud postea ratum habuisset. Nam e contra conquestus est Pontifex quod coactus fuisset Legatus promissionem, seorsim ab oratione ad primum consulem habita, pronuntiare ; et id intelligebat de promissione quam revera recitaverat Legatus, non de juramento quod diarium le *Moniteur* pronuntiatum falso asserebat. Quanto ergo fortius reclamasset summus Pontifex, si revera pronuntiata fuisset formula, in diario le *Moniteur* inserta ?

6° Unde tandem, nedum Cardinalis Legati juramentum diei 9 aprilis 1802, allegari valeat in argumentum conservatorum ecclesiæ gallicanæ jurium et libertatum, merito e contra adduci potest ad testandam contrariam Sedis apostolicæ voluntatem.

§ IV.

Tanquam fontes novi juris canonici gallicani omnino excludi debent, tum *articuli organici*, tum leges quæcumque à mera potestate civili editæ, tum decisiones concilii status, ac gubernii ordinationes.

De quæstione illa, quoad hodiernas galliarum ecclesias gravissima, disseremus hoc ordine : Probabimus, 1° sedem Apostolicam, nedum articulis organicis unquam consenserit, iteratis e contra protestationibus eos constanter repulisse; 2° dictos articulos, utpote pontificio consensu destitutos, ne-

quaquam adscribi posse juris ecclesiastici fontibus; idemque tenendum de legibus ordinationibusve, a mera potestate civili editis.

I

Contra organicos articulos sæpius protestata est Sedes apostolica. Egregium proinde mendacium est dicere, hisce articulis Romanum Pontificem consensisse.

Non desunt scriptores laici, qui accessisse articulis organicis Pii VII consensum fidenter asserant. « Suivant M. Thiers » (ait diarium l'*Univers*), dire que l'Église a protesté contre » les articles organiques du concordat de 1801, c'est un men- » songe historique. Le Pape aurait même, toujours d'après » M. Thiers, approuvé tacitement ces fameux articles, puis- » qu'immédiatement après le sacre, l'Empereur aurait prêté » le serment de respecter les lois du concordat et la liberté » des cultes. » Historicum illud domini Thiers aliorumque mendacium explodunt sequentia documenta.

Documentum I. — *Epistola domini Cacault, ministri plenipotentiarii, ad dominum Portalis.* — Articuli organici, concordato fraudulenter annexi, publicati fuerant die 8 aprilis 1802. Et jam die 12 maii ejusdem anni scribebat dominus Cacault in hunc modum : « Le Pape a vu avec douleur la no- » mination de différents constitutionnels... Il m'a parlé des » *articles organiques* : il est très-affecté de voir que leur pu- » blication coïncidant avec celle du concordat, elle a fait » croire au public que Rome avait concouru à cet autre tra- » vail. Il *les examine en ce moment*. Il désire encore avec ar- » deur, comme il me l'a répété, que ces articles ne soient pas » en opposition avec les lois de l'Église catholique... Ce qui a » contrarié le Pape, ainsi que je viens de l'annoncer, n'a pas » permis de se livrer ici à la joie qu'on doit partout ressentir » de l'accomplissement heureux du concordat. Le Pape n'a pas

» fait chanter à cette occasion le *Te Deum* à Saint-Pierre. Il » faut qu'il soit parvenu auparavant à régulariser, suivant » les formes de ce pays, ce que vous avez fait... Il faut laisser » achever l'examen dont on s'occupe... » (Epistolam integram reperies apud Artaud, *Histoire de Pie VII*, chapitre XXI, tome I, page 278, édition de Paris, 1837.)

Documentum II. — *Protestatio Pii VII contra organicos articulos, in allocutione consistoriali diei 24 maii* 1802. — Extat in extenso allocutio hæc, cujus initium est *Quam luctuosam*, in Bullario Romano continuato, tomo XI, pagina 335, sub numero 131. In qua allocutione Pius VII, postquam suum ex concordati publicatione gaudium expressit, sic prosequitur :

« Haud ita tamen, venerabiles fratres, gaudio lætitiaque » perfundimur, ut nihil Nobis ante oculos obversetur, quod » sollicitudinem nostram non excitet, curasque nostras (quæ » sunt muneris nostri partes) non exposcat. Qua tamen sol- » licitudine Nos liberari confidimus per sapientiam ac reli- » gionem primi consulis, nationisque gallicanæ, quæ et op- » time tot sæculorum spatio de catholica religione merita » est, et eam nunc denuo in Galliæ sinu restitutam tanta » alacritate complectitur. Siquidem animadvertimus una » cum prælata conventione nostra *nonnullos alios articulos* » *ignotos Nobis, promulgatos esse ; quos, vestigiis prædecesso-* » *rum nostrorum inhærentes, haud possumus non expetere ut* » *opportunas ac necessarias modificationes ac mutationes ac-* » *cipiant*. Nos certe officia nostra apud primum consulem » omni studio adhibebimus, ut ab ejus religione id tribuatur » Nobis. Etenim gubernium Gallicanum, in catholica reli- » gione restituenda, in ejus sanctitate atque utilitate agnos- » cenda, nolle non potest, ut ea quæ restitutæ religionis » sanctissima constitutio exposcit executioni demandentur, » atque omnia cum illa salutari disciplina plene consentiant » quæ ab ecclesiæ legibus est stabilita. »

Documentum III. — *Nota diplomatica cardinalis Consalvi ad dominum Cacault, mensis maii, post consistorium diei 24 maii* 1802. — « ... Vous verrez que dans l'allocution pro-
» noncée par le Saint-Père, et qui vous est transmise, il a
» bien fait connaître au sacré collége et au monde entier
» tout ce que l'on doit au premier consul.... Par ordre du
» Saint-Père, le soussigné ne doit pas vous laisser ignorer que
» plusieurs *concomitances* qui ont suivi la publication faite
» en France du concordat du 15 juillet 1801, et de la bulle
» qu'il contient, ont affecté la sensibilité de Sa Sainteté et
» l'ont mise dans un embarras difficile relativement même à
» la publication qu'on doit faire ici du concordat... Le sous-
» signé entend parler, et toujours par ordre de Sa Sainteté,
» des *articles organiques*, qui, inconnus à Sa Sainteté, ont été
» publiés avec les 17 articles du concordat, comme s'ils en
» faisaient partie (ce que l'on croit d'après la date et le mode
» de publication). Ces *articles organiques* sont représentés
» comme la forme et la condition du rétablissement de la
» religion catholique en France. Cependant plusieurs de ces
» *articles organiques* s'étant trouvés, aux yeux du Saint-Père,
» *en opposition avec les règles de l'Église*, Sa Sainteté ne peut
» pas, à cause de son ministère, ne pas désirer qu'ils reçoi-
» vent les modifications convenables et les *changements né-*
» *cessaires*. Le Saint-Père a la plus vive confiance dans la re-
» ligion et la sagesse du premier consul, et le prie directe-
» ment d'accorder ces changements. » (Notam illam integram reperies apud Artaud, *Histoire de Pie VII*, chapitre XXII, tome I, page 293 ; édition de Paris, 1837.)

Documentum IV. — *Responsum domini Cacault, ad notam diplomaticam Cardinalis Consalvi.* — Teste Artaud, qui tunc Romæ legationis secretarium agebat, ad Cardinalem Consalvi, non scripto, sed verbo respondit minister Cacault ; hocque responsum integrum refert idem Artaud, in opere suo, (*Histoire de Pie VII*, chapitre XXII, tome I, page 295, édition

de Paris, 1837). Ibi porro hæc inter alia occurrunt : « Quant aux articles organiques, vous avez prié de les modifier : on ne les modifiera pas ; mais *votre protestation* va partir. Elle est décente, réservée dans les termes, et avec cela *courageuse et assez déterminée* au fond. »

Documentum V. — *Reclamatio contra articulos organicos, Sedis Apostolicæ nomine, per Cardinalem Caprara; die augusti* 1803, *ad ministrum Galliæ Talleyrand directa.* — « Monseigneur, je suis chargé de réclamer contre cette partie de la loi du 18 germinal (8 aprilis 1802) que l'on a désignée sous le nom d'*articles organiques.* Je remplis ce devoir avec d'autant plus de confiance, que je compte davantage sur la bienveillance du gouvernement, et sur son attachement sincère aux vrais principes de la religion.

» La qualification qu'on donne à ces *articles* paraîtrait d'abord supposer qu'ils ne sont que la suite naturelle et l'explication du concordat religieux ; cependant il est de fait qu'ils n'ont point été concertés avec le Saint-Siége, qu'ils ont une extension plus grande que le concordat, et qu'ils établissent en France un code ecclésiastique sans le concours du Saint-Siége. Comment Sa Sainteté pourrait-elle l'admettre, n'ayant pas même été invitée à l'examiner ? Ce code a pour objet la doctrine, les mœurs, la discipline du clergé, les droits et les devoirs des évêques, ceux des ministres inférieurs, leurs relations avec le Saint-Siége, et le mode d'exercice de leur juridiction. Or, tout cela tient aux droits imprescriptibles de l'Église : elle a reçu de Dieu seul l'autorisation de *décider les questions de la doctrine sur la foi ou sur les règles des mœurs, et de faire des canons ou des règles de discipline* (1).

» M. d'Héricourt, l'historien Fleury, les plus célèbres avocats généraux, et M. de Castillon lui-même avouaient ces vérités. Ce dernier reconnaît dans l'Église *le pouvoir qu'elle*

(1) Arrêtés du Conseil, du 16 mars et du 31 juillet 1731.

a reçu de Dieu pour conserver, par l'autorité de la prédication, des lois et des jugements, la règle de la foi et des mœurs, la discipline nécessaire à l'économie de son gouvernement, la succession et la perpétuité de son ministère (1).

» Sa Sainteté n'a donc pu voir qu'avec une extrême douleur, qu'en négligeant de suivre ces principes, la puissance civile ait voulu régler, décider, transformer en lois des *articles* qui intéressent essentiellement les mœurs, la discipline, les droits, l'instruction et la juridiction ecclésiastique. N'est-il pas à craindre que cette innovation n'engendre les défiances, qu'elle ne fasse croire que l'Église de France est asservie, même dans les objets purement spirituels, au pouvoir temporel, et qu'elle ne détourne de l'acceptation des places beaucoup d'ecclésiastiques méritants? Que sera-ce si nous envisageons chacun de ces *articles* en particulier?

» Le premier veut *qu'aucune bulle, bref, etc., émanés du Saint-Siége, ne puissent être mis à exécution, ni même publiés sans l'autorisation du gouvernement.*

» Cette disposition prise dans toute cette étendue, ne blesse-t-elle pas évidemment la liberté de l'enseignement ecclésiastique? Ne soumet-elle pas la publication des vérités chrétiennes à des formalités gênantes? Ne met-elle pas les décisions concernant la foi et la discipline, sous la dépendance absolue du pouvoir temporel? Ne donne-t-elle pas à la puissance qui serait tentée d'en abuser, les droits et les facilités d'arrêter, de suspendre, d'étouffer même le langage de la vérité, qu'un Pontife fidèle à ses devoirs voudrait adresser aux peuples confiés à sa sollicitude?

» Telle ne fut jamais la dépendance de l'Église, même dans les premiers siècles du christianisme. Nulle puissance n'exigeait alors la vérification de ses décrets. Cependant elle n'a pas perdu de ses prérogatives, en recevant les empereurs

(1) Réquisitoire contre les actes de l'assemblée du Clergé, en 1765.

dans son sein. *Elle doit jouir de la même juridiction dont elle jouissait sous les empereurs païens. Il n'est jamais permis d'y donner atteinte, parce qu'elle la tient de Jésus-Christ* (1). Avec quelle peine le Saint-Siége ne doit-il pas voir les entraves qu'on veut mettre à ses droits?

» Le clergé de France reconnaît lui-même que les jugements émanés du Saint-Siége, et *auxquels adhère le corps épiscopal,* sont irréfragables : pourquoi auraient-ils donc besoin de l'autorisation du gouvernement, puisque, suivant les principes gallicans, ils tirent toute leur force de l'autorité qui les prononce et de celle qui les admet? *Le successeur de Pierre doit confirmer ses frères dans la foi,* suivant les expressions de l'Écriture; or, comment pourra-t-il le faire, si, sur chaque article qu'il enseignera, il peut être à chaque instant arrêté par le refus ou le défaut de vérification de la part du gouvernement temporel? Ne suit-il pas évidemment de ces dispositions que l'Église ne pourra plus savoir et croire que ce qu'il plaira au gouvernement de laisser publier?

» Cet *article* blesse la délicatesse et le secret constamment observés dans les affaires de la Pénitencerie. Tout particulier peut s'y présenter avec confiance et sans crainte de voir ses faiblesses dévoilées. Cependant cet *article,* qui n'excepte rien, veut que les brefs, même personnels, émanés de la Pénitencerie, soient vérifiés. Il faudra donc que les secrets de famille et la suite malheureuse des faiblesses humaines soient mises au grand jour, pour obtenir la permission d'user de ces brefs? Quelle gêne! quelles entraves! Le parlement lui-même ne les admettait pas, car il exceptait de la vérification les *provisions,* les *brefs de la Pénitencerie* et *autres expéditions concernant les affaires des particuliers.*

» Le second *article* déclare, *qu'aucun légat, nonce ou délégué du Saint-Siége ne pourra exercer ses pouvoirs en*

(1) D'Héricourt, *Lois ecclésiastiques.*

France sans la même autorisation. Je ne puis que répéter ici les justes observations que je viens de faire sur le premier *article :* l'un frappe la liberté de l'enseignement dans sa source, l'autre l'atteint dans ses agents ; le premier met des entraves à la publication de la vérité, le second à l'apostolat de ceux qui sont chargés de l'annoncer. Cependant Jésus-Christ a voulu que sa divine parole fût constamment libre, qu'on pût la prêcher sur les toits, dans toutes les nations et auprès de tous les gouvernements. Comment allier ce dogme catholique avec l'indispensable formalité d'une vérification de pouvoirs et d'une permission civile de les exercer? Les apôtres et les premiers pasteurs de l'Église naissante eussent-ils pu prêcher l'Évangile, si les gouvernements eussent exercé sur eux un pareil droit?

» Le troisième *article* étend cette mesure aux canons des Conciles même généraux. Ces assemblées si célèbres n'ont eu nulle part plus qu'en France de respect et de vénération ; comment se fait-il donc que chez cette même nation elles éprouvent tant d'obstacles, et qu'une formalité civile donne le droit d'en éluder, d'en rejeter même les décisions ?

» On veut, dit-on, les examiner. Mais *la voie d'examen, en matière religieuse, est proscrite dans le sein de l'Eglise catholique;* il n'y a que les communions protestantes qui l'admettent; et de là est venue cette étonnante variété qui règne dans leurs croyances.

» Quel serait d'ailleurs le but de ces examens? Celui de reconnaître si les canons des Conciles sont conformes aux lois françaises? Mais si plusieurs de ces lois, telles que celles sur le divorce (1), sont en opposition avec le dogme catholique, il faudra donc rejeter les canons, et préférer les lois, quelque injuste ou erroné qu'en soit l'objet? Qui pourra adopter une pareille conclusion ? Ne serait-ce pas sacrifier la religion, ou-

(1) Le divorce a été depuis aboli en France.

vrage de Dieu même, aux ouvrages toujours imparfaits et souvent injustes des hommes ?

» Je sais que notre obéissance doit être raisonnable ; mais n'obéir qu'avec des motifs suffisants n'est pas avoir le droit, non-seulement d'examiner, mais de rejeter arbitrairement tout ce qui nous déplaît.

» Dieu n'a promis son infaillibilité qu'à son Église : les sociétés humaines peuvent se tromper ; les plus sages législateurs en ont été la preuve. Pourquoi donc comparer les décisions d'une *autorité irréfragable* avec celle d'une puissance qui peut errer, et faire, dans cette comparaison, pencher la balance en faveur de cette dernière? Chaque puissance a d'ailleurs les mêmes droits ; ce que la France ordonne, l'Espagne et l'Empire peuvent l'exiger ; et comme les lois sont partout différentes, il s'ensuivra que l'enseignement de l'Église devra varier suivant les peuples pour se trouver d'accord avec les lois.

» Dira-t-on que le parlement français en agissait ainsi ? Je le sais ; mais il n'examinait, suivant sa déclaration du 24 mai 1766, que ce qui pouvait, dans la publication des canons et des bulles, altérer ou intéresser la tranquillité publique, et non leur conformité avec des lois qui pouvaient changer dès le lendemain.

» *Cet abus*, d'ailleurs, ne pourrait être légitimé par l'usage, et le gouvernement en sentait si bien les inconvénients, qu'il disait au parlement de Paris, le 6 avril 1757, par l'organe de M. d'Aguesseau : *Il semble qu'on cherche à affaiblir le pouvoir qu'a l'Église de faire des décrets, en le faisant tellement dépendre de la puissance civile et de son concours, que, sans ce concours, les plus saints décrets de l'Église ne puissent obliger les sujets du roi.*

» Enfin, ces maximes n'avaient lieu dans les parlements, suivant la déclaration de 1766, que pour rendre les décrets de l'Église lois de l'État, et en ordonner l'exécution, avec dé-

fense, sous les peines temporelles, d'y contrevenir. Or, ces motifs ne sont plus ceux qui dirigent aujourd'hui le gouvernement, puisque *la religion n'est plus la religion de l'État,* mais uniquement celle de la majorité des Français.

» L'*article* 5 déclare qu'il y aura recours au conseil d'État pour tous les cas d'abus. Mais quels sont-ils ? L'*article* ne les spécifie que d'une manière générique et indéterminée.

» On dit, par exemple, qu'un des cas d'abus est l'*usurpation* ou l'*excès* de pouvoir. Mais en matière de juridiction spirituelle, l'Église en est le seul juge ; il n'appartient qu'à elle de déclarer *en quoi l'on a excédé ou abusé des pouvoirs qu'elle seule peut conférer ;* la puissance temporelle ne peut connaître de l'*abus excessif* d'une chose qu'elle n'accorde pas.

» Un second *cas d'abus* est la *contravention aux lois et règlements de la République ;* mais si ces lois, si ces règlements sont en opposition avec la doctrine chrétienne, faudra-t-il que le prêtre les observe de préférence à la loi de Jésus-Christ ? Telle ne fut jamais l'intention du gouvernement.

» On range encore dans la classe des abus *l'infraction des règles consacrées en France par les saints canons...* Mais ces règles ont dû émaner de l'Église ; c'est donc à elle seule de prononcer sur leur infraction, car elle seule en connaît l'esprit et les dispositions.

» On dit enfin qu'il y a lieu à *l'appel comme d'abus* pour toute entreprise qui tend à compromettre l'honneur des citoyens, à troubler leur conscience, ou qui dégénère contre eux en oppression, injure ou scandale public par la loi.

» Mais si un divorcé, si un hérétique connu en public se présente pour recevoir les sacrements, et qu'on les lui refuse, il prétendra qu'on lui a fait injure, il criera au scandale, il portera sa plainte, on l'admettra d'après la loi ; et cependant le prêtre inculpé n'aura fait que son devoir, puisque les sacrements ne doivent jamais être conférés à des personnes notoirement indignes.

» En vain s'appuierait-on sur l'usage constant des *appels comme d'abus*. Cet usage ne remonte pas au delà du règne de Philippe de Valois, mort en 1350; il n'a jamais été constant et uniforme; il a varié suivant les temps; les parlements avaient un intérêt particulier à l'accréditer : ils augmentaient leurs pouvoirs et leur attribution; mais ce qui flatte n'est pas toujours juste. Ainsi Louis XIV, par l'édit de 1695, art. 34, 36, 37, n'attribuait-il aux magistrats séculiers que l'*examen* des formes, en leur *prescrivant* de renvoyer le *fond* au *supérieur* ecclésiastique. Or cette restriction n'existe nullement dans les *articles organiques*. Ils attribuent indistinctement au conseil d'État le jugement de la forme et celui du fond.

» D'ailleurs les magistrats qui prononçaient alors sur ces cas d'abus étaient nécessairement catholiques; ils étaient obligés de l'affirmer sous la foi du serment; tandis qu'aujourd'hui ils peuvent appartenir à des sectes séparées de l'Église catholique, et avoir à prononcer sur des objets qui l'intéressent essentiellement.

» L'*article* 9 veut que le culte soit exercé sous la *direction* des archevêques, évêques, et des curés. Mais le mot *direction* ne rend pas ici les droits des archevêques et évêques : ils ont, de *droit divin*, non-seulement le droit de *diriger*, mais encore celui de définir, d'ordonner et de juger. Les pouvoirs des curés dans les paroisses ne sont pas les mêmes que ceux des évêques dans les diocèses; on n'aurait donc pas dû les exprimer de la même manière et dans les mêmes *articles*, pour ne pas supposer une identité qui n'existe pas.

» Pourquoi d'ailleurs ne pas faire ici mention des droits de Sa Sainteté (1), des archevêques et des évêques? A-t-on voulu lui ravir un droit général qui lui appartient essentiellement?

(1) Ita quidem apud André (*Cours de droit canon*, 3e édition, tome I, page 315). Sed videtur aliquid omissum. Autumo legendum esse : *Des droits de Sa Sainteté, aussi bien que de ceux des Archevêques*, etc.

» L'*article* 10, en abolissant toute exemption ou attribution de la juridiction épiscopale, prononce évidemment sur une matière purement spirituelle, car si les territoires exempts sont aujourd'hui soumis à l'ordinaire, ils ne le sont qu'en vertu d'un règlement du Saint-Siége; lui seul donne à l'ordinaire une juridiction qu'il n'avait pas. Ainsi, en dernière analyse, la puissance temporelle aura conféré des pouvoirs qui n'appartiennent qu'à l'Église. Les exemptions, d'ailleurs, ne sont pas aussi abusives qu'on l'a imaginé. Saint Grégoire lui-même les avait admises, et les puissances temporelles ont eu souvent le soin d'y recourir.

» L'*article* 11 supprime tous les établissements religieux, à l'exception des séminaires ecclésiastiques et des chapitres. A-t-on bien réfléchi sur cette suppression? Plusieurs de ces établissements étaient d'une utilité reconnue; le peuple les aimait; ils le secouraient dans ses besoins; la piété les avait fondés; l'Église les avait solennellement approuvés, sur la demande même des souverains : *elle seule pouvait donc en prononcer la suppression.*

» L'*article* 14 ordonne aux archevêques de veiller au maintien de la foi et de la discipline dans les diocèses de leurs suffragants. Nul devoir n'est plus indispensable ni plus sacré; mais il est aussi le devoir du Saint-Siége pour toute l'Église. Pourquoi donc n'avoir pas fait mention dans l'*article* de cette surveillance générale? Est-ce un oubli? est-ce une exclusion?

» L'*article* 15 autorise les archevêques à connaître des réclamations et des plaintes portées contre la conduite et les décisions des évêques suffragants. Mais que feront les évêques, si les métropolitains ne leur rendent pas justice? A qui s'adresseront-ils pour l'obtenir? A quel tribunal en appelleront-ils de la conduite des archevêques à leur égard? C'est une difficulté d'une importance majeure, et dont on ne parle pas. Pourquoi ne pas ajouter que le souverain Pontife

fait alors connaître de ces différends par voie d'appellation, et prononcer définitivement, suivant ce qui est enseigné par les saints canons?

» L'*article* 17 paraît établir le gouvernement juge de la foi, des mœurs et de la capacité des évêques nommés; c'est lui qui les fait examiner, et qui prononce d'après les résultats de l'examen. Cependant le souverain Pontife a seul le droit de faire, par lui ou par ses délégués, cet examen, parceque lui seul doit instituer canoniquement, et que cette institution canonique suppose évidemment, dans celui qui accorde, la connaissance acquise de la capacité de celui qui la reçoit. Le gouvernement a-t-il prétendu nommer tout à la fois et se constituer juge de l'idonéité? Ce serait contraire à tous les droits et usages reçus; ou veut-il seulement s'assurer par cet examen que son choix n'est pas tombé sur un sujet indigne de l'Épiscopat? C'est ce qu'il importe d'expliquer.

» Je sais que l'ordonnance de Blois prescrivait un pareil examen; mais le gouvernement consentit lui-même à y déroger. *Il fut statué, par une convention secrète, que les nonces de Sa Sainteté feraient seuls ces informations.* On doit donc suivre aujourd'hui cette même marche, parce que l'*article* 4 du concordat veut que l'*institution canonique soit conférée aux évêques dans les formes établies avant le changement de gouvernement.*

» L'*article* 22 ordonne aux évêques de visiter leurs diocèses dans l'espace de cinq années. La discipline ecclésiastique restreignait davantage le temps de ces visites; l'Église l'avait ainsi ordonné pour de graves et solides raisons; il semble, d'après cela, qu'il n'appartient qu'à elle seule de changer cette disposition.

» On exige, par l'*article* 24, que les directeurs des séminaires souscrivent à la déclaration de 1682 et enseignent la doctrine qui y est contenue. Pourquoi jeter de nouveau au milieu des Français ce germe de discorde? Ne sait-on pas

que les auteurs de cette déclaration l'ont eux-mêmes désavouée? Sa Sainteté peut-elle admettre ce que ses prédécesseurs les plus immédiats ont eux-mêmes rejeté? Ne doit-elle pas s'en tenir à ce qu'ils ont prononcé? Pourquoi souffrirait-elle que l'organisation d'une Église qu'elle relève au prix de tant de sacrifices, consacrât des principes qu'elle ne peut avouer? Ne vaut-il pas mieux que les directeurs des séminaires s'engagent à enseigner une morale saine, plutôt qu'une déclaration qui fut et sera toujours une source de divisions entre la France et le Saint-Siége?

» On veut, *article* 25, que les évêques envoient tous les ans l'état des ecclésiastiques étudiant dans leurs séminaires; pourquoi leur imposer cette nouvelle gêne? Elle a été inconnue et inusitée dans tous les siècles précédents.

» L'*article* 26 veut qu'ils ne puissent ordonner que des hommes de vingt-cinq ans; mais l'Église a fixé l'âge de vingt et un ans pour le sous-diaconat, et celui de vingt-quatre ans accomplis pour le sacerdoce. Qui pourrait abolir ces usages, sinon l'Église elle-même? Prétend-on n'ordonner, même des sous-diacres, qu'à vingt-cinq ans? Ce serait prononcer l'extinction de l'Église de France par le défaut de ministres; car il est certain que plus on éloigne le moment de recevoir les ordres, et moins ils sont conférés. Cependant tous les diocèses se plaignent de la disette de prêtres; peut-on espérer qu'ils en obtiennent, quand on exige pour les ordinands un titre clérical de 300 francs de revenu? Il est indubitable que cette clause fera déserter partout les ordinations et les séminaires. Il en sera de même de la clause qui oblige l'évêque à demander la permission du gouvernement pour *ordonner;* cette clause est évidemment opposée à la liberté du culte, garantie à la France catholique par l'article 1er du dernier concordat. Sa Sainteté désire, et le bien de la religion exige, que le gouvernement adoucisse les rigueurs de ces dispositions sur ces trois objets.

» L'*article* 35 exige que les évêques soient autorisés par le gouvernement pour l'établissement des chapitres. Cependant cette autorisation leur était accordée par l'article 11 du concordat. Pourquoi donc en exiger une nouvelle, quand une convention solennelle a déjà permis ces établissements? La même obligation est imposée par l'article 23 pour les séminaires, quoiqu'ils aient été, comme les chapitres, spécialement autorisés par le gouvernement. Sa Sainteté voit avec douleur qu'on multiplie de cette manière les entraves et les difficultés pour les Évêques. L'édit de mai 1763 exemptait formellement les séminaires de prendre des lettres patentes (1), et la déclaration du 16 juin 1659, qui paraissait les y assujétir, ne fut enregistrée qu'avec cette clause : *sans préjudice des séminaires, qui seront établis par les Évêques pour l'instruction des prêtres seulement.* Telles étaient aussi les dispositions de l'ordonnance de Blois, article 25, et de l'édit de Melun, article 1er. Pourquoi ne pas adopter ces principes? A qui appartient-il de régler l'instruction dogmatique et morale d'un séminaire, sinon à l'Évêque? De pareilles matières peuvent-elles intéresser le gouvernement temporel?

» Il est de principe que le vicaire général et l'Évêque sont une seule personne, et que la mort de celui-ci entraîne la cessation des pouvoirs de l'autre; cependant, au mépris de ce principe, l'*article* 36 proroge aux vicaires généraux leurs pouvoirs après la mort de l'Évêque. Cette prorogation n'est-elle pas évidemment une concession de pouvoirs spirituels faite par le gouvernement sans l'aveu, et même contre l'usage reçu de l'Église?

» Ce même *article* veut que les diocèses, pendant la vacance du siége, soient gouvernés par le métropolitain ou par le plus ancien évêque.

» Mais ce gouvernement consiste dans une juridiction spi-

(1) *Mémoires du Clergé*, tome II.

rituelle. Comment le pouvoir temporel pourrait-il l'accorder ? Les chapitres seuls en sont en possession. Pourquoi le leur enlever, puisque l'article 11 du concordat autorise les Évêques à les établir ?

» Les pasteurs appelés par les époux pour bénir leur union, ne peuvent le faire, d'après l'article 54, qu'après les formalités remplies devant l'officier civil : cette clause restrictive et gênante a été jusqu'ici inconnue dans l'Église. Il en résulte deux espèces d'inconvénients.

» L'un affecte les contractants, l'autre blesse l'autorité de l'Église et gêne ses pasteurs. Il peut arriver que les contractants se contentent de remplir les formalités civiles, et qu'en négligeant d'observer les lois de l'Église, ils se croient légitimement unis, non-seulement aux yeux de la loi, quant aux effets purement civils, mais encore devant Dieu et devant l'Église.

» Le deuxième inconvénient blesse l'autorité de l'Église et gêne les pasteurs, en ce que les contractants, après avoir rempli les formalités légales, croient avoir acquis le droit de forcer les curés à consacrer leur mariage par leur présence, lors même que les lois de l'Église s'y opposeraient.

» Une telle prétention contrarie ouvertement l'autorité que Jésus-Christ a accordée à son Église, et fait à la conscience des fidèles une dangereuse violence. Sa Sainteté, conformément à l'enseignement et aux principes qu'a établis pour la Hollande un de ses prédécesseurs, ne pourrait voir qu'avec peine un tel ordre de choses; elle est dans l'intime confiance que les choses se rétabliront à cet égard, en France, sur le même pied sur lequel elles étaient d'abord, et telles qu'elles se pratiquent dans les autres pays catholiques. Les fidèles, dans tous les cas, seront obligés à observer les lois de l'Église, et les pasteurs doivent avoir la liberté de les prendre pour règle de conduite, sans qu'on puisse, sur un sujet aussi important, violenter leurs consciences. Le culte pu-

blic de la religion catholique, qui est celle du consul et de l'immense majorité de la nation, attend ces actes de justice de la sagesse du gouvernement.

» Sa Sainteté voit aussi avec peine que les registres soient enlevés aux ecclésiastiques, et n'aient plus, pour ainsi dire, d'autre objet que de rendre les hommes étrangers à la religion dans les trois instants les plus importants de la vie : la naissance, le mariage et la mort; elle espère que le gouvernement rendra aux registres tenus par les ecclésiastiques la consistance légale dont ils jouissaient précédemment : le bien de l'État l'exige presque aussi impérieusement que celui de la religion.

» *Article* 61. Il n'est pas moins affligeant de voir les Évêques obligés de se concerter avec les préfets pour l'érection des succursales; eux seuls doivent être juges des besoins spirituels des fidèles. Il est impossible qu'un travail ainsi combiné par deux hommes trop souvent divisés de principes, offre un résultat heureux; les projets de l'Évêque seront contrariés, et, par contre-coup, le bien spirituel des fidèles en souffrira.

» L'*article* 74 veut que les immeubles, autres que les édifices affectés aux logements et les jardins attenant, ne puissent être affectés à des titres ecclésiastiques, ni possédés par les ministres du culte, à raison de leurs fonctions. Quel contraste frappant entre cet *article* et l'*article* 7, concernant les ministres protestants! Ceux-ci, non-seulement jouissent d'un traitement qui leur est assuré, mais ils conservent tout à la fois, les biens que leur Église possède, et les oblations qui leur sont offertes. Avec quelle amertume l'Église ne doit-elle pas voir cette énorme différence ! Il n'y a qu'elle qui ne puisse posséder des immeubles; les sociétés séparées d'elle peuvent en jouir librement; on les leur conserve, quoique leur religion ne soit professée que par une minorité bien faible, tandis que l'immense majorité des Français et les consuls

eux-mêmes professent la religion que l'on prive *légalement* du droit de posséder des immeubles.

» Telles sont les réflexions que j'ai dû présenter au gouvernement français par votre organe. J'attends tout de l'équité, du discernement et du sentiment de religion qui anime le premier consul. La France lui doit son retour à la foi; il ne laissera pas son ouvrage imparfait, et il en retranchera tout ce qui ne sera pas d'accord avec les principes et les usages adoptés par l'Église. Vous seconderez par votre zèle ses intentions bienveillantes et ses efforts. La France bénira de nouveau le premier consul, et ceux qui calomnieraient le rétablissement de la religion catholique en France, ou qui murmureraient contre les moyens adoptés pour l'exécution, seront pour toujours réduits au silence. — J.-B. cardinal Caprara. — Paris, le 18 août 1803. »

Documentum VI. — *Epistola et relatio Cardinalis Fech, diei 10 junii* 1804. — Die 18 maii 1804 imperator a senatoribus proclamatus fuerat Napoleo; et jam die 26 ejusdem mensis, scribi ad Legatum Caprara novus imperator jusserat, deinito a se consilio, postulandi a summo Pontifice ut Parisios veniret, ipsum coronaturus et consecraturus. Ministrum Galliæ tunc Romæ agebat imperatoris avunculus Cardinalis Fech; eique præcipue injunctum est, ut illud ipsum negotium de coronatione diligenter promoveret. In epistola, die 10 junii 1804 ad nepotem imperatorem directa, post expositas nonnullas difficultates, sic prosequitur Cardinalis Fech :

« Néanmoins l'affaire est en bon train, et j'ai lieu de » croire qu'on se décidera immédiatement (après la réponse » que Votre Majesté impériale fera faire à cette dépêche) à » répondre favorablement au cardinal Légat, si elle veut bien » m'autoriser à donner, par note officielle, aux deux diffi- » cultés, sur le serment prescrit par le sénatus-consulte, à » l'Empereur, les explications détaillées à la fin du Mémoire » que j'ai eu l'honneur de lui adresser, et si elle veut ad-

» adhérer *aux conditions exigées par Sa Sainteté,* que j'insère » dans le corps dudit Mémoire. » (Hanc epistolam reperies apud Artaud, *Histoire de Pie VII,* libro 34, tomo I, pagina 459, editionis Parisiensis 1837).

In dicta autem relatione (le Mémoire) simul cum citatis litteris missa, sic occurrit :

« Les seules difficultés qu'elle (Sa Sainteté) se soit faite elle-» même, et que quinze cardinaux lui ont répétées, doivent la » décider à faire présenter à Sa Majesté l'Empereur des » Français, avec un vœu affirmatif, *des conditions comme* » *mesure essentielle et indispensable, qu'elle exige pour...* » » (Opere citato domini Artaud, t. I, p. 466).

Postea, secunda ex istis conditionibus sic exponitur :

« 2° Sa Majesté impériale voudra bien *assurer* à Sa Sainteté » qu'elle lui donnera la satisfaction de l'écouter favorable-» ment, lorsqu'elle lui prouvera invinciblement qu'il y a » *quelques articles des lois organiques* qui outrepassent les » libertés de l'Église gallicane et les prétentions de l'ancien » gouvernement. » (Ibidem, pagina 467.)

Documentum VII. — *Relatio domini Bernier, Aurelianensis Episcopi.* — De ista relatione domini Bernier, sic meminit Artaud (*Histoire de Pie VII,* t. I, p. 473, édition de Paris, 1837) : « L'Évêque d'Orléans fut chargé à Paris d'examiner les *con-» ditions du Pape,* transmises par le cardinal Fech, et la der-» nière note du Cardinal Caprara. Dans un rapport, M. Bernier » combat les arguments de Rome. Voici quelques fragments » de sa discussion. » Verba autem domini Bernier ad articulos relativa, sunt ista :

« *J'ai dû répondre d'une manière évasive sur les articles or-» ganiques. Vouloir aborder cette question, c'eût été renoncer* » *au voyage : toute la cour de Rome se fût soulevée.* Il vaut » bien mieux renvoyer cette affaire à l'époque du séjour du » Pape à Paris : alors il n'aura pas auprès de lui ceux qui le » tourmentent, et ne jugeant que d'après son propre cœur, il

» prononcera mieux. D'ailleurs (je le dis avec franchise), » on mêle avec nos libertés beaucoup trop de maximes des » anciens parlements : on les donne pour le palladium de » l'Église gallicane, tandis qu'elles ne sont que les préten- » tions de quelques présidents et avocats jansénistes, ou » plutôt indépendants, qui voulaient fronder l'autorité de » l'Église et du monarque par des maximes nouvelles » (Ibidem, p. 473 et 474).

Documentum VIII. — *Relatio ministri de Talleyrand, 13 julii 1804, ad Imperatorem.* — Ex illa relatione, quam in extenso refert Artaud (*Histoire de Pie VII,* t. I, p. 476, editionis Parisiensis, 1837), ea dumtaxat quæ ad nostram quæstionem faciunt excribimus :

« Sa Majesté m'a fait l'honneur de me renvoyer une lettre » dans laquelle son ministre près la cour de Rome lui a fait » connaître la disposition du Saint-Père relativement à son » voyage en France. J'ai reçu de M. le Cardinal Légat une » note officielle sur le même sujet. Je vais rendre à Sa Ma- » jesté le compte qu'elle me demande de l'état actuel de cette » discussion. Le Saint-Père n'a pu prendre sa détermination » sur une démarche si importante sans consulter la partie du » Sacré-Collége résidant à Rome : les avis des Cardinaux ont » été partagés; mais la majorité a adhéré au projet du voyage » *sous des réserves* qu'il est utile de discuter.

« Ces réserves sont basées sur deux difficultés : l'une..... » l'autre dogmatique, et qui a trait au serment que Sa Ma- » jesté doit prêter au couronnement... La seconde difficulté » se subdivise en deux griefs. Le serment, disent les Cardi- » naux, n'est pas catholique : 1° en ce qu'il consacre la tolé- » rance des cultes; 2° en ce qu'il assimile au Concordat les » *lois organiques, que la cour de Rome regarde comme étant,* » *en quelques points importants, subversives de l'autorité de* » *l'Église...*

» Mais le serment, dût-il être prêté dans le temps de l'onc-

» tion impériale, et sous les yeux mêmes et les auspices » du Saint-Père, ne renferme rien qui puisse offenser sa » piété, parce qu'il est entièrement politique, et n'exprime » rien de relatif à la croyance religieuse.

» Il prescrit l'obéissance aux *lois du Concordat*, parce que, » en langage du droit public, les stipulations de deux puis- » sances sont des lois que les publicistes appellent *lois de la* » *lettre*. Les lois *organiques* sont des lois d'une autre nature. » Le prince *ne peut pas jurer de les faire observer*, parce » qu'elles peuvent être changées; et s'il avait été dans l'in- » tention du constituant de le prescrire, il n'aurait pas dit » les *lois du concordat*, mais les *lois organiques du concor-* » *dat.* »

Ex ista solutione ab ipsomet ministro Talleyrand proposita, patet quam longe a vero aberrent qui comprehensos sub juramento, a Napoleone I emisso, articulos organicos existimant; et qui inferunt his articulis tacite consensisse Pium VII, ex eo quod dicto juramento non sese opposuerit.

Documentum IX. — *Bulla excommunicationis Napoleonis I*, 10 *junii* 1809. — Textum latinum hujus bullæ, quæ incipit *Quum memoranda*, edidit André, *Cours de droit canon* (In appendice ad calcem tertii tomi, pagina 504, editionis tertiæ, 1859); gallice autem reddita reperitur in opere domini Artaud, *Histoire de Pie VII* (tomo 2, pagina 625, editionis Parisiensis 1837). In ea porro de suis contra organicos articulos protestationibus, sic ipsemet testatur Pius VII :

« Vix ut reparandis in Gallia ecclesiæ cladibus aditum pate- » fieri aliquem persensimus, testis nobis universus est orbis » quanta cum alacritate iniverimus tractationes pacis, quan- » tique et nobis et ipsi ecclesiæ steterit illas tandem ad eum » exitum perducere, quem consequi licuisset. At Deus im- » mortalis! Quorsum spes nostra evasit! Quis tantæ indul- » gentiæ ac liberalitatis nostræ tandem extitit fructus?

» Ab ipsa promulgatione constitutæ hujusmodi pacis, con-

» queri cum propheta coacti fuimus : *ecce in pace amaritudo* » *mea amarissima.* Quam sane amaritudinem *non dissimula-* » *vimus ipsisque fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ* » *Cardinalibus, in allocutione ad ipsos habita in consistorio diei* » *24 maii anni* 1802; *significantes scilicet, ea promulgatione* » *nonnullos initæ conventioni adjectos fuisse articulos, igno-* » *tos Nobis, quos statim improbavimus. Iis siquidem articulis* » *non solum exercitio catholicæ religionis ea penitus libertas* » *in maximis potissimisque rebus readimitur, quæ in ipso con-* » *ventionis exordio, ut ipsius basis et fundamentum, verbis* » *asserta, pacta, promissa solemniter fuerat; verum eorum qui-* » *busdam ipsa etiam haud procul impetitur Evangelii doctrina.*

» Idem quoque fuit exitus conventionis quam cum italicæ » reipublicæ gubernio inivimus, iis ipsis articulis arbitrarie » prorsus ac perverse per summam patentemque fraudem » atque injuriam interpretatis, quibus ab arbitrariis perver- » sisque pactionum interpretationibus summopere præcave- » ramus. »

Documentum X. — *Articulus tertius concordati anni* 1817. — Concordatum anni 1817 executione caruit. At remanet valetque omninò tanquam documentum historicum. Unde si in eo exprimatur quid de articulis organicis senserit Sedes Apostolica, valebit hujusce concordati textus ad probandum talem revera fuisse dictæ Sedis sententiam. Porro illius concordati articulus 3 sic habet :

« Les articles dits *organiques,* qui furent faits à l'insu de » Sa Sainteté, et publiés sans son avis, le 8 avril 1802, en » même temps que le Concordat du 15 juillet 1801, sont abro- » gés en ce qu'ils ont de contraire à la doctrine et aux lois de » l'Église. »

His verbis aperte declaravit Sedes Apostolica, organicos articulos, non tantum ipsa inscia et nullatenus consentiente concinnatos ac publicatos fuisse, sed etiam *Ecclesiæ legibus ac doctrinæ adversari.* Quæ profecto solemnis declaratio,

nova fuit, tot aliis addita, contra istos articulos protestatio.

Documentum XI. —*Etiam ab Episcopis Galliæ contra articulos organicos pluriès reclamatum est.* — Anno 1809 commissionem ecclesiasticam constituerat Napoleo I, cujus consilio in negotiis ecclesiasticis uteretur. Quæ commissio, gubernii partibus plus nimium addicta, violatorum responsis suis Ecclesiæ jurium quam rea fuerit, notum hic supponimus. Ad articulos tamen organicos quod attinet officio suo non omninò defuit. Instantibus quippe hujus commissionis Episcopis, die 28 februarii 1810 decreto gubernii revocati sunt articuli 26 et 36. Insuper ad primam in secunda serie sibi propositarum a gubernio quæstionum, sic generaliter de articulis organicis respondit : « Quelques-uns de ces articles renferment des dispositions qui seraient très-préjudiciables à l'Église s'ils étaient exécutés à la rigueur. On a tout lieu de croire qu'ils ont été ajoutés au concordat comme des ménagements jugés nécessaires pour aplanir la voie au rétablissement du culte catholique, et nous espérons qu'ils seront révoqués ou modifiés, de manière à dissiper les inquiétudes qu'ils ont fait naître. »

Anno 1819, die 30 maii, directa est ad Romanum Pontificem epistola, trium Cardinalium et 74 Episcoporum subscriptione munita in qua sic habetur : « Elle a été de courte durée, » Très-Saint-Père, la joie que nous avait fait éprouver la » convention passée entre Votre Sainteté et le Roi Très-Chré- » tien, et que nous avions conçue des grands et heureux des- » seins qui avaient déjà reçu en partie leur exécution, et dont » l'entier accomplissement promettait pour l'avenir des avan- » tages plus précieux encore : les anciens nœuds qui exis- » taient entre la France et le Siége resserrés de nouveau; *les* » *articles contraires à la doctrine et aux lois ecclésiastiques, qui* » *avaient été faits à l'insu de Votre Sainteté, et publiés sans son* » *aveu, abrogés, etc.* » Et infra : « On se propose, au contraire, » de lui donner (à l'Église de France) un état provisoire, qui

» peut, si toutefois il ne devient pas définitif, la tenir un
» grand nombre d'années, sinon sur le penchant de sa ruine,
» du moins dans une pénible et humiliante incertitude; sur-
» tout si on la laisse, même provisoirement, sous le joug de
» ceux des articles organiques qui sont contraires à la doc-
» trine et aux lois de l'Église, contre les quels Votre Sainteté a
» si souvent réclamé, et dont elle a stipulé l'abrogation dans
» le dernier concordat. »

Nuper autem provincialis concilii Parisiensis patres, in synodali sua epistola diei 27 octobriis 1849, quid de articulis organicis sentiendum sit ita edocent : « Sans discuter ici l'origine des *articles organiques* et l'incompétence du pouvoir civil pour régler seul les matières purement ecclésiastiques, ou même les matières mixtes qui en sont l'objet; sans rappeler les anciennes et constantes réclamations du Saint-Siége et de l'Épiscopat, est-ce que, depuis l'époque où ces *articles* ont paru, rien n'est changé autour de nous? Est-ce que tout le monde ne convient pas que notre droit public a été profondément modifié? Est-ce que les principes de la liberté de conscience, de la liberté des cultes, de la liberté de réunion n'ont pas été, à diverses reprises, solennellement proclamés et étendus? Que signifieraient toutes les constitutions nouvelles, s'il suffisait de quelques lambeaux arrachés aux Codes du passé pour les violer et les étouffer? Que signifieraient ces articles formels qui déclarent abrogées toutes les lois en opposition avec la loi fondamentale? Certes, s'il est permis d'invoquer le principe incontestable de l'abrogation implicite des lois, n'est-ce pas en matière religieuse, lorsque le temps surtout a si complétement changé les rapports de l'Église et de l'État? »

Pauca hæc e plurimis Episcoporum Galliæ actis commemorata abunde testantur, ab iis Præsulibus contra organicos articulos constanter reclamatum fuisse.

II

Articuli organici, ut pote pontificia auctoritate destituti, nequaquam juris ecclesiastici fontibus accensendi sunt. Quod et tenendum est de cæteris legibus ordinationibusve a mera potestate civili editis.

Quod dictos articulos Sedes Apostolica, non tantum auctoritate sua ullove consensu nunquam firmaverit, sed etiam expresse atque iteratis protestationibus respuerit, certo certius faciunt adducta documenta. Ergo sola gubernii auctoritate nituntur. Jam vero indubitatum apud catholicos dogma est, a potestate sæculari non posse condi ullas ecclesiasticas leges ullumve jus canonicum. Id qui negaret, non tantum aperte erraret, sed et palam hæreticus foret. Quod hic omnino certum supponimus, et apud theologos probatum videri potest. Ergo articuli organici, ut pote qui de re sacra et ecclesiastica, vi solius potestatis sæcularis decernunt, omnino nulli sunt atque irriti.

Idemque, ut patet, dicendum venit, ex iisdem rationibus, de aliis quibuslibet circa rem ecclesiasticam legibus decretisve aut ordinationibus, a mera potestate civili editis.

Ergo tandem, dum agitur de agnoscendo ac determinando hodierno jure gallicano, id est, Galliarum ecclesiis proprio, absonum est et heterodoxum, attendere ac dictos articulos organicos, aliasve ministrorum, aut concilii status, aut parlamentorum, principumve, circa rem ecclesiasticam leges atque ordinationes. Hæc nimirum à mera potestate sæculari circa res sacras et ecclesiasticas decreta, non jus sunt, sed injuria, violentia ac persecutio.

§ V.

Quid in dubio an aliquid pertineat necne ad novum jus gallicanum?

Videtur standum pro jure communi. Nam per bullam *Qui Christi Domini* primo et ante omnia eversum est omne jus exceptionale, ipsa eversione omnium ecclesiarum prius existentium; et hoc ipso inductum est jus commune. Jus ergo illud commune possidet, donec constet de derogatione aliqua ipsi per subsequentes actus facta. Ergo in dubio an derogatum fuerit juri communi in novo statu rerum ecclesiasticarum in Gallia, expectandum est, donec constet certo de ista derogatione, et interea agendum et procedendum ex jure communi.

Hinc generatim poni posse videtur pro regula practica circa jus canonicum hodiernum in Gallia : *Standum juri communi, quoties non constat ei derogatum fuisse sive per Pium VII, sive aliquo post Pium VII legitimo titulo.*

§ VI.

Quid censendum de multiplici praxi contra jus commune jam a tempore Pii VII in Galliis introducta, non contradicente Sancta Sede? (Remissive.)

Hanc questionem tractamus infra, ubi de consuetudine (parte 2, sect. 6, cap. 4, § 2); ac præterea dum occurrit in decursu tractatuum, pro materiarum natura et ordine, aliqua hujusmodi Galliæ expendenda praxis, quæstionem de illa in particulari instituimus.

PARS SECUNDA.

DE FONTIBUS, SEU DE EFFICIENTI CAUSA JURIS CANONICI.

Quanti momenti sit, canonici juris efficientem causam apprime discernere, agnoscet facile quisquis vel tantisper adverterit erroneorum consectariorum necessario decurrendum tramitem, si forte pro vera legum in Ecclesia ferendarum potestate, ficta aliqua et illegitima fuerit temere accepta atque in fontem juris ecclesiastici acclamata : si enim non genuinus fons, nec genuinæ inde manantes aquæ : si nulla firmandorum canonum potestas, nulli atque irriti canones ipsi erunt. Unde in duplicem scopulum errabundus impingat necesse est qui a falso orditur jurium sacrorum latice : neque enim veræ et genuinæ canonum constituendorum potestati sese submittet, dum eam pro legitima non habebit; et simul ejus quæ legitima non est statuta amplexabitur et veneratione prosequetur schismatica.

Hinc sub istam de fontibus juris canonici tractationem venenum suum insinuare solent quotquot, infenso in sanctam Sedem animo, Romani Pontificis, Christi in terris vicarii, auctoritatem irretire satagunt atque corrodere. Quam auctoritatem e numero fontium juris canonici alii cum Febronio, id est cum Episcopo de Hontheim, prorsus eliminandam concludunt; statuentes scilicet posse Romanum Pontificem, non leges sancire, sed tantum Ecclesiæ proponere, tunc solummodo in canones transituras, cum fuerint a pluralitate Episcoporum approbatæ atque firmatæ. Alii, minus audacioris gallicanismi patroni, auctoritatem quidem Romani Pontificis tanquam canonici juris fontem agnoscunt;

at non unicum : at non primo loco enumerandum : at ita intellectum ut lex pontificia non prius obligandi vigore polleat, quam fuerit a quolibet pro sua diœcesi Episcopo acceptata : liberum autem volunt Episcopo non acceptare, quantumvis urgeat summus Pontifex atque censurarum fulmina comminetur. Quod quidem systema si cum præfato Febronii errore conferas, in re non differt, sed contradictione dumtaxat et dolositate. Contradictione, inquam : nam altera quidem manu potestatem legislativam summo Pontifici tribuunt, dum eam potestatem inter fontes juris canonici enumerant : altera vero retrahunt, dum nolunt pontificias leges ex se vim obligandi habere, sed tantum ex libera subditorum acceptatione. Hac profecto contradictione caret Febronius, suum logico saltem ratiocinio schismaticum systema extruens : Leges, inquit, pontificiæ per se solas vim obligandi non habent; ergo Romano Pontifici, non condendi leges ecclesiasticas, sed proponendi tantum competit potestas; ergo e numero fontium juris ecclesiastici ea potestas expungenda est. At sinceritate etiam multo præstat gallicano systemati Febronianum commentum : fingamus ab aliquo viro non catholico, mahumetano etiam vel judæo, qui de præsenti quæstione nihil unquam audierit, expostulari, an pro sinceris habeat attestationes eorum catholicorum qui, dum Romano Pontifici dicunt, *beatissime Pater, nos summo obsequio tuam veram potestatem leges pro universa Ecclesia condendi agnoscimus, confitemur, veneramur,* simul docent decreta pontificia non obligare nisi ea subditis acceptare libuerit : profecto sinceras non esse exclamabit. Nos vero putamus bona fide gallicanæ opinionis patronos tam apertam contradictionem fateri nolle. Quid enim non valeant a teneris imbibita præjudicia? Unde sinceras personas libenter supponimus, licet sinceritatem systema ipsum minime præ se ferat.

Subtilioribus hisce, atque hoc etiam nomine magis refor-

midandis erroribus, præierant crassiores alii, ab Ecclesia jampridem confixi : quibus scilicet vel Ecclesiæ negabatur omnino legislativa potestas, vel toti fidelium communitati tribuebatur, vel a principibus sæcularibus asserebatur in Ecclesiam dono manasse.

Gravissima ergo illa de juris canonici fontibus tractatio, ita nobis ordinanda est, ut non tantum sana et recepta exponatur doctrina, sed insimul evellendis prædictis erroribus opera præstetur. In quem scopum statuemus inesse Ecclesiæ veram atque ipsi propriam leges seu canones condendi potestatem; fontemque illum juris canonici, stricto sensu loquendo, non multiplicem, sed unicum esse, Romani scilicet Pontificis legislativam auctoritatem : latiori tamen sensu, posse et solere plures distingui juris canonici fontes. Quo semel in prima sectione firmato, agemus in reliquis, de constitutionibus pontificiis, de conciliis œcumenicis, de romanis congregationibus, et tandem de consuetudine, tanquam totidem diversos juris sacri fontes latiori sensu constituentibus, licet stricto sensu unum eumdemque tantum constituant.

SECTIO I.

AN SIT IN ECCLESIA ALIQUIS FONS JURIS CANONICI, ET AN MULTIPLEX VEL UNICUS.

Quæstionem illam absolvemus hoc ordine : 1° Statuemus residere in Ecclesia veram et proprie dictam leges seu canones condendi potestatem, ac proinde fontem juris canonici. 2° Expendemus, an Verbum Dei scriptum vel non scriptum inter fontes juris sacri numerandum sit. 3° Idem expendemus quoad jus Apostolicum, id est per Apostolos consti-

tutum. 4° Idem, quoad sententias Patrum. 5° Concludemus unicum proprie et stricte loquendo extare juris canonici fontem, Romani scilicet Pontificis, Christi in terris vicarii, legislativam potestatem.

CAPUT I.

EST IN ECCLESIA POTESTAS LEGISLATIVA SEU POTESTAS CONDENDI CANONES.

Hanc potestatem negaverunt olim Aerius, Pauperes de Lugduno seu Valdenses, Wiclef, Joannes Huss, Lutherus, et alii hæretici. Quibus autem sophismatibus usi sint, vide apud Suarez (de legibus, l. 3, c. 1). Inter recentiores negant æquivalenter qui dicunt hanc potestatem a principibus temporalibus ad Ecclesiam manasse, et qui fingunt eam pertinere ad totam fidelium communitatem, a qua illam accipiant necesse est qui in Ecclesia imperandi ac regendi munere funguntur.

Propositio 1ª. — *Est in Ecclesia legislativa potestas ad regendam et gubernandam fidelium societatem.* — « Hæc assertio est de fide, » inquit Suarez (loco citato).

Probatur, 1° Scriptura sacra. *Tibi dabo claves regni cœlorum... Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (Matth. 16). *Pasce oves meas* (Joann. 21). *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (Luc 10). Hæc jam aperte innuunt Apostolis et præcipue Petro datam esse fideles regendi et gubernandi potestatem.

Sed invicte demonstratur ex isto textu Actuum Apostolorum (cap. 15) : *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* His

enim verbis duo ediderunt Apostoli præcepta juris ecclesiastici, seu duos canones : statuerunt nempe primo prohibitionem ab esu sanguinis et suffocati; secundo facultatem non servandi ullum aliud cæremoniale præceptum legis mosaicæ.

Præterea capite 20 Actuum Apostolorum expresse dicit sanctus Paulus, Episcopos a Spiritu sancto positos fuisse ad regendam Ecclesiam Dei. Insuper in epistola prima ad Timotheum, capite 5, legitur istud præceptum seu statutum : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* Et in eadem epistola, capite 3, habetur aliud statutum quo prohibetur ordinatio bigamorum : *Oportet episcopum esse unius uxoris virum.* Ex his et aliis sacræ Scripturæ textibus constat, esse in Ecclesia potestatem fidelium cœtum legibus ac præceptis regendi atque gubernandi.

2° Probatur etiam invicte unanimi traditione et perpetua Ecclesiæ praxi. Illa autem traditione et praxi adeo plena sunt monumenta ecclesiastica, ut inutile prorsus sit in citationes excurrere. Aperiantur collectiones conciliorum, volumina Patrum et historiæ ecclesiasticæ, et ubique reperietur tanquam dogma ab omnibus catholicis admissum, et tanquam factum historicum perpetuo durans, illa potestas Ecclesiæ præsidens, et fideles legibus regens et gubernans.

3° Probatur expressis definitionibus. Satis sit paucas hic indigitasse. Concilium Florentinum definit de Papa, *ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 7 : *Merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Item Concilium Tridentinum sess. 7, can. 7 : *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita*

sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit. Bulla *Auctorem fidei,* n° 4 : « *Propositio affirmans* abusum fore auctoritatis Eccle-
» siæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ et morum,
» et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo
» id quod pendet a persuasione et corde; tum etiam multo
» minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem sub-
» jectionem suis decretis; — *Quatenus indeterminatis illis*
» *verbis,* extendendo ad res exteriores, *notet velut abusum*
» *auctoritatis Ecclesiæ usum ejus potestatis acceptæ a Deo,*
» *qua usi sunt et ipsimet apostoli in disciplina exteriore con-*
» *stituenda et sancienda, — hæretica. — Qua parte insinuat*
» *Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis*
» *exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persua-*
» *sione; — Quatenus intendat Ecclesiam* non habere collatam
» sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilium
» et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios con-
» tumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coer-
» cendi atque cogendi, *inducens in systema alias damnatum*
» *ut hæreticum.* »

Pius VI in brevi dogmatico *Super soliditate* sic asserit : *Super soliditate Petræ fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere præ cæteris electum qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi et solvendi summam curam auctoritatemque in successores omni ævo prorogandam susciperet, dogma catholicum est.*

Propositio 2ª. — *Potestas legislativa Ecclesiæ non a principibus sæcularibus nec a communitate fidelium oritur, sed a Christo ipso tradita est certis Ecclesiæ pastoribus seu rectoribus.* — Hæc propositio, non minus certa quam præcedens, iisdem nititur et demonstratur fundamentis. Textus nempe sacræ Scripturæ superius adducti, sicut enuntiant existere in Ecclesia potestatem gubernandi, ita expresse affirmant

hanc potestatem a Christo datam fuisse, et datam fuisse certis personis, quibus debeant reliqui obedire. Pariter eadem monumentorum moles quæ traditionem praximque perpetuam Ecclesiæ testatur, non tantum potestatem aliquam legislativam in Ecclesia ostendit perpetuo admissam fuisse et ad praxim deductam, sed legislativam potestatem ex divina Christi institutione fluentem, et certis quibusdam rectoribus collatam, non autem principibus sæcularibus aut fidelium multitudini. Item supra allegatæ definitiones, non tantum alicujus potestatis legislativæ in Ecclesia dogma firmant, sed et illius potestatis divinam institutionem et certis pastoribus collationem.

CAPUT II.

DE VERBO DEI SCRIPTO ET NON SCRIPTO, QUATENUS JURIS CANONICI FONTE.

I. *De Verbo Dei scripto, id est, de Scriptura sacra.*— Verbum Dei scriptum per antonomasiam dicitur *Scriptura sacra;* estque ad instar epistolæ a Deo ad nos missæ, per quam nobiscum loquitur : *De civitate a qua peregrinamur scriptæ nobis venere litteræ,* ait sanctus Augustinus (serm. 2, in psal. 90).

Libri Scripturæ sacræ quatenus sunt a Spiritu sancto dictati et ut tales ab Ecclesia recepti, vocantur canonici. Quinam sint libri canonici tum veteris tum novi Testamenti, notum est; illos enumerat concilium Tridentinum (sessione 4). Tridentina autem synodus canonem hunc seu catalogum sacrarum Scripturarum acceperat a Florentina (in decreto Eugenii) : Florentina a Gelasio Papa (cap. Sancta Romana, dist. 15) : Gelasius a sancto Augustino (l. 1, Doc-

trinæ Christ., c. 8), et a sancto Innocentio I (epist. ad Exuperium) : isti ab antecessoribus : hi ab Apostolis : Apostoli vetus Testamentum a synagoga.

Scripturæ illæ aliquo sensu dici possunt fons juris canonici, aliquo non possunt. Multæ scilicet leges ab ecclesiastica humana auctoritate latæ, non sunt nisi applicationes seu determinationes quædam generalium præceptorum et regularum a Deo in Scripturis sanctis traditarum; et sic Scripturis sacris quasi fundamento nituntur, et ex iis quasi fonte prodiere; unde dictum istud : *Ex auctoritatibus veteris et novi Testamenti processerunt canonicæ sanctiones* (c. Qualiter 24, De accus.). Si vero stricto sensu accipiatur denominatio *fontis juris canonici,* nempe pro causa efficiente legum mere ecclesiasticarum, planum est, a Verbo Dei scripto non oriri nisi jus divinum, non autem humanum ecclesiasticum; cum omnis lex in Scripturis sanctis contenta, hoc ipso quod supponatur Deo ipso dictante scripta, lex divina dicenda sit, et ad jus divinum pertinere. Quædam tamen sancita Apostolorum, licet in sacris Scripturis contenta, verbi gratia, prohibitio abstinendi a sanguine et suffocato, haberi possunt tanquam leges mere ecclesiasticæ; utpote quas Apostoli ex propria sua auctoritate ecclesiastica tulerint, non autem jam a Christo latas et ab ore ejus acceptas publicando testati sint.

II. *De Verbo Dei non scripto, seu de divinis traditionibus.* — Traditiones dici solent doctrinæ vel praxes in Ecclesia stabilitæ, et quæ a primis auctoribus verbo tantum, non autem scripto inductæ sunt. Dicitur a *primis auctoribus;* quia licet postea scriptis mandatæ sint, retinent nihilominus traditionis nomen.

Distinguuntur traditiones quoad principium a quo exordium sumpserunt, in divinas, apostolicas et ecclesiasticas. Divinæ acceptæ sunt a Christo Apostolos docente, suntque ea, v. g., quæ ad materiam et formam sacramentorum per-

tinent; sacramentorum enim essentialia non nisi a Christo institui et determinari potuerunt. Traditiones illæ sunt, ut patet, pars juris divini. Apostolicæ dicuntur, quæ ex Apostolorum præceptis manasse existimantur, nec tamen in eorum scriptis exaratæ sunt; quales sunt, trina immersio eorum qui baptizantur, jejunium quadragesimale et quatuor temporum, et alia multa quæ parem vim et auctoritatem habent ac ea, quæ scripto nobis Apostoli reliquerunt. Ecclesiasticæ traditiones sunt consuetudines antiquæ a primis Ecclesiæ pastoribus et fidelibus ad nos deductæ, quæ vim legis obtinuerunt.

Verbum Dei non scriptum comprehendit tantum traditiones divinas. Traditiones autem divinæ non constituunt proprie jus canonicum, sed divinum. Non possunt ergo dici fons juris canonici, nisi eo improprio sensu, quod fuerint simul auctoritate ecclesiastica promulgatæ, et quod Ecclesia leges tulerit ad urgendam et magis determinandam traditionum divinarum executionem.

Ex his patet merito a quibusdam auctoribus inter fontes juris canonici non enumerari Verbum Dei sive scriptum sive non scriptum.

CAPUT III.

DE JURE CANONICO APOSTOLICO SEU PER APOSTOLOS CONSTITUTO.

Quædam habemus certa ex jure apostolico; quædam vero, nempe ea statuta quæ dicuntur *canones Apostolorum*, et alia collectio quæ *constitutionum apostolicarum* nomine designari solet, in dubium revocantur. Agemus 1° de certis ex jure apostolico; 2° de apostolicis constitutionibus; 3° de canonibus Apostolorum; 4° expendemus quo sensu decreta ab Apostolis sint fons juris canonici.

§ I.

Quænam certa habeantur ex jure apostolico.

Præter Scripturas biblicas, quatuor videlicet evangelia, epistolas Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Judæ, Apocalypsim Joannis, et ea quæ in Actibus Apostolorum de Apostolis narrantur, constat (tum ex his ipsis libris sacræ Scripturæ canonicis, tum etiam ex traditione), Apostolos sæpius congregatos plura saluberrime pro gubernanda Ecclesia statuisse.

I. Atque imprimis, ut in Actibus Apostolorum (c. 1, v. 15) habetur, Petrus incipiens primatus sui officio fungi, et Ecclesiæ sibi a Christo commissæ curam gerere, Apostolis in cœnaculo Jerosolymæ congregatis, post Christi in cœlum ascensum et ante Spiritus sancti descensum proposuit, unum aliquem eligendum esse, qui Judæ proditori succederet in apostolatu. Quo audito, oratione præmissa, cœptus electionis processus; ac duobus in medium statutis, Barnaba et Matthia, sors cecidit super Matthiam.

Modus ille electionis per sortem in desuetudinem abiit; imo prohibitus postea fuit (cap. *Ecclesia*, de sortileg.). Ipsi etiam Apostoli reliquas postmodum electiones, uti septem diaconorum, non commiserunt sorti, sed suffragiis.

II. Septem diaconorum ordinatio ortum habuit occasione murmuris Græcorum, *quod despicerentur eorum viduæ* (Act. 6). Tunc scilicet viduæ, tanquam seniores et matresfamilias, ministrabant Apostolis et fidelibus ad victum et vestitum necessaria ex iis, quæ fideles in commune contulerant. Hebrææ autem honoratiora circa hæc officia sibi arrogabant, Græcis autem viliora tantum relinquebant; inde murmur Græcorum.

Hoc ut sedarent Apostoli collecti, fideles hortabantur ut eligerent septem diaconos qui digniores essent, in quos a

viduis munus illud mensis ministrandi transferretur. At vero non hoc unum profanum officium diaconis illis fuisse impositum, sed etiam ut essent sacræ pariter mensæ ministri, vere ordinatos, sicut ordinantur nostri hodie diaconi, contra acatholicos probare solent theologi in tractatu de ordine. De septem istorum diaconorum munere etiam fuit prædicare verbum Dei et baptizare, ut constat ex capite 8 Actuum.

III. Formulam profitendæ fidei Christianæ statutam fuisse ab Apostolis, licet taceant Scripturæ, certum facit traditio. Testem habemus sanctum Ambrosium, qui epistola 7 ad Siricium ait : *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat.* Testatur et sanctus Leo Magnus, epistola 13 ad Pulcheriam, sic scribens : *Siquidem ipsius Symboli brevis et perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit in omni munitione cœlesti,* etc. Ephesina generalis synodus de Symbolo Apostolorum et de subsecuto postea Symbolo Nicæno loquens, testatur : *Fidem initio quidem a sanctis Apostolis traditam, postea vero a* 318 *in metropoli Nicæna fuisse expositam.* « Ex quibus aliisque adeo certo in » Ecclesia constat hoc Symbolum vere esse ab Apostolis edi- » tum, ut temerarium omnino foret contrarium asserere. » (Biner, Apparatus ad jus can., pars 2, c. 4, n° 45.)

IV. Celeberrima pariter est apostolica constitutio quæ refertur in Actis Apostolorum (c. 15). Cum scilicet Antiochiæ cresceret fidelium numerus primique ibidem vocarentur Christiani, excitata est inter eos dissensio ex quæstione, an gentiles conversi tenerentur circumcidi aliaque legalia observare. Controversia hæc ecclesiastica poscebat visibilem judicem qui eamdem posset dirimere. Quare ex utraque parte missi Jerosolymam ad Apostolos, qui convenerunt cum senioribus *videre de verbo hoc,* anno post Christi mortem 16.

Hac autem synodo Apostoli practice quasi normam quamdam futurorum conciliorum constituerunt. In eo primatum tenuit Petrus, ejusdem præses, qui causa examinata primus sententiam definitivam dixit, Christianos non obligari legibus cæremonialibus mosaicis; cui sententiæ Jacobus ac totum concilium accessit; rescriptumque fuit Antiochenæ Ecclesiæ : *Visum est Spiritu sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* Interfuerunt autem huic concilio Apostoli seu Episcopi, ut judicarent et definirent; *propter quod ego judico,* ait sanctus Jacobus : seniores seu presbyteri ut inquirerent et consultarent; *cum autem magna inquisitio fieret :* laici vero ut tacerent et acquiescerent; *tacuit autem omnis multitudo.* Quod deinceps in reliquis conciliis in praxim ivit.

V. Quidam cum Baronio, Binio et Turriano censent anno Christi 57 ab Apostolis Antiochiæ celebratum fuisse concilium in quo novem editi sint canones, nempe :

1° Ut fideles dicerentur Christiani; — 2° ut baptizati non circumciderentur; — 3° ut nullus excluderetur a religione christiana; — 4° ut ecclesiastici vitarent avaritiam; — 5° ut vitarent christiani gulam et ludorum theatra; — 6° ut vitarent gentilium mores; — 7° ut ratum esset præceptum de abstinentia a sanguine et suffocato; — 8° ut pingeretur Christi effigies; — 9° ut non admitteretur ciborum delectus more judaico (Vide Collectionem conciliorum Mansi, t. I, pag. 67).

« Verum hoc concilium esse supposititium, ex eruditis » multi existimant; quia nulla illius in Actis Apostolorum » mentio, nullumque vestigium apud veteres scriptores ec- » clesiasticos. » (Biner, Apparatus, pars 2, cap. 3, n. 51).

VI. Tandem de pluribus traditionibus inquirunt theologi utrum Apostolorum sint, an vero tantum a primitivæ Ecclesiæ pastoribus. Quasdam defendunt sat communiter ut certo

apostolicas, v. g., trinam in baptismate immersionem, et jejunium quadragesimale : de aliis est disputatio.

§ II.

An Constitutiones quæ dicuntur apostolicæ, sint ab Apostolis traditæ et a sancto Clemente conscriptæ.

Traduntur Apostoli quamplures constituisse canones, quos sanctus Clemens divi Petri discipulus et in pontificio munere successor collegisse dicitur, tum in libro qui *Canones Apostolorum* inscribitur, tum in octo libris *Constitutionum apostolicarum*. Verum de his magna inter eruditos movetur disceptatio, an revera sint ab Apostolis tradita, et a sancto Clemente conscripta. Sit primum de Constitutionibus Apostolorum inquisitio.

Stant pro sententia negativa :

1° Natalis Alexander (Hist. eccl., sect. 1, dissert. 19), qui aperte pronuntiat *Constitutiones Apostolorum esse apocryphas, ab Apostolorum et Ecclesiæ doctrina alienas, ipsis adeo Apostolis et Clementi Romano suppositas.*

2° Antonius Pagi (Critica in Annales Baronii ad annum 100, n. 9).

3° Petrus de Marca (Concordia, libro 3, cap. 2, n. 2), qui Constitutiones istas scriptori tertii sæculi tribuendas esse existimat.

4° Cardinalis Bellarminus (de scriptoribus eccles., agens de Clemente Romano) ait in illis multa esse utilia et a Græcis antiquis æstimata; in Ecclesia tamen latina nullum fere nomen eas habere; imo ab ipsis etiam posterioribus græcis in concilio Trullano, tanquam ab hæreticis depravatas, rejectas esse.

5° Ita ferme Baronius, Perronius, Gabriel Albaspinæus, Petavius, Sirmundus, Labbeus.

6° Denique Christianus Lupus, vir doctissimus (part. 2,

ad concil. Trull.) ait has Constitutiones tanquam apocryphas rejectas esse a Gelasio Papa, ejusque judicio omnem semper latinam Ecclesiam adhæsisse.

Pro sententia affirmativa :

Auctoritates in contrariam partem sic recenset Biner : « Has Constitutiones in insula Creta repertas, primus, quod » scitur, in Occidente produxit anno 1551 Petrus Crabbe, » ordinis minorum sancti Francisci, in sua conciliorum » editione secunda, in epitomen tamen contractas, inventore » et interprete Carolo Capello Veneto.

» Postea anno 1567, Laurentius Surius easdem integras » collectioni conciliorum inseruit, e græco in latinum versas » a Carolo Bovio, Ossunensi Episcopo.

» Anno dein 1585, Dominicus Nicolinus, in Veneta edi- » tione eas collocavit, ex luculentiore versione et eruditis- » simis observationibus apologeticis Francisci Turriani.

» Easdem... primæ suæ Conciliorum editioni Coloniensi, » anno 1606 intulit Severinus Binius, postmodum in altera » editione omissas.

» Anno 1618, vir eruditissimus Fronto Ducæus, Societatis » Jesu, easdem græce et latine edidit, una cum commen- » tariis Joannis Zonaræ.

» Quas deinde suæ Conciliorum editioni adjecit Philippus » Labbe S. J. anno 1662, suadente Petro de Marca, Episcopo » Tolosano ac deinde Parisiensi.

» Eædem Constitutiones pariter visuntur græce et latine » in novissima Conciliorum editione Veneta a Nicolao Coleto, » anno 1728 producta (1).

» Atqui tot viri doctissimi non impendissent tantam ope- » ram in vertendis et illustrandis his Constitutionibus...,

(1) Inseruit etiam in sua conciliorum editione, omnium novissima et locupletissima, morte tamen præveniente, non absoluta. Joannes Mansi. (Florentiæ, 1759, t. I, p. 256.)

» si credidissent eas esse apocryphas et Apostolis et sancto
» Clementi affictas. Accedit quod Gabriel Albaspinæus, Epis-
» copus Aurelianensis (l. I Observationum) dicat, non dubi-
» tare se quin istæ Constitutiones olim Græcæ Ecclesiæ fuerint
» pro legibus, manuali, pontificali seu rituali codice.

» Deinde sanctus Epiphanius Constitutionum apostolica-
» rum sæpe meminit, et plura ex ipsis refert decreta; exem-
» pli gratia, hæresi, 45, 75 et 80; præsertim vero hæresi 70,
» quæ est Audianorum, ubi ait, Constitutionum apostolica-
» rum librum, tametsi dubiæ apud multos fidei sit, non esse
» tamen improbandum; nam in eo omnia, quæ ad Ecclesiæ
» disciplinam pertinent comprehendi, neque quidquam aut
» in fide ac catholica professione depravatum, aut Ecclesiæ
» administrationi ac decretis contrarium contineri.

» Photius vero in eruditissima sua Bibliotheca (codice 112),
» Clementis Romani opera recensens, eidem tribuit aperte
» Constitutiones apostolicas, ac facile dilui posse, quæ contra
» eas opponuntur, affirmat.

» Afferuntur etiam pro illis testimonia ex Cyrillo Hieroso-
» lymitano (Catechesi 18), historiam de Phœnice narrante
» ex Clemente. Item ex sancto Athanasio (in Synopsi), ubi
» meminit *doctrinæ Apostolorum Clementinæ*. Ex concilio
» item Trullano anno 691 habito, quod Constitutiones tan-
» quam opus Apostolorum videtur agnoscere, sed ab hære-
» ticis depravatum. »

Hæc postquam exposuit Biner (Apparatus juris canonici, parte 2, cap. 4), quid ipse sentiat tuetur triplici hac propositione : 1° *Octo libri Constitutionum apostolicarum, ut vocant, non sunt ab Apostolis traditi, neque a sancto Clemente conscripti;* 2° *sunt tamen dictæ Constitutiones valde antiquæ, multaque continent utilia* ; 3° *quamvis fuerint olim puræ, nihilque continuerint contrarium doctrinæ catholicæ, postea tamen pluribus in locis ab hæreticis fuerunt corruptæ.*

Nobis pro scopo hujus operis controversiæ summam com-

memorasse satis sit, et supra memoratas eruditorum elucubrationes, ex quibus studiosi plenius hauriant, indigitasse.

§ III.

De canonibus Apostolorum in Corpore juris contentis.

I. Aliqui doctores, ex protestantibus præcipue, cum Joanne Dallæo omnem vim legis his canonibus denegant, illosque tanquam merces suppositas rejiciunt. Fundantur autem his fere rationibus : 1° Isti canones inter apocrypha a Gelasio Papa numerantur, ut videre est in Corpore juris canonici, c. 3, distinctionis 15. 2° Incertum est quot sint ejusmodi canones : nam c. 2, dist. 16, numerantur, sexaginta; c. 3, ejusdem distinctionis, quinquaginta; et capite 4, ejusdem semper distinctionis, octoginta quinque; inserta autem tum in Corpore juris canonici, tum in Corpore juris civilis sunt numero octoginta quatuor; quidam cum Baronio authenticos agnoscunt tantum quinquaginta duos. 3° Doctrinam continent Apostolis alienam : sic canone quinto Episcopi, presbyteri et diaconi prohibentur uxores abjicere. Canone 45 et 46 supponi videtur baptisma ab hæreticis collatum esse invalidum. Canone 65 prohibetur jejunium die dominica et sabbato. Canone ultimo ubi recensentur libri canonici sacræ Scripturæ, omittitur liber Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, et Apocalypsis : contra vero inter libros sacræ Scripturæ recensentur Clementis epistolæ duæ ex Constitutionibus Apostolorum de quibus supra.

II. Canonistarum plerique existimant contra, 84 canones Apostolorum, prout in corpore juris hodie continentur, esse authenticos et vere canonizatos. Ita Turrianus, Covarruvias, Barbosa, Schambogen, Plettenberg, Wiestner, Schmier, Schmalzgrueber, Pichler, Reifenstuel, et alii multi. « Præfati » canones, ait P. Schmier, nihil aliud sunt quam Constitu-

» tiones ab Apostolis post excessum Christi Domini erogatæ, » atque a Clemente Papa græco idiomate conscriptæ. » Allegant autem illi canonistæ, caput *Placuit*, 4, distinctionis 16, et caput *Quoniam*, 7, distinctionis ejusdem ; ubi canones Apostolorum pro canonicis scripturis agnoscuntur. Citant etiam pro se Tertullianum (in libro contra Praxeam); sanctum Athanasium (in Synopsi), qui canones Apostolorum numerat inter hagiographos ; et sanctum Joannem Damascenum qui (lib. 4, de fide orthodoxa) eos ponere videtur inter sacras Scripturas. Hujus sat communis inter canonistas sententiæ defensio videri potest apud Schmalzgrueber (Proœmium, § 7, n° 258) ; apud Bellarminum (de Scriptoribus eccles. in Clemente) ; apud Sixtum Senensem (in Bibliotheca, l. 2) ; et in notis Severini Binii circa hos canones (Collect. concil. Mansi, t. I, p. 57). Binius tamen duos non esse authenticos fatetur, nempe 65 et 84 : cæterorum authenticitatem defendit.

III. Critici vero nedum inter se concordent sicut canonistæ, in varios scinduntur sensus. (Baronius ad ann. 100) canones Apostolorum authenticos admittit tantum 52. Bellarminus (loco modo citato) dicit *legitimos esse solum* 50 *priores; reliquos non esse legitimos, quamvis a Græcis recipiantur.* Petrus de Marca (Concordia, l. 3, c. 2) ait eos videri posteriores anno Christi 258, antiquiores tamen concilio Nicæno primo. Idem sentit Antonius Pagi (Critica in Annales Baronii, ad ann. 100). Dumesnil (Doctrina et discipl. Ecclesiæ, l. 3, n° 9) contendit hos canones nec Apostolorum nec Clementis esse, primumque eorum meminisse Nectarium in synodo Constantinopolitana anno 394. Albaspinæus, eruditissimus Episcopus Aurelianensis (Observ., l. 1, c. 13), putat collectionem horum canonum nihil aliud esse quam epitomen privatorum conciliorum et rerum a privatis Episcopis sancitarum, qui græcas ecclesias ante concilium Nicænum administrarunt. Infensior autem præ cæteris fuit his canonibus Natalis Alexander (Hist. eccl., sæc. I, dissert. 18), plus æquo forsan

audacior, et nimis tribuens Joanni Dallæo, hæretico viro, quo in ista controversia usus est. Docet hos canones non esse antiquiores sæculo sexto, omnesque esse suppositos. His prænotatis, sit :

PROPOSITIO 1ª. — *Canones qui dicuntur Apostolici probabilius ante medium tertii sæculi fuerunt incogniti.* — Nam ante annum 258 nullus reperitur ex Patribus aut scriptoribus, qui horum canonum meminerit, licet multiplex occasio et quasi necessitas extiterit de iis loquendi, si noti fuissent. Circa finem secundi sæculi magna exarsit Orientales inter et Occidentales controversia de celebrando paschate. Contendebant Orientales, suas allegando traditiones, pascha celebrandum esse more Judæorum decima quarta luna mensis primi. Occidentales cum Victore Papa, innixi etiam traditionibus, non celebrandum cum Judæis, sed post æquinoctium vernum asserebant. Porro si canones Apostolorum fuissent tunc temporis cogniti, facile fuisset Occidentalibus Orientales confutare decisiva allegatione canonis septimi, qui sic se habet : *Si quis Episcopus aut presbyter aut diaconus sanctum diem Paschæ ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponitor.* Anno circiter 258 orta est celebris controversia de baptismo iterando iis qui ex hæresi convertebantur. Iterandum sanctus Cyprianus cum Africanis et Asiaticis multis acriter contendebat. Negabat sanctus Stephanus Papa : utrinque excutiebantur traditionis monumenta. Porro tota statim concertatio fuisset de interpretatione canonum Apostolorum, si cogniti fuissent et ut Apostolorum habiti; canon enim 47 ita se habet : *Episcopus aut presbyter, si eum qui secundum veritatem habuerit baptisma denuo baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanquam deridens crucem et mortem Domini, nec sacerdotes a falsis sacerdotibus jure discernens.* Nota porro est regula, apud criticos merito recepta, silentium nempe veterum, in re magni momenti et de qua multiplicem

eamque urgentem habuerunt loquendi occasionem, esse probabile valde argumentum rem istam ipsis fuisse incognitam. Præterea Origenes se eunuchum fecit, quod procul dubio non fecisset, si cognovisset triplicem canonem Apostolorum, nempe 21, 22 et 23, quibus id prohibetur.

Objicitur 1° Aliquos summos Pontifices ante præfatum annum 258 in decretalibus suis de canonibus Apostolorum esse locutos. — Respondetur illas decretales esse de numero earum, quas critici tanquam falsas agnoverunt, et de quibus agetur infra.

Objicitur 2° Tertullianum, qui circa finem secundi sæculi et initio tertii floruit, canonum Apostolorum meminisse in libro contra Praxeam. — Respondet Biner (Apparatus, parte 2, c. 4, n. 24) : « Legi librum Tertulliani adversus Praxeam ; sed » nullum testimonium aut mentionem de canonibus Apos- » tolorum invenire potui. Unde nescio quomodo hæc falsitas » in Bibliothecam Sixti Senensis (l. 2, in Clemente), ac post- » modum in plurium aliorum calamum irrepserit. Idem di- » cendum de *Synopsi* sancti Athanasii ;... nam sanctus Atha- » nasius in Synopsi de canonibus Apostolorum nihil habet. » Imo *Doctrinam Clementinam* inter apocrypha numerat. »

Propositio 2ª. — *Sunt tamen canones, qui dicuntur Apostolorum antiquissimi, et jam probabilius sub finem sæculi tertii vel initium quarti in Ecclesia cogniti.* — Illa sententia est non tantum communis inter canonistas, sed communior etiam apud criticos eruditissimos. Ita enim sentiunt Petrus de Marca, Baluzius, Albaspinæus, Antonius Pagi et Biner (Item videatur Mansi, in suis notis ad Natalem). Ita etiam censores operis Natalis Alexandri ; nam in nota ad dissertationem 18 sæculi I, dicunt, licet canones illi falso fuerint Apostolis adscripti, credendum tamen non esse eos concilio Nicæno posteriores, aliisque illorum sæculorum conciliis et Patribus fuisse incognitos. Porro hæc talium doctorum concordia non facile spernenda est.

Præterea Constantinus Magnus, in sua secunda ad Eusebium epistola, laudat hunc Episcopum, quod secundum *apostolicum Ecclesiæque canonem* ad metropolitanam Antiochiæ sedem, relicta Cæsariensi, transire noluerit. Ibi autem per voces istas *apostolicum canonem* videtur imperator indicare non consuetudinem ecclesiasticam, sed canonem jam scriptum et proprie dictum. Iste autem canon est decimus tertius inter apostolicos. Item concilium Nicænum dicit migrationem clericorum ab una parochia ad aliam absque Episcopi facultate esse contra *canonem*. Erat ergo jam canon migrationem illam clericorum prohibens; porro canon iste est decimus quartus inter apostolicos.

Propositio 3ª. — *Omnes 84 canones prout hodie extant in Corpore juris civilis, in Ecclesia græca fuerunt recepti, non tamen in latina.*

I. Sunt recepti in Ecclesia græca. Imperator Justinianus in constitutione ad Epiphanium patriarcham Constantinopolitanum eos prolixe laudat, et in Nomocanone ab ipso confirmato omnes sunt relati. — Trullana synodus, canone 2, omnes 84 tanquam ab Apostolis traditos laudat ac recipit. — Photius in proœmio sui Nomocanonis, Zonaras, Balzamon, aliique Græci, canones 84 referunt ac recipiunt.

II. Non sunt omnes recepti in Ecclesia latina. Dionysius Exiguus 50 primos tantum latine versos Collectioni suæ inseruit, addens : *eis plurimos non facilem præbuisse assensum.* — Cresconius, Africanus Episcopus, pariter in Collectione sua inseruit tantum 50 primos. — Synodus Lateranensis sub Stephano IV, anno 768, act. 7, ut testatur Anastasius bibliothecarius, statuit : *Non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per Clementem nisi 50 capita, quæ suscipit sancta Dei catholica Romana Ecclesia.* — Cardinalis Humbertus, Leonis IX in Orientem legatus, ita confirmavit hanc decisionem : *Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, et Apostolorum canones numerant Patres inter apocrypha, ex-*

ceptis 50 *capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.* Quæ verba Gratianus (dist. 16, c. 3), adscribit Leoni IX, quia nempe ea protulit Humbertus quatenus hujus Pontificis legatus. — Addit Gratianus (dist. 32, c. 6) : *Sciendum vero quod canonum Apostolorum auctoritate orientalis, et ex parte Romana utitur Ecclesia.*

Sed neque 50 primi canones statim auctoritatem legalem obtinuerunt in Ecclesia latina. Ferrandus et Martinus Bracarensis non eos inseruerunt in suis canonum compilationibus; et tempore Hincmari Archiepiscopi Rhemensis, id est anno 870, necdum extabant in canone Ecclesiæ gallicanæ. Scribit Hincmarus de istis canonibus in opusculo 55, cap. 24 : *Canones qui vocantur Apostolorum, a devotis quibusdam collecti, in quibus quædam receptibilia, quædam vero non sunt servanda, non ab Apostolis scripti esse creduntur.* Paulatim tamen 50 primi canones Apostolorum per Occidentem auctoritatem legalem obtinuerunt, ita ut, anno 840, jam in Ecclesia Romana usurparentur in judiciis, ut constat ex Leone IX, sic in epistola sua ad Britanniæ Episcopos testante : *Canones quibus in omnibus judiciis ecclesiasticis utimur, sunt canones, qui dicuntur Apostolorum.*

Propositio 4ª. — *In* 50 *primis ab Ecclesia Romana et postea generatim in Occidente receptis, benigne interpretari possunt quæ videntur heterodoxa : in reliquis vero quædam sunt ab heterodoxis conficta et rejicienda.* — In canone quinto prohibetur ne Episcopus aut presbyter uxorem suam abjiciat. Interpretantur autem canonistæ prohibitionem hanc in hoc sensu, quod Episcopus et presbyter uxorati ante ordinationem suam, non debeant uxorem ita deserere, ut non provideant ipsi de necessaria sustentatione, non autem in hoc sensu, quod debeant opus conjugale exercere. In hoc enim posteriori sensu canon ille neque est apostolicus, neque unquam fuit ab Ecclesia latina receptus; sed si sensum istum haberet, deberet dici a Græcis insertus, et Apostolis falso

adscriptus. — Canones 45 et 46 videntur innuere baptismum ab hæreticis collatum esse invalidum. Interpretantur autem canonistæ canones istos in hoc sensu, quod baptisma hæreticorum tunc sit invalidum, quando non adhibetur debita forma et materia, non autem secus. Alioquin erronei essent isti canones et rejiciendi.

Canon vero 65, in quo prohibetur clericus sub pœna depositionis, laïcus vero sub pœna excommunicationis, jejunare die sabbati et die dominica, certo adversatur traditioni apostolicæ, estque tanquam apocryphus rejiciendus. Jam enim quarto sæculo jejunatum fuisse die sabbati testis est sanctus Augustinus (epistola 86 ad Casulanum), et Socrates (Hist. eccles. l. 5. c. 2). Innocentius autem primus (epistola 1 ad Decennium) scribit : *Sabbato jejunandum evidentissima ratio demonstrat.* Humbertus autem, Legatus Leonis IX, objicientibus hunc canonem ad damnandam consuetudinem jejunandi die sabbati, respondit istum canonem esse ex apocryphis et reprobatis. — Item canon ultimus, id est 84, aut, prout alii distribuunt, 85, plura continet Ecclesiæ doctrinæ repugnantia circa scripturas canonicas. Inter canonicos enim reponit tres libros Machabæorum, duas epistolas Clementis et octo libros Constitutionum apostolicarum : expungit autem libros Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, Esdræ et Apocalypsim. Porro hæc adversantur antiquis etiam Ecclesiæ definitionibus, ut constat ex epistola Innocentii I ad Exuperium, et ex decreto circa authenticas scripturas, a Gelasio Papa in concilio romano edito.

Ergo dicendum, 50 priores canones, in Ecclesia Romana et in toto Occidente aliquando receptos, ab erroris criminatione vindicari posse; non item reliquos.

Propositio 5ª. — *Probabilius canones qui dicuntur Apostolorum, nec ab Apostolis traditi, nec a sancto Clemente sunt conscripti.* — Ita sentiunt supra laudati doctores critici multi; sequiturque ex thesi in qua ostendimus illos canones ante me-

dium sæculum tertium fuisse incognitos; et ex eo quod tempore Dionysii Exigui essent adhuc dubiæ fidei inter catholicos. Præterea Gelasius Papa in synodo Romana anni 494 expresse dicit : *Liber canonum Apostolorum est apocryphus*. Neque responderi potest Gelasium ibi locutum fuisse de falso aliquo libro canonum apostolicorum, non autem de vero; si enim verus et authenticus aliquis extitisset, profecto damnando falsum non tacuisset authenticum. Item parum solida videtur alia responsio, quæ est Bellarmini, Gelasium nempe loqui non de 50 prioribus canonibus, sed de 35 ultimis. Si enim existimasset Gelasius extare aliquos ex istis canonibus vere authenticos, non generatim de omnibus dixisset librum horum canonum esse apocryphum. Gelasium autem per apocryphos libros intelligere eos qui certis auctoribus falso adscripti sunt, constat ex ipso decreti illius tenore.

Notandum vero Gelasium non ideo negasse, in istis canonibus multa esse traditioni apostolicæ et rectæ doctrinæ et bonis moribus consentanea. Unde licet Ecclesia Romana tenuerit, istos canones neque Apostolorum esse neque sancti Clementis, bene potuit postea ex parte recipere et in jus canonicum sancire.

Hæc de jure canonico ab Apostolis certo aut dubie constituto libuit breviter attingere, ne studiosi disciplinæ canonicæ hærerent anxii, occurrendo in allegatos passim ab auctoribus *apostolicos canones* aut *Apostolorum constitutiones*.

§ IV.

An decreta ab Apostolis sancita, constituant proprie dictum juris canonici fontem, a potestate legislativa Romani Pontificis distinctum?

Decreta illa sancita fuere vel ab Apostolis collective statuentibus, vel ab iisdem quatenus singulis. Quæ conciliari-

ter statuta fuerunt præsidente Petro, vim legis non obtinuissent nisi annuente et sua auctoritate firmante Apostolorum principe. Auctoritas autem illa Petri eadem est cum Romani Pontificis legislativa potestate, cum de fide sit, eam ad successores manasse. Unde quod infra concludemus de legibus ecclesiasticis a synodo œcumenica latis, eas nempe ultimatim Romani Pontificis, sine cujus confirmatione vim non haberent, auctoritati esse tribuendas, id etiam dicendum de disciplina ab Apostolis conciliariter sancita. Verus ergo et proprie dictus fons juris canonici hoc modo statuti fuit totius Ecclesiæ pastoris, seu Romani Pontificis legislativa potestas. Si autem agatur de legibus illis, quibus Apostolorum quisque suas, quas fundavit ecclesias, instruxit, eas ad jus canonicum stricte sumptum non pertinuisse dicendum est. Jus enim canonicum stricte sumptum illud est, ex supra discussis, quod universalem Ecclesiam attingit, et pro regenda universali Ecclesia ordinatur. Apostoli vero, licet ex prærogativa a Christo accepta atque ad Episcopos dein non transitura, jurisdictionem in totum orbem accepissent, leges tamen quas quisque separatim a Petro et ab aliis ferebat, non omnibus ecclesiis, sed iis tantum, quas constituerat ipse, imponebat. Plura quidem hujusmodi decreta, ad universalem postea Ecclesiam extensa fuisse, vix dubitari potest; at vero ut in jus universale transirent, intercedere debuit Petri aut successorum ejus auctoritas; qua scilicet, vel expresse, intra aut extra œcumenicam synodum, omnibus ecclesiis injungeretur quod initio in aliqua statutum ab Apostolo fundatore fuerat, vel tacito consensu firmaretur quod per modum consuetudinis universale jus evadebat. Unde tandem remanet jus canonicum ab Apostolis introductum, vel ad jus canonicum stricte sumptum non pertinuisse, vel ab auctoritate Romano Pontifici propria, tanquam ab originario fonte esse repetendum.

CAPUT IV.

DE PATRUM SENTENTIIS QUATENUS JURIS CANONICI FONTE.

Patres dicuntur, qui *apostolicam doctrinam nobis veluti per manus tradiderunt in scriptis suis, et probati fuerunt in catholicis conciliis* (S. Vincentius Lirinensis, commonit. 1).

1. Patrum sententiæ ab Ecclesia probatæ, et in leges universales per concilia aut per Romanos Pontifices transformatæ, constituunt jus canonicum. *Nostra facimus quæ probamus, et quibus nostram impertimur auctoritatem,* inquit Bonifacius VIII (c. 22 de Præbend. in 6). Sed hoc ipso patet rationem juris canonici hujusmodi Patrum effatis non inesse præcise ex eo, quod a Patribus scripta sint, sed tantum ex accedente et canonizante legislativa sive conciliorum, sive Romani Pontificis potestate.

2. Licet autem per se solas sententiæ Patrum non sint canones, illis utendum docet Leo IV (can. 1, dist. 20) in negotiis quæ nec conciliorum canonibus, nec Pontificum decretis definita sunt; et sic aliqua ex parte vim aliquam sortiuntur juris canonici. Unde non erravit a recepta et communi catholicorum doctrina Photius, asserendo, *quæ a quibusdam sanctis Patribus privatim in epistolis, interrogationibus et responsionibus pie dicta sunt, quodammodo canonis formam præstare posse,* καὶ τινα τρόπον κανόνος τύπον περιέχεσθαι δυνάμενα (in præf. Nomocanonis).

3. Ante sæculum VI canonum collectionibus dicta Patrum inserta non sunt. In Oriente primus, sæculo sexto ineunte, Joannes scholasticus collectioni suæ addidit canones ex S. Basilii epistola ad Amphilochium depromptos, ut ipse testatur (in præfatione ad suam Collectionem). Septimo desinente sæculo, Trullana seu Quinisexta synodus (can. 12) plura græcorum Patrum opuscula inter canones retulit.

Tum sæculo nono Photius in Nomocanone suo quorumdam sanctorum Patrum dicta canonibus admiscuit. Quod et alii deinceps græcorum canonum collectores præstitere. In Occidente autem primus Regino ineunte sæculo decimo hunc morem secutus est : quem imitati sunt Burchardus, Ivo, et inprimis Gratianus.

CAPUT V.

CONCLUDITUR UNICUM PROPRIE ET STRICTE LOQUENDO EXTARE JURIS CANONICI FONTEM, ROMANI SCILICET PONTIFICIS, CHRISTI IN TERRIS VICARII, LEGISLATIVAM POTESTATEM (1).

Id constabit plenissime, si probetur, omnium qui admitti possunt et solent juris sacri fontium, alios in stricto sensu non esse tales, cæteros ad unicum quem dicimus esse reducendos. Atqui res prorsus ita se habet.

Fontes scilicet canonici juris recenseri solent octo : Scriptura sacra, seu Verbum Dei scriptum, Verbum Dei non scriptum, seu traditio, jus ab Apostolis ipsis sancitum, sententiæ Patrum, decreta summorum Pontificum, concilia œcumenica, Romanæ Cardinalium congregationes, et consuetudo. Porro quatuor priores ad jus canonicum stricte sumptum non pertinere, in superioribus capitibus ostensum est. Probandum ergo tantum remanet quatuor cæteros, non diversos originarie, sed unum et eumdem esse laticem, diversis licet manantem et Ecclesiam ubique fœcundantem rivis.

(1) Hanc thesim scribebam in Vaticanis ædibus die 9 januarii 1852 ; quo die, mihi inter memorandos præcipuo, a Christi in terris vicario Pio IX summa fui benignitate exceptus.

I. Ad distinguendum utrum synodorum œcumenicarum potestas juris canonici fontem constituat a potestate Romani Pontificis diversum, considerandæ sunt leges hujusmodi synodorum, non quatenus a Romano simul Pontifice firmatæ, sed quatenus a sola synodo sancirentur, absque ullo capitis, id est, summi Ecclesiæ pastoris interventu. Ut enim concilium generale merito haberi possit tanquam fons juris canonici distinctus, requiritur ut per suam solam et sibi propriam auctoritatem latis a se canonibus vim obligandi tribuere possit; quia si canones conciliares vim non habeant, nisi quatenus ita voluerit Romanus Pontifex, patet non a voluntate Patrum synodice adunatorum, sed a voluntate Pontificia totum pendere legum synodicarum robur. Quæstio ergo ad hos reducenda est terminos : possit necne synodus œcumenica leges universales cum vi obligandi condere absque Romani Pontificis auctoritate? Porro hujus quæstionis duplex eaque celebris extat solutio : altera scilicet gallicanæ opinionis quæ affirmat, reliqui mundi catholici altera quæ negat. Falsam atque reprobandam esse gallicanam de hac re opinionem suo loco fuse ostendemus : pro præsenti autem scopo, minime necesse est ingredi controversiam illam de concilii œcumenici relative ad Romanum Pontificem inferioritate aut superioritate; sed etiam intacto et transire pro nunc permisso gallicano systemate, ostendemus omnino concludendum, a synodo œcumenica oriri nequaquam posse absque Pontificiæ auctoritatis placito veras et obligantes leges. Nam gallicani id tantum sustinent, opinationem suam non fuisse ab Ecclesia damnatam, sed posse licite sustineri. Cæterum libenter fatentur doctrinam oppositam esse pariter licitam et de facto ab innumeris scholis et doctoribus defendi; in id scilicet intendunt vires, ut probent eam non esse necessario amplexandam, et rem totam liberæ scholarum controversiæ adhuc ab Ecclesia permitti. Porro etiam ex hoc gallicano systemate sic a seipso declarato, rigorose sequitur, œcume-

nicam synodum minime posse absque Romani Pontificis auctoritate leges ullas obligantes sancire. Supponamus enim ab aliqua plenaria synodo sancitum disciplinare decretum, quod firmare recuset summus Pontifex : gallicani systematis patronum sic alloquimur : lex illa obligatne universam Ecclesiam? — Ego, inquit, concludo obligare. — Esto tu concludas; at quomodo concludis? Tanquam dogma ab omnibus ex conscientia tenendum, an tanquam liberæ controversiæ permissum? — Fateor contrarium sentientes non habendos esse tanquam ab Ecclesia damnatos, et posse communionem cum illis servari. Res enim de controversis est. — Gratias quidem gallicanis, quod velint communionem cum Romana Ecclesia et reliquo orbe catholico contrarium sentiente servare : at si liceat in controversiam adducere potestatem, quæ legem edicit, quomodo non vides, in controversiam hoc ipso adduci licite posse ipsius legis sic latæ obligandi vim? Si nulla fuerit legislativa potestas, nulla sit lex necesse est : si dubia hæc eadem potestas, et dubia legem servandi obligatio. Incertis autem et dubiis obligationibus nemo sese subjicere tenetur. Ergo, te etiam fatente, licite quisque poterit legem œcumenicæ synodi, assensu Pontificio non communitam, pro nulla habere. Ergo, juxta tuum etiam systema, œcumenica synodus absque dicto summi Pontificis placito, nullum legibus suis poterit fidelem ligare. Et quomodo non vides hoc idem esse, ac synodum œcumenicam, quatenus Papæ auctoritate destitutam, pro fonte juris canonici nequaquam esse habendam?

Concludendum ergo potestatem legislativam, œcumenicæ synodi propriam, esse ipsammet summi Pontificis legislativam potestatem; nec differre legem per solum Romanum Pontificem latam a lege quam sancit in concilio œcumenico, ex eo capite quod a fonte diverso oriatur; sed tantum ex eo quod in priori casu supremus Ecclesiæ pastor per se solum tanquam Ecclesiæ caput jus decernat, in posteriori vero si-

mul cum suo corpore. Idem igitur fons; diversus tantum manandi modus.

II. De Congregationum Romanarum legislativa potestate nulla est nec esse potest difficultas. Non enim suam et sibi propriam, sed a summo Pontifice delegatam potestatem exercent. Dumque Romanus Pontifex alia immediate per se decernit, quædam voluit mediate, per sacras nempe Cardinalium Congregationes edicere. Idem semper fons, et diversus tantum aquas per universalem Ecclesiam immittendi modus.

III. Quod pariter de consuetudine verum reperiet, quisquis adverterit consuetudines *contra* jus commune, in vim legis non transire, nisi ex vi consentientis saltem tacite principis, ut in confesso est apud omnes. Consuetudines autem *præter* jus, quocumque introducantur modo, non alia de causa universaliter obligatoriæ evadunt, nisi quia merito præsumitur et concluditur supremam Ecclesiæ legislativam potestatem, licet expresse non loquatur, velle tamen, ut serventur ex obligatione hujusmodi consuetudines, non legis alioquin sed consiliorum tantum rationem habituras. Unde et hic etiam unicus juris fons, licet diversus in diffluendo rivus.

Cum ergo varii qui recenseri solent, juris canonici fontes, vel ad jus canonicum stricte sumptum non pertineant, vel ab uno eodemque originario latice enascantur, non utique multiplex, sed unicus stricte dictus juris sacri fons est agnoscendus.

Quod et plane insuper confirmat orthodoxa de ipsius Romani Pontificis primatu tenenda doctrina. Ipse enim in Ecclesia tanquam verus et proprie dictus monarcha est institutus; at in regno, cui verus monarcha præest, pro unico et originario legum positivarum fonte admittenda est ipsa monarchica potestas. Totius Ecclesiæ pastor Romanus Pontifex; ad ipsum ergo solum pertinere potest universalibus dirigere et ligare legibus agnos et oves. De fide est, *plenam* in Ro-

mano Pontifice residere universalem Ecclesiam gubernandi potestatem; nulla ergo alia simul exstare potest eamdem universalem Ecclesiam legibus gubernandi potestas. Quæ omnia in tractatu *de Papa* plenius evolventur.

Cum ergo auctores multi jus canonicum appellatione *juris Pontificii* memorant, non figurate, non partem pro toto accipientes loquuntur, sed vera et rigorosa utuntur dicendi formula. *Jus*, scilicet *Papale* est, quidquid jus canonicum stricte dictum vocari potest.

SECTIO II.

DE CONSTITUTIONIBUS SUMMORUM PONTIFICUM, QUATENUS JURIS CANONICI FONTE.

Prænotanda. — Non tantum verus, immo non tantum præcipuus atque locupletissimus canonici juris fons decreta Pontificia; sed, prout modo ostendimus, Romani Pontificis legislativa potestate totum stricte loquendo jus ecclesiasticum firmatur atque consistit. Aliis scilicet prælatis prælatorumve coadunationibus nulla relicta est propria et independens leges universales condendi facultas; postquam uni dictum a Christo est, *pasce agnos, pasce oves,* atque illi *plena* tradita est *universalem Ecclesiam pascendi, regendi, et gubernandi potestas* (conc. Flor.).

At vero, quoniam hac potestate legislativa Romanorum Pontificum, tanquam solidissima petra, fundatur et stat totum disciplinæ ecclesiasticæ ædificium et soliditas, nihil non intentatum reliquerunt heterodoxi, ut fundamentum hoc quassando et corrodendo disjicerent aut saltem infirmarent.

Errores autem ad sequentia capita reduci possunt :

1° Eorum, qui aperte omnem potestatem legislativam de-

negant summo Pontifici : ita Lutherus cujus propositio hæc : Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu; et quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit (apud Zaccaria, dissert. de disciplina eccles., p. 66).

2° Eorum qui eo tantum casu, quo difficile est congregare concilium œcumenicum, Papæ concedunt accidentalem leges proponendi facultatem, non ante tamen obligandi vim habentem, quam consensu communi receptæ fuerint. Ita ultimo sæculo Episcopus de Hontheim, Archiepiscopi Trevirensis suffraganeus; qui in suo, sub nomine *Febronii*, venenatis doctrinis refertissimo opere, in hæc hæreticalia verba erumpere ausus est : *Quamquam penes summum Pontificem solum legislatoria potestas respectu Ecclesiæ universalis non resideat, nihilominus ipse in congregandorum generalium conciliorum difficultate condere potest leges generales, easque toti Ecclesiæ proponere observandas, non ante tamen vim habituras, quam communi consensu fuerint receptæ* (c. 2, sect. 3, n. 3).

3° Eorum qui sustinent, summos Pontifices legibus suis antequam acceptentur saltem ab Episcopis, non posse, etiamsi id vellent, obligationem inducere. Ita multi doctrinæ gallicanæ incauti defensores; qui dum putant se doctrinam catholicis liberam non excedere, in apertum ac consectariis deflendum errorem misere labuntur.

Sed extra errorum catalogum reponi debet controversia, utrum *de facto* summi Pontifices velint suas leges non obligare antequam acceptentur. In hac enim controversia doctores catholici in diversas abeunt sententias. Distinguendas esse varias constitutionum Pontificiarum species, et de quibusdam affirmandum, de aliis negandum, nolle summum Pontificem obligare, priusquam acceptentur, infra cum Benedicto XIV sustinemus.

Tandem leges Pontificias non obligare nisi promulgentur, extra controversiam est. Sed quænam sufficiat promulgatio;

an scilicet satis sit promulgari Romæ leges Pontificias, an vero etiam in provinciis promulgatio requiratur, magni momenti ac diligenter expendenda quæstio est.

Quibus prænotatis, disserendi ordinem ita instituimus : in primo capite Romano Pontifici plenissimam juris in universa Ecclesia dicundi, atque leges condendi potestatem vindicabimus. In secundo ostendemus leges Pontificias ex vi propria obligare independenter ab omni etiam Episcoporum acceptatione; ita scilicet ut, si quando de facto ante acceptationem non obligent, id fluat non ex defectu potestatis in summo Pontifice, sed tantum ex eo quod ipse summus Pontifex ita libere velit. In tertio inquiremus circa factum istud, an revera Romanis Pontificibus quoad omnes leges suas supponenda sit intentio non obligandi ante acceptationem. In quarto agemus de legum Pontificiarum requisita promulgatione. In quinto tandem varias constitutionum Pontificiarum solemnitates et formas memorabimus.

CAPUT I.

« SUMMUS PONTIFEX IMMEDIATE ACCEPIT AB IPSO » CHRISTO, ET EX VI INSTITUTIONIS EJUS, POTESTATEM » LEGISLATIVAM IN UNIVERSAM ECCLESIAM. » (Sunt verba Suaresii.)

Prænotanda. — « Conclusio est omnino certa : nam quod » hanc potestatem habeat, est de fide, ut constat ex traditione » et communi sensu Ecclesiæ, et ex his, quæ statim afferemus. » Quod autem illam habeat illo modo (1), est conclusio adeo » certa, ut sine errore negari non possit. » (Suarez, de Leg., l. IV, c. 3, n. 10).

(1) Nempe immediate a Christo.

Potestas legislativa Romani Pontificis inseparabilis est ab ipsius potestate jurisdictionali in universam Ecclesiam. Si enim summus Pontifex careret jurisdictione in universos fideles, nec eos legibus suis ligare posset. Ille siquidem solus legem ferre potest in alium, qui super ipsum jurisdictionem habet; nec est, aut esse potuit unquam lex, nisi superioris in subditos. Posito autem quod Romanus Pontifex vera in Ecclesiam universam jurisdictione polleat, hoc ipso possidet in universos fideles potestatem legislativam. Habere enim jurisdictionem in universam aliquam societatem, est posse omnibus societatem hanc conflantibus imperare, et statutis pœnis delinquentes corrigere; ita videlicet ut superiori jurisdictionem habenti teneantur subditi obedire. Sed habere potestatem intimandi universis præcepta quæ obligent, est habere ipsammet potestatem legislativam, quæ in hoc præcise consistit.

Hinc præsens thesis posset hic omitti et supponi probata in tractatu de Papa, in quo demonstratur primatus jurisdictionis Romani Pontificis. Idem enim fere sunt probationum fontes, eademque ex istis fontibus pro utraque thesi depromuntur argumenta.

Non tamen abs re erit, aliquod saltem harum probationum compendium hic exarare, cum peculiari ad thesim præsentem applicatione.

ARTICULUS I.

ARGUMENTUM EX SCRIPTURA SACRA.

Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. — Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis. — Pasce agnos meos... Pasce oves meas.

Ut hæc verba probent Romanis Pontificibus competere potestatem legislativam in Ecclesia universa, duo requiruntur

et sufficiunt : primo ut ista verba potestatem hanc legislativam Petro a Christo collatum enuntient : secundo, ut certum sit illam potestatem ad Petri successores manasse. Atqui hæc duo certa sunt.

1° Verba ista exprimunt potestatem legislativam proprie dictam : non enim potest aliquis constitui fundamentum seu petra fundamentalis alicujus societatis seu ecclesiæ hominibus constantis, quin hoc ipso instruatur potestate necessaria ad retinendos homines in uno sociali ædificio unitos ; atqui nulla ecclesia seu societas humana stare et permanere potest firmiter unita, sine potestate legislativa, quæ vim habeat membra ligandi et dirigendi ad finem societatis communem. Hoc enim exigit hominum natura ; et si hoc non præstet qui societatis alicujus fundamentum dicitur, falsum est ipsum esse fundamentum. Ergo hoc ipso quod Petrus statuatur fundamentum Ecclesiæ, statuitur et Ecclesiæ legislator. Item cui datur potestas in societate aliqua quodcumque ligandi et solvandi, datur et potestas legislativa. Legislativa enim potestas nihil aliud est quam potestas obligandi, seu ligandi ; quæ nisi daretur, falsum exprimeret vox *quodcumque* a Christo prolata. Item pastor non est qui potestatem non habet oves ad quædam loca ducendi, ab aliis abducendi, et tandem gregem regendi : nec esset pastor ille, quo invito grex se ipsum prout vellet dirigere posset. Ergo si Petrus constitutus sit totius christianæ societatis seu totius Ecclesiæ pastor, constitutus fuit hoc ipso et rector cum potestate cogendi oves ad quædam et cohibendi ab aliis ; porro talis rector est ipso legislator. — Hunc esse prædictorum textuum sensum evincit perpetua Patrum traditio et communis omnium doctorum scholæ interpretatio. « Ad sancti Petri primatum quod atti-
» net, aiunt fratres Ballerini (de Primatu summi Pontificis,
» c. 5, n. 1), hujus præcipua fundamenta in Evangelio con-
» tineri ipsa sanctorum Patrum prodit traditio, quæ eumdem
» sancti Petri primatum commendans infinitis propemodum

» in locis, certa quædam de Petro evangelica testimonia
» fere inculcat : ex quo sequitur, antiquos Ecclesiæ Patres ex
» iisdem evangelicis testimoniis primatum Petro commissum
» accipisse. Jure igitur Milevitani concilii Patres in epistola
» ad Innocentium I *auctoritatem*, seu primatum in ipsum Pon-
» tificem a S. Petro transmissum, *ex sanctarum Scriptura-*
» *rum autoritate depromptam* affirmarunt. Et S. Gregorius
» (l. 4, Epist., ep. 32) : « *Cunctis Evangelium scientibus liquet*
» *quod voce Domini, sancto et omnium Apostolorum principi*
» *Petro totius Ecclesiæ cura commissa est.* »

Hunc primatum jurisdictionis in sacra Scriptura exprimi sic declarat Clerus gallicanus, anno 1682 : *Divinitus institutum, et ab Evangelio discimus, et tota docet ecclesiastica traditio.* Et Bossuet : *Theologi omnes, ac Parisienses vel maxime adversus hæreticos primatum Apostolicum probant ex his locis : Tu es Petrus,* et *Confirma fratres tuos,* et *Pasce oves meas.* (*Defensio,* t. I, p. 3, edit. 1745.) Lutherus ipse, antequam ab Ecclesia plane desciscceret (in opere contra Sylvestrum de Priorate) allegat eosdem Scripturæ textus, et affirmat *omnes fateri* Pontificis auctoritatem ex illis derivari. Ergo primo, citati textus evangelici, tum ex genuino et obvio sensu, tum ex communi Patrum et theologorum interpretatione, exprimunt primatum jurisdictionis Petro collatum, et in eo primatu necessario inclusam legislativam potestatem.

2° Certum est prædictam potestatem ad Christi successores manasse. Idem enim est in asserenda hac potestatis Petro traditæ in successores transmissione Patrum et theologorum consensus. Quædam insigniora sufficiat adducere testimonia. Philippus Romanæ Ecclesiæ presbyter Ephesini concilii Patribus affirmare non dubitavit : *Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum, quod sanctus Petrus ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit* (Conc. Eph., act. 3). Sanctus Petrus Chrysologus (Epist. ad Eutych., n° 2) : *Sanctus*

Petrus qui in propria sede et vivit et præsidet. Sanctus Leo (Serm. 2, in Assumpt. sui ad Pontif., c. 3) : *Cujus* (Petri) *in sua sede vivit potestas et excellit auctoritas.* Et capite 4 : *Cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit.* Hinc Bossuet (Defens., t. II, p. 190, ed. 1745) : *Accipiendi ergo Romani Pontifices tanquam una persona Petri.* Ergo revera in textibus Scripturæ supra allatis evincitur tum Petri, tum Romani Pontificis in universam Ecclesiam legislativa potestas.

ARTICULUS II.

ARGUMENTUM ET PRAXI ECCLESIÆ, ID EST, EXERCITIO HUJUSCE POTESTATIS LEGISLATIVÆ SUMMORUM PONTIFICUM.

Anno 196. — *Sanctus Victor I exercet potestatem legislativam occasione dissensionis de die quo celebrandum esset festum Paschæ.* — Factum istud sic narrat Eusebius in sua Historia ecclesiastica (libro V, cap. 23 et seq.) : « Iisdem temporibus » gravi controversia exorta, eo quod omnes per Asiam eccle- » siæ, vetusta quadam traditione nixæ, quarta decima luna » salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant, » quo die præscriptum erat Judæis ut agnum immolarent... » Cum tamen reliquæ totius orbis ecclesiæ alio more uterentur, » qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum serva- » tur; ut scilicet non alio quam resurrectionis Dominicæ die » jejunia solvi liceat. Synodi ob id, cœtusque Episcoporum » convenere... Episcopis vero Asiæ, qui morem sibi a majori- » bus traditum retinendum esse acriter contendebant, Poly- » crates præerat. Qui quidem in ea epistola, quam ad Victorem » et ad Romanæ urbis Ecclesiam scripsit, traditionem ad sua » usque tempora propagatam exponit his verbis : *Nos igitur* » *verum ac genuinum agimus diem...* (Enumerat deinde Poly- » crates ordinem successionis Episcoporum in sedibus asiaticis

» ab Apostolo sancto Joanne et sancto Philippo usque ad se;
» deinde addit) : *Nihil moveor iis quæ nobis ad formidinem*
» *intentantur : etenim ab illis qui me longe majores erant, dic-*
» *tum scio : obedire oportet Deo magis quam hominibus*... His
» ita gestis, Victor quidem Romanæ urbis Episcopus illico om-
» nes Asiæ vicinarumque provinciarum Ecclesias tanquam
» contraria rectæ fidei sentientes a communione abscindere
» conatur ἀποτέμνειν ὡς ἑτεροδοξούσας τῆς κοινῆς ἑνώσεως πει-
» ᾶται; datisque litteris universos qui illic erant fratres pro-
» scribit et ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronun-
» tiat. Verum hæc non omnibus placebant Episcopis. Proinde
» Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet
» quæ paci et unitati caritatique erga proximum congrue-
» bant. Extant etiamnum eorum litteræ quibus Victorem
» acerbius perstringunt (πληκτικώτερον καθαπτομένων). Ex quo-
» rum numero Irenæus... » (Traductio Valesii).

Duplex ibi distinguendum factum : alterum ad dogma pertinens, error nempe Asiaticorum qui contendebant, non licere Pascha celebrare alio quam decimoquarto die lunæ; alterum attingens disciplinam tantum, nempe sublatio consuetudinis quam ibi toleraverat initio sanctus Joannes Apostolus, propter infirmitatem Judæorum ad Christum conversorum. Sanctus Victor Papa, et errorem qui tolerari non poterat condemnavit, et consuetudinem asiaticam quæ absolute tolerari potuisset, deserendam præcepit. An revera renitentes Episcopos Asiæ excommunicaverit, an vero tantum excommunicationem minatus fuerit, disputant eruditi. Hoc certum est, ipsum tunc potestatem legislativam sibi super Asiæ ecclesias tribuisse. Nec ipsi dixit sanctus Irenæus, hanc potestatem non habes; sed, supponendo e contra ab ipso posse ecclesias asiaticas excommunicari, rationes opponebat quibus suaderet id non expedire, et satius esse consuetudinem Asiaticorum adhuc tolerari. Imo Polycrates ipse obedientiam renuebat, non quod existimaret Papam non posse sibi præcipere justa, sed

quia jussa contendebat præceptis divinis contraria; quod aperte innuunt hæc verba ab ipso usurpata : « Melius est obedire Deo quam hominibus. » Pleniorem hujus facti discussionem vide apud Zaccariam (*Antifebronius*, pars II, l. II, c. 1).

Anno 221. — *Testimonium ex Tertulliano.* — Quidam Episcopi africani rigidioris disciplinæ tenaces statuerant fornicarios et adulteros non esse ad pacem recipiendos, licet pœnitentiæ de suis peccatis testimonia exhibuissent. Quod testatur sanctus Cyprianus epistola 52 ad Antoniam, his verbis : *Et quidem apud antecessores nostros quidam de Episcopis isthic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt.* Editum est ad temperandum hunc nimium disciplinæ rigorem solemne quoddam decretum, quod Tertulliano, utpote jam in hæresim Montanistarum lapso, valde displicuit, et contra quod vehementer insurgit his verbis : « Audio etiam edictum esse » propositum, et quidem peremptorium; Pontifex scilicet » maximus, quod est, Episcopus Episcoporum, edicit : Ego » et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis di- » mitto. O edictum, cui adscribi non poterit bonum factum! » (De pudicitia, cap. 1). — Exhibe igitur et nunc mihi, Aposto- » lice, prophetica exempla, et agnoscam divinitatem, et vin- » dica tibi delictorum ejuscemodi remittendorum potestatem. » De tua nunc sententia quæro, unde hoc jus Ecclesiæ usur- » pes. Si quia dixerit Petro Dominus, super hanc petram ædi- » ficabo Ecclesiam meam, Tibi dedi claves regni cœlestis, » vel, Quæcumque alligaveris vel solveris in terra, erunt al- » ligata vel soluta in cœlis, idcirco præsumis et ad te derivasse » solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam » Petri propinquam, qualis es evertens atque commutans » manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro » conferentem? Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam; » Dabo tibi claves, non Ecclesiæ; et Quæcumque solveris vel

» alligaveris, non quæ solverint vel alligaverint; sic enim » et exitus docet. » (De pudicitia, cap. 21.)

Quis sit iste *Pontifex maximus, Episcopus Episcoporum,* cui Tertullianus exprobrat quod *peremptorio edicto* statuisset recipiendos esse ad pœnitentiam et absolutione donandos adulteros, non omnino concordant eruditi. Plerique textum intelligunt de Zephirino Papa tunc Ecclesiam regente : aliqui putarunt Tertullianum loqui de Episcopo Carthaginensi et de decreto ab ipso facto, quem Tertullianus per ironiam vocaret Pontificem maximum, et cui exprobaret quod decrevisset de re, quæ non ab alio quam successore Petri in Romana Sede decidenda fuerat.

Si prior sensus eligatur, ergo Zephirinus Papa peremptorium edictum circa disciplinam fecerat, id est, potestatem legislativam in ecclesias exercuerat. Si posterior, ergo Tertullianus vindicabat propriam Romanis Pontificibus hanc leges ferendi in universas ecclesias potestatem. Nobis tamen prior sensus ex contextu videtur anteponendus. (Vide P. Zaccaria, Antifebronius, pars II, l. 11, c. 1.)

Anno 251. — *Memorabile responsum Cleri Romani, Pontificia Sede vacante, ad sanctum Cyprianum.* — In Africa, quidam, urgente persecutione, in idololatriam lapsi erant. Novatianus negabat absolutionem hujusmodi lapsis esse concedendam. Lapsi autem, facta seditione, volebant sibi pacem dari, etiam non expleta legitima pœnitentia. De dissensione ista scripsit sanctus Cyprianus ad presbyteros et diaconos urbis Romæ, quo tempore, per obitum sancti Fabiani Papæ, vacabat Pontificia Sedes. In responso autem Cleri Romani extant hæc valde notanda verba : *Quanquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum et temporum difficultatem constitutus,* QUI OMNIA ISTA MODERETUR, *et eorum qui lapsi sunt possit* CUM AUCTORITATE *et consilio habere rationem.* (Collectio con-

ciliorum, Mansi, t. I, p. 802.) Ergo ad Romanum Episcopum Petri successorem spectabat *omnia ista moderari*, et horum omnium in ecclesiis africanis *cum auctoritate habere rationem*. Ergo tunc temporis ut certum habebatur summo Pontifici competere legislativam in universa Ecclesia potestatem. Statim autem ac Cornelius Papa ad summum Pontificatum evectus est, decrevit de istis lapsis quid esset agendum, ut narrat Eusebius (Hist. eccles., l. VI, c. 43).

Anno 362. — *Decreta generalia ad provincias missa a Papa Liberio, quibus prohibebatur hæreticorum ad fidem conversorum rebaptizatio.* — Ista quidem decreta periere; sed non periit epistola 1 Siricii Papæ ad Himerium, in qua de illis Liberii decretis authenticum extat testimonium : « Prima » itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis » arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam » de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle : quod » non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones con- » tradicant, et post cassatum Ariminense concilium, missa » ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo » (Liberio) generalia decreta prohibeant. » (*Epistolæ Romanorum Pontificum*, a Domno Coustant collectæ, col. 624.)

Anno 385. — *Sanctus Siricius Papa, auctoritate Sedis Apostolicæ, interdicit usum matrimonii presbyteris et diaconis ante ordinationem uxoratis.* — Erant in Hispania clerici, qui ex antiqua lege sibi usum matrimonii licere contendebant. Consuluit Siricium Papam Himerius Tarraconensis Episcopus. « Licet autem laudabilis consuetudo contraria in Occi- » dente et etiam in Oriente universaliter invaluisset, nihilo- » minus, ante Siricii tempora, ait Zaccaria (*Antifebr.*, » part. II, l. II, c. I, n° 6), nulla erat lex stabilita, nullus » editus canon, quibus sub præcepto et pœna canonica in- » jungeretur cælibatus clericis in majoribus ordinibus cons- » titutis. » Siricius autem decrevit hoc modo : « Ii vero qui » illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant

» veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesias-
» tico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ Sedis aucto-
» ritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare
» mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus in-
» hiant, privaverunt. » (Apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 631). Injungit autem Himerio Siricius ut sua quindecim decreta, in hac epistola contenta, transmittat non solum ad provinciæ Tarraconensis, sed etiam ad provinciæ Bœticæ, Lusitanæ, Carthaginensis et Galicianæ Episcopos; et se velle hæc decreta esse legem universalem testatur his verbis : « Quid ab universis posthac ecclesiis se-
» quendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione
» decernimus. »

Anno 404. — Innocentius I, mittens decreta quædam sua Victricio Rothomagensi Episcopo, vocat decreta hæc, *digestas vitæ et morum probabilium disciplinas* (Coustant, p. 746); vultque illa diffundi per vicinas provincias : « Erit dilectio-
» nis tuæ, per plebes finitimas et consacerdotes nostros, qui
» in illis regionibus propriis ecclesiis præsident, regularum
» hunc librum quasi didascalicum atque monitorem sedulo
» insinuare..., ut in illis partibus istiusmodi quam tenet
» Ecclesia Romana forma servetur. » (Coustant, col. 747.)

Idem Pontifex in alia epistola : « Sed ne deinceps similia
» committantur, dilectionis vestræ maturitas providere de-
» bebit, ut tantæ usurpationi saltem nunc finis necessarius
» imponatur....; eo videlicet constituto, ut si qui post hæc
» adversus formas canonum vel ad ipsum sacerdotium ve-
» nire tentaverint, una cum creatoribus suis ipso in quo
» inventi fuerint ordine et honore priventur. » (Epist. III, Coustant, col. 769.)

In alio loco idem Pontifex dicit se *per sententiam decernere* : « Secundum quas (nempe regulas Nicænæ synodi) ordina-
» tiones faciendas esse, per sententiam decernimus » (Coustant, coll. 770). Et adimit aliter interpretandi facultatem :

« Ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur » (Ibid.). In epistola 5, ad Exuperium Tolosæ Episcopum mandat servari *monita evidentia* Papæ Siricii (Coustant, col. 790); quæ monita ab ipso vocantur « forma illa ecclesiasticæ vitæ » pariter et disciplinæ quæ ab Episcopo Siricio ad provincias » commeavit » (Coustant, col. 792). In epistola 17 : « Adverti » Sedi Apostolicæ, ad quam relatio missa quasi ad caput ec- » clesiarum currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc » in ambiguum sententia duceretur » (Coustant, col. 830). In epistola 36 designat sanctam Sedem sub nomine *facultatis legum* : « Conturbatio procellæ barbaricæ facultati legum » intulit casum » (Coustant, col. 909). Casus autem ille definiendus, erat de marito qui, capta et in servitutem redacta uxore sua, alteram duxerat.

Anno 417. — Zosimus Papa sub pœna excommunicationis prohibuit ne clericus ullus cujuscumque gradus Romam veniret, nisi prius ab Archiepiscopo Arelatensi, sanctæ Sedis legato, accepisset litteras testimoniales quæ *formatæ* dicebantur : « Placuit Apostolicæ Sedi ut, si quis ex qualibet » Galliarum parte, sub quolibet ecclesiastico gradu, ad nos » venire contendit, vel alio terrarum ire disponit, non » aliter proficiscatur, nisi metropolitani Arelatensis Episcopi » formatas acceperit... Si quis autem hæc salubriter consti- » tuta temerare tentaverit, sponte sua se a nostra noverit » communione discretum » (Epist. 1, Coustant, col. 935 et 936). — Epist. 9 : « Sciet quisquis hoc postposita Patrum » et Apostolicæ Sedis auctoritate neglexerit, a nobis distric- » tius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non » constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones im- » pune tentari » (Coustant, col. 970). — In epistola 4 : « In » speculis a Deo constituti, ut vigilantiæ nostræ diligentiam » comprobantes, et quæ coercenda sunt resecemus, et quæ » observanda sunt sanciamus » (Coustant, col. 1066). — In epistola 5 : « Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita,

» sentiet censuram Sedis Apostolicæ minime defuturam. Quæ » enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, ne- » cesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus » (Coustant, col. 1074).

Anno 443. — Sanctus Leo Magnus in sua ad Campaniæ, Etruriæ, Piceni, et omnium provinciarum Episcopos epistola, plura constituit de ordinatione servorum et usuris clericorum. Illam autem sic concludit : « Hoc itaque admonitio » nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc consti- » tuta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, » a suo se noverit officio submovendum, nec communionis » nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit dis- » ciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum forte a nobis » credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recorda- » tionis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, » quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata » sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere » mandamus, ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi » deinceps noverit denegari » (epist. 4, editio Ballerinorum fratrum, col. 616). Multa alia possent allegari ex sancto Leone. Indicabimus tantum epistolas 12, 16 et 18 in citata editione.

Anno 445. — *Insigne testimonium imperatoris Valentiniani.* — Postquam sanctus Leo Magnus privasset potestate metropolitica sanctum Hilarium, Arelatensem Episcopum, imperator Valentinianus hanc Pontificiam sanctionem munivit auxilio brachii sæcularis, celebri sua constitutione in Gallias directa, in qua legitur. « Cum igitur Sedis Apostolicæ pri- » matum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis » coronæ et Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi » firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis » istius inlicitum præsumptio attentare nitatur. Tunc enim » demum ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem » suum agnoscat universitas... » (Et postquam retulit quo-

modo Hilarius pacem turbasset et damnatus esset a sancto Leone, sic prosequitur Valentinianus : « Et erat quidem ipsa » sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione vali- » tura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in ecclesiis non » liceret?... Hac perenni sanctione censemus, ne quid tam » Episcopis gallicanis, quam aliarum provinciarum, contra » consuetudinem veterem, liceat sine viri venerabilis Papæ » urbis æternæ auctoritate tentare. Sed hoc illis omnibusque » pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis » auctoritas » (Editio Ballerinorum t. I, p. 642, Operum sancti Leonis Magni).

Anno 567. — *Concilii Turonensis testimonium.* — Postquam canone 20 retulit statuta quædam Innocentii I, sic concludit : « Quis sacerdotum contra decreta talia quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat?... Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit, et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas? Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes, statuamus, etc... » (Collectio concil. Mansi, t. IX, p. 998).

Anno 787. — Pelagius II Papa decrevit ut subdiaconi ante ordinationem uxorati ad servandam continentiam obligarentur, ut testatur sanctus Gregorius Magnus (libro III Epist., epistola 34 veteris editionis). De quo et ipse sanctus Gregorius Magnus ita statuit : « A præsenti die Episcopis omnibus di- » catur, ut nullum subdiaconum facere præsumant, nisi » qui se victurum caste promiserit » (Lib. I Epistolarum, epist. 42).

In sequentibus sæculis adeo abundant testimonia, ut supervacaneum prorsus esset illa retexere. Tota moles Corporis juris canonici hanc praxim testatur; et ideo in quinque prioribus tantum sæculis demonstrandum duximus dictæ legislativæ potestatis exercitium.

Non parvæ auctoritatis est apud eruditos historia Romanorum Pontificum sub nomine *Libri pontificalis* nota. Quam si adire velimus, alios præter memoratos reperiemus Romanos Pontifices, qui in remotissima antiquitate potestatem legislativam exercuerunt. Eos sic breviter recenset Joannes Politi (*Jurisprudentia ecclesiastica universa,* t. I, quæst. 7, pag. 115, edit. Venet. 1787), dum Photium hujusmodi potestatis legislativæ in veteri Ecclesia exercitium audacter negantem confutat atque aperti mendacii reum demonstrat :

« Plurimum a vero abludit illud quod ait Photius in suo » Nomocanone (t. I, c. 4), *alienum esse a veteris Ecclesiæ* » *institutis, ut ecclesiis omnibus Romanus Pontifex canones* » *edicat.* Ne nimia satietate te delassem, paucos tantum cano- » nes memorabo, qui Photium suosque asseclas putidissimi » mendacii coarguent. Sanctus Evaristus anno 112, statuit » septem diaconos Episcopis omnibus ad populum concio- » nantibus præsto esse debere. Sanctus Xistus I, anno 132, » decrevit ut nullus Episcopus Romam evocatus ad episco- » patum suum rediens susciperetur, nisi Apostolicæ Sedis » litteras *formatas* populo suo exhiberet. (Erant litteræ for- » matæ, per quas unitas fidei, ac mutuus inter caput et » membra amor foveri et significari consueverat; ideoque » etiam canonicæ, communicatoriæ et pacificæ vocabantur. » Harum scribendarum rationem, ne fraudi locus esset, » præscripsit Nicæna synodus.) Sanctus Victor, anno 198, » cavit ne ullo alio quam dominico die mysterium resurrec- » tionis Domini ubivis terrarum celebraretur. Sanctus Cor- » nelius, anno 254, statuit ut lapsi, ubiubi essent, extra » mortis periculum, nonnisi peracta diuturna pœnitentia » reciperentur in communionem. Sanctus Lucius, anno 256, » edixit ut duo presbyteri et diaconi tres Episcopum quan- » tumcumque usque comitarentur, testes ejus vitæ et actio- » num. Hæc ex *Libro pontificali* exprompta sunt... Historiam » Romanorum Pontificum quæ sub titulo *Libri pontificalis*

» circumfertur, à pluribus exaratam existimamus : nihil-
» ominus, ut autographæ genuinisque ex scripturis ex-
» cerptæ, maximam ac summam fidem habendam esse cen-
» semus...

» Sed hæc fortasse fide laborant apud eos, qui ea omnia,
» quæ eorum palato non sapiunt, ad fabulas amandant. Illa
» vero certissima, atque extra omnem teli jactum posita sunt,
» quæ Siricius rescripsit Himerio Tarraconensi Episcopo, ubi
» Episcopis omnibus edixit ut eos unos in ecclesiasticorum
» album referrent, in quibus sanctitas morum elucesceret,
» quique pluribus nuptiis incontinentiæ suspicionem non
» injecissent : his enim verbis hunc canonem claudit : *Quid*
» *ab universis post hæc ecclesiis sequendum sit, quid vitandum,*
» *generali pronuntiatione decernimus.* Quibus germana sunt
» quæ S. Hilarius pronuntiavit in concilio Romano habito
» anno 467 : *nulli fas sine status sui periculo, vel divinas*
» *constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare.* Mitto
» alios canones qui ab Innocentio I, a Zosimo aliisque pri-
» morum Ecclesiæ sæculorum Pontificibus lati sunt, quique
» apud ecclesias omnes auctoritate valuerunt. »

Jam vero ex recensitis monumentis sic argui licet : omnino certum est Romanos Pontifices legislativam potestatem in universam Ecclesiam perpetuo exercuisse; atqui factum illud invictissime demonstrat eos sibi merito vindicare potestatem hanc, tanquam divino Christi munere Petro ejusque successoribus collatam : nisi enim legitimum fuerit dictæ potestatis exercitium, errasse dicenda est tota Romanorum Pontificum series, quæ pro jure certissimo habuerit tyrannicam usurpationem; errasse omnes Christiani orbis ecclesias atque concilia omnia, quibus persuasionem eamdem perpetuo inhæsisse constat; errasse proinde Ecclesiam universam atque veram constitutionem suam perpetuo ignorasse; omnia denique per octodecim sæcula ex errore fuisse in Ecclesia Christi ordinata; male edoctam proinde a Christo

Domino Ecclesiam, neque ab errore, prout divina asseruerat promissio, servatam. Quæ cum non minus impia sint quam absona, ex demonstrata praxi omnino concludatur necesse est, legislativa Romanorum Pontificum in universam Ecclesiam potestas.

De allatis autem ad probandam dictam praxim monumentis, non abs re erit hæc adnotare :

1° Licet tam pauca monumenta ecclesiastica ante annum 400 ad nos pervenerint, tamen et in istis paucissimis clare exhiberi potestatis legislativæ, de qua agimus, exercitium. 2° Subsequentia monumenta non tantum exhibent illud idem exercitium, sed testantur insuper et supponunt ita semper ab initio in Ecclesia fuisse consuetum, quod æquivalet expressis testimoniis priorum temporum, quæ propter monumentorum deperditionem non extant. 3° Hac sola de priorum sæculorum monumentis indagatione sufficienter confutantur omnes circa Romanorum Pontificum legislativam potestatem errores. Nam primo sequitur absurdam esse calumniam qua hæretici persuadere tentarunt ex falsis decretalibus octavo sæculo introductis ortum habuisse catholicorum dogma de potestate legislativa Papæ. Secundo, ruit pariter insanum Episcopi de Hontheim systema, Papæ tantum competere potestatem leges *proponendi*, non autem obligatorias imponendi. Qui enim supra allegatos textus attente legit animadvertere potuit, et Pontifices sub pœnis statuta condidisse, et ista statuta propter auctoritatem Sedis Romanæ ut vere obligatoria habita fuisse. Tertio, neque stare potest gallicana hypothesis necessariæ acceptationis tum a fidelibus, tum etiam ab Episcopis : textus enim allati ut reos et puniendos exhibent etiam Episcopos qui acceptare, id est observare, Pontificia decreta renuunt.

ARTICULUS III.

ARGUMENTUM EX CONCILIIS.

Concilium Constantinopolitanum, generale octavum. — Allegatur hoc modo a Pio VI in suo brevi *Super soliditate :* « Octava generalis synodus, actione prima,... probavit for- » mulam, qua... perscriptum erat qui sequestrati essent *a* » *communione Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes* » *Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda* » *esse mysteria.* Quin præterea cum statuendum esset de non- » nullis dispensationibus... impartiendæ veniæ facultatem » sumere sibi Patres ausi non sunt : verum eam per patriar- » cham Ignatium implorandam duxere a Sede Apostolica, » quam proinde agnovere, non ipsos patriarchas, relaxando- » rum canonum potestate pollere. » Ex duplici facto in hoc textu a Pio VI commemorato, sic argumentari licet : concilium generale octavum reprobat non consentientes Sedi Apostolicæ; sed Apostolicæ Sedi non consentirent qui rejicientes ejus generalia circa disciplinam decreta, potestatem legislativam quam sibi tribuit nollent agnoscere; ergo negantes hanc Romani Pontificis potestatem legislativam reprobat præfatum concilium. — Præterea eadem generalis synodus Romano Pontifici tribuit *exclusive* potestatem dispensandi in canonibus, seu leges Ecclesiæ relaxandi. Sed ille solus potest habere exclusive potestatem dispensandi in legibus, qui habet potestatem legislativam; ergo synodus illa œcumenica agnovit in Romano Pontifice potestatem legislativam in universos Christi fideles.

Concilium generale Lateranense, capite 5 : *Sancimus ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.* — Ecclesia aliqua non

potest habere *principatum potestatis ordinariæ* super alias, nec potest esse vero sensu *mater et magistra*, nisi possit illas regere, ipsisque præcipere, et nisi teneantur aliæ ipsi regenti, præcipienti et magisterium exercenti obedire. Alioquin derisorie diceretur habere, ex institutione divina, *principatum potestatis ordinariæ*.

Concilium generale Lugdunense II, in professione fidei Græcorum : *Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet : quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris, tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare : et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest judicium recurri : et eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ, et ipsarum Prælati obedientiam et reverentiam illi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit.* (Labbe, t. II, pag. 966.) Sed principatus qui possidetur cum *potestatis plenitudine*, vi cujus omnes ecclesiæ sunt Sanctæ Sedi *subjectæ*, et omnes aliarum ecclesiarum prælati *obedientiam* illi dant, ita ut in omnibus causis ecclesiasticis ad eam omnes possint *appellare* et *recurrere*, et ipsius *judicio* debeant ultimatim causæ et quæstiones etiam de fide definiri, talis, inquam, principatus includit procul dubio et supponit legislativam in universos Christi fideles potestatem.

Concilium generale Florentinum. — *Definimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi*

vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. (Labbe, t. XIII, p. 1167.) Potestas regendi societatem aliquam nec est, nec dici nisi mendaciter potest *plena,* si non sit legislativa; atqui concilium Florentinum definit potestatem regendi esse *plenam* in Romano Pontifice; ergo potestas illa legislativa est.

Concilium Tridentinum. — *Merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita causas aliquas graviores criminum potuerunt suo peculiariter judicio reservare.* (Sess. XIV, c. 7.) Ille *supremam* potestatem in aliquo regno nullatenus obtinet, qui legum ferendarum facultate destituitur. Patres ergo Tridentini pontificiam potestatem *supremam* falso dixissent, nisi legislativam eam agnovissent. Quam insuper agendi rationem non minus evidenter agnovere, dum decreta sua ita demum a se probata testati sunt, ut salva semper intelligeretur Christi in terris vicarii auctoritas.

ARTICULUS IV.

ARGUMENTUM EX PATRIBUS ET SIMUL EX AUTORITATE BREVIS DOGMATICI *SUPER SOLIDITATE.*

Cum Papa Pius VI, testimonia Patrum in prædicto Brevi indicaverit, Breve illud allegando, et Patrum simul et summi Pontificis dogmatice totam Ecclesiam monentis auctoritatem habebimus. Sint ergo excerpta hæc in thesis confirmationem. « Super soliditate petræ fundatam a Christo » Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere præ » cæteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori prin-

» ceps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres
» confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam
» curam auctoritatemque in successores omni ævo proro-
» gandam susciperet, dogma catholicum est, quod ore
» Christi acceptum, perenni Patrum prædicatione traditum
» ac defensum, Ecclesia universa omni ætate sanctissime
» retinuit, sæpiusque adversus novatorum errores, summo-
» rum Pontificum, conciliorumque decretis confirmavit....
» An fanatica dicenda tot solemnia totiesque repetita Ponti-
» ficum conciliorumve decreta, quibus illi damnati sunt,
» qui negarent in beato Petro Apostolorum principe suc-
» cessorem ejus Romanum Pontificem constitutum a Deo
» caput Ecclesiæ visibile ac vicarium Jesu Christi; ei re-
» gendæ Ecclesiæ plenam potestatem traditam veramque
» ab omnibus, qui christiano nomine censentur, obedien-
» tiam deberi; atque vim eam esse primatus quem divino
» jure obtinet, ut cæteris Episcopis non honoris tantum
» gradu, sed et supremæ potestatis amplitudine ante-
» cellat?....

» *Cyprianus* ipse, cujus hæc sunt verba : *Deus unus est,*
» *et Christus unus; et una Ecclesia, et cathedra una super*
» *Petrum Domini voce fundata:* qui Petri cathedram profite-
» tur *Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta*
» *est, ad quam perfidia non possit habere accessum.*

» *Chrysostomus* aperte declarans potuisse Petrum jure
» suo successorem in proditoris locum eligere. Quo jure
» ex primatu ducto, Petrus ipse deinceps, primique Petri
» successores usi sunt, dum per orbem Ecclesias funda-
» runt, eisque vel ante omnem synodum Episcopos præfece-
» runt, quibus gregis regendi portionem assignarunt....

» *Innocentius I*... quem... compertum est Antiochenam
» ecclesiam caput orientalis diœceseos decretis suis ordi-
» navisse.

» *Epiphanius,* qui Ursacium et Valentem pœnitentia duc-

» tos testatur Julio Romano Pontifici libellos obtulisse, qui-
» bus errorem suum deprecarentur, atque ad communio-
» nem et pœnitentiam admitterentur.

» *Hieronymus*, cui profanus erat quisquis non cathe-
» dræ Petri communione consociaretur, super quam pe-
» tram sciret ædificatam Ecclesiam, atque adeo ab uno
» Damaso in gravissimis concertationibus, ut loquendi,
» ita et communicandi auctoritatem sibi dari efflagita-
» bat.....

» *Ambrosius : Ipse est Petrus cui dixit* : Tu es Petrus, et
» super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : *ubi ergo*
» *Petrus, ibi Ecclesia...*

» Eugenium alloquens *Bernardus* : *Tu es cui claves tra-*
» *ditæ, cui oves creditæ sunt... Habeant alii assignatos sibi*
» *greges, singuli singulos : tibi universi crediti, uni unus. Nec*
» *modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor...*

» Et sane quod supra dictum ab Augustino retulimus,
» in Romana Sede semper viguisse Apostolicæ cathedræ
» principatum... cum aliis multis, tum et hac insigni nota
» cernitur, quod Petri successor hoc ipso quod in Petri
» locum succedit, assignatum sibi habeat jure divino Christi
» gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem
» accipiat universalis regiminis : cæteris porro Episcopis
» suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed
» ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordi-
» natione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis po-
» testatem explicare in eam valeat. Cujus assignationis sum-
» mam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abjudicare
» volet, eum necesse est legitimam tot in orbe toto Episco-
» porum successionem invadere... Ut, quemadmodum a
» Leone Magno dictum est, *omnes proprie regat Petrus*
» *quos principaliter regit et Christus; et si quid Christus*
» *commune cum Petro cæteris voluit esse principibus, nun-*
» *quam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.*

» Laudat (1) gallicanos Præsules... Audire illum non pi-
» geat Cæsarium Arelatensem, Avitum Viennensem, quo-
» rum ille supplici libello Symmachum Papam alloquitur :
» *Sicut a persona beati Petri episcopatus initium, ita necesse*
» *est ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ec-*
» *clesiis quid observare debeant evidenter ostendat.*

» *Avitus* vero ad Hormisdam : *Quæsumus ut quid filiis*
» *vestris fratribus meis, id est, gallicanis, si consulant,*
» *respondere debeam, instruatis...*

» *Aurelianenses* Patres, qui canonicam formam in metro-
» politanorum electione servandam ex Apostolicæ Sedis de-
» cretis repetunt...

» Audiat Ivonem Carnotensem, graviter eorum audaciam
» coarguentem, qui contra Sedem Apostolicam caput eri-
» gunt, *cujus judiciis et constitutionibus obviare, plane est*
» *hæreticæ pravitatis notam incurrere;* ad quam *principa-*
» *liter et generalissime pertineat tam Metropolitanorum quam*
» *cæterorum Episcoporum... constitutiones et judicia retrac-*
» *tare, suas vero inconcussas detinere, et nullius inferioris*
» *judicio retractandas vel corrigendas concedere.*

» Latere illum (Eybel) non debuere gravissimæ censuræ
» adversus famosum Spalatensem apostatam ab insigni
» theologica facultate Parisiensi latæ... Hi scilicet fuere
» Spalatensis errores... : *In Ecclesia non dari unum caput*
» *supremum et monarchum præter Christum. — Episcopos*
» *omnes simul et in solidum eamdem regere Ecclesiam, singulos*
» *cum plena potestate.*

» Gallicani præsules in comitiis anno 1681 : *Caput est,*
» inquiunt, *Ecclesiæ, centrum unitatis : obtinet ille in nos*
» *primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in*
» *persona sancti Petri collatum : qui ab hac veritate dissenti-*

(1) Eybel, cujus liber damnatur in hoc Brevi.

» *ret, schismaticus, immo et hæreticus esset.* » (Breve *Super soliditate,* Bullarium continuatum, t. VII, p. 671.)

ARTICULUS V.

ARGUMENTUM EX BULLA « AUCTOREM FIDEI. »

In ea quippe bulla, propositio sexta Pistoriensis synodi, quæ oppositam doctrinam obtrudebat, sic damnata fuit : Doctrina synodi, qua profitetur, persuasum sibi esse » Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria » pro bono regimine suæ diœcesis; — Perinde ac si ad » bonum regimen cujuscumque diœcesis necessariæ non » sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et » mores, sive ad generalem disciplinam, quarum *jus est* » *penes summos Pontifices* et concilia generalia pro universa » Ecclesia ; — schismatica, ad minus erronea. » (Bull. contin., t. IX, p. 399.)

ARTICULUS VI.

ARGUMENTUM EX VETERIBUS COLLECTIONIBUS JURIS CANONICI.

Dionysius Exiguus sæculo VI, prout alii ante ipsum fecerant (ut probant Ballerini fratres, *de antiq. Collec. can.,* parte 3, c. 1, § 2), decretales Romanorum Pontificum sicut et canones conciliorum in suo Codice ecclesiastico retulit. Item collectio vetus Hispanica, anno circiter 633 concinnata, in cujus præfatione, quæ pura conservata est, postquam enumeratæ sunt synodi quarum canones referuntur, hæc addita sunt verba : *Subjicientes etiam decreta Præsulum Romanorum, in quibus, pro culmine Sedis Apostolicæ, non impar*

conciliorum extat auctoritas (apud Ballerinios, loco citato, part. 3, c. 4). Ita ab hoc tempore collectiones omnes latinæ juris canonici. Porro hinc patet universalis Ecclesiæ persuasio de potestate Pontificia condendi decreta seu leges ecclesiasticas.

Pauca hæc ex innumeris de legislativa Romani Pontificis potestate argumenta parco calamo rapide perstrinximus; at abunde ea sufficere ad exstruendam omnimodam thesis certitudinem nemo catholicus negaverit, sincerus nemo.

CAPUT II.

ROMANI PONTIFICES POSSUNT, SI VELINT, LEGIBUS SUIS UNIVERSOS FIDELES LIGARE ABSQUE CUJUSCUMQUE ACCEPTATIONE.

Prænotanda. — « Ad vitandum hic errorem, ait P. Zaccaria » (*Antifebronio*, t. II, p. 200, ed. Cæsenæ, 1770), distingua- » mus sine mora quæstionem facti a quæstione juris. » Quæstio facti est, utrum leges Pontificiæ obligent, quando » nondum fuerunt receptæ; quæstio juris est, utrum possint » obligare antequam recipiantur, id est, an eis necessaria sit » receptio, ut vim obligandi habeant. »

Enimvero quod summi Pontifices non intendant quibusdam legibus suis obligationem statim imponere, nisi prius istæ leges recipiantur, et quod sic de facto aliquot ejusmodi leges, propter defectum voluntatis in Romano Pontifice, non statim obligent absque acceptatione, sustineri licite potest, ut videbimus sequenti capite, et est sententia apud auctores catholicos receptissima.

At vero Papam non posse, etiamsi vellet, suis legibus obligare nisi acceptantes, est doctrina falsa prorsus et repro-

banda. Hinc Suarez, postquam exposuit sententiam auctorum qui putant leges Pontificias non obligare nisi dependenter ab acceptatione subditorum, addit : « Fundamentum hujus » sententiæ totum videtur poni in præsumpta voluntate » prælatorum Ecclesiæ ponendi leges suas sub intellecta » conditione, ut moribus subditorum probentur : *solus* » Major indicat etiam id esse ex defectu potestatis, quia non » possunt aliter eas ferre; et ad hoc suadendum dicit, Eccle- » siam esse supra Papam, et ideo si Ecclesia non acceptat » legem Papæ, non posse per illam obligari » (de Leg. l. 4, c. 16, n. 1). Hæc opinio Majoris attingitur decreto Alexandri VII (24 sept. 1665), quo inter alias damnata est propositio hæc : *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.*

Doctrinam autem oppositam, nempe posse Papam ita leges canonicas ferre, ut obligetur Ecclesia ad eas acceptandas, habet Suarez non tantum ut certam, sed etiam tanquam de fide : « Mihi videtur tam certa, inquit, ut secun- » dum fidem negari non possit » (Loco citato, n. 2).

Idem sentit Mauclerus, doctor parisiensis : « Obligationem, » inquit, inferre potest (loquitur de summo Pontifice) ser- » vandi leges canonicas a se conditas, et sufficienti promul- » gatione orbi Christiano communicatas, ut Alphonsus a » Castro, Turrecremata aliique de meliori nota doctores » crediderunt : quod adeo verum esse credo, ut secundum » fidem negari non posse putem. Neque propterea lex minus » legis nomine et honore dignabitur, si justa et sufficienter » promulgata non recipiatur a populo, nec minus peccabit » contra Dei jussa, si illam sine causa repudiet » (*de Ecclesiastica monarchia*, p. 2, l. 4, c. 3).

Hæc prænotata voluimus, ne in quæstione tanti momenti ulla oriatur ex æquivocatione errandi occasio. Nunc ad probationem thesis accedamus.

Probatur 1° — *Ex veritate demonstrata præcedentis the-*

sis.—Probatum est in præcedenti capite Romanis Pontificibus competere veram et proprie dictam potestatem legislativam in universos Christi fideles; sed potestatem hanc non haberent Romani Pontifices, si legibus suis ligare non possent nisi libere acceptantes: nam lex sive præceptum cui non tenentur obedire nisi qui volunt, non est lex neque præceptum; ergo potestas ferendi leges quibus non ligentur nisi volentes, non est vera legislativa potestas. Et bene advertatur minimam mulierculam in Ecclesia habere potestatem condendi leges et præcepta ad universam Ecclesiam directa; imo per epistolam posset omnibus orbis Episcopis leges illas acceptandas proponere. Quis autem audeat asserere fœminam hanc mente captam, ex eo quod possit hoc agere, habere veram legislativam potestatem in universos Ecclesiæ fideles? Porro si leges pontificiæ non possent ligare nisi libere acceptantes, non magis rationem legis haberent quam deliramenta prædictæ mulierculæ. Unde vel clare et audacter negetur, cum heterodoxo Episcopo de Hontheim cæterisque hæreticis, Papam habere potestatem in Ecclesia legislativam, et asseratur ipsi tantum competere potestatem leges *proponendi;* vel clare et sine ambagibus concedatur vicarios Christi posse, si velint, etiam sine subditorum acceptione, eos legibus suis ligare.

Probatur 2° — *Ex textibus Scripturæ in probationem præcedentis thesis adductis.* — Ostendimus scilicet superiori capite, Romanos Pontifices successisse potestati quam Christus contulit Petro per hæc verba : *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* — *Pasce oves meas.* — *Quodcumque ligaveris, erit ligatum, et quodcumque solveris, erit solutum.* Sed potestas his verbis collata, fuit procul dubio potestas obligandi subditos , etiam sine eorum acceptatione. Nam pastor potestatem habet ducendi oves ad certa loca et ab aliis eas abducendi, sive consentiant oves sive non consentiant; et qui non posset regere oves nisi eo modo quo vel-

lent, minime esset pastor. Item qui est fundamentum alicujus societatis humanæ, potest membra hujus societatis obligare ita, ut in unitatem coalescant et ad finem communem societatis tendant, hocque potest ab eis exigere etiam non libere acceptantibus; et si hoc nequeat exigere qui fundamentum dicitur, et possit tantum proponere quæ facienda sunt, falso fundamenti nomine insignitur; nec magis fundamentum est quam quodlibet aliud membrum, cum possit etiam quodlibet aliud membrum leges quæ sibi aptæ viderentur proponere. Item verba *quodcumque ligaveris*... falsa erunt, si Petri successor volens ligare omnes per suam legem, de facto neminem liget nisi volentem: imo libere acceptantes obligationem, non lege superioris, sed sua potius voluntate ligantur. Ergo prædicti textus omnimo evincunt in Romanis Pontificibus potestatem legibus suis universos Christi fideles, absque cujuscumque acceptatione, ligandi.

Probatur 3° — *Perpetua Ecclesiæ praxi in præcedenti thesi exposita.* — Vidimus enim Romanam Sedem ita leges et præcepta ipsis etiam Episcopis sæpe intimasse, ut renitentes pœnis maximis subjecerit, et tanquam graviter peccantes habuerit. Quam Ecclesiæ Romanæ praxim et persuasionem ut veram et legitimam semper habitam fuisse constat.

Probatur 4° — *Ex conciliis in præcedenti thesi citatis.* — Si enim ex concilio Lateranensi quarto Ecclesia Romana ex institutione divina obtinet super omnes alias *ordinariæ potestatis principatum,* poterit utique legibus absque eorum acceptatione subditos ligare. *Ordinaria* quippe *potestas* est potestas jurisdictionis seu legislativa; et potestas legislativa ut sit *primaria* seu *princeps*, imo ut sit simpliciter legislativa potestas, debet pollere vi obligandi absque obligandorum libera acceptatione. — Item, si ex concilio Lugdunensi II, Ecclesia Romana habet super omnes ecclesias

summum et plenum primatum et principatum cum potestatis plenitudine, si eidem *omnes ecclesiæ sint subjectæ*, et *ipsarum Prælati obedientiam* illi debeant, absonum prorsus est ambigere utrum possit legibus suis subditos absque eorum libera acceptatione ligare. Quam potestatem nisi haberet, falsum esset illi competere *summum* et *plenum principatum;* falsum, illam pollere potestatis *plenitudine ;* falsum, illi *subjectas* a Domino fuisse reliquas ecclesias; falsum, ipsarum Prælatos *illi obedientiam* debere. — Item, si ex concilio Florentino Romanus Pontifex est *totius Ecclesiæ caput, omnium Christianorum pater et doctor,* et ipsi a Christo tradita est *plena potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi et gubernandi*, potest profecto legibus et præceptis suis subditos absque eorum libera acceptatione ligare. Quod si non posset, nedum *plena* esset ipsius potestas, vana prorsus foret et illusoria. — Item nec verum esset istud concilii Tridentini effatum, Romano Pontifici competere *supremam* in universa Ecclesia potestatem. Unde sicut illusisset Petro Christus ipsi dicendo : poteris in universos leges ferre; sed legibus tuis non subjicientur nisi qui voluerint ; ita nobis illusissent concilia *plenam* illam Romani Pontificis totam Ecclesiam *regendi et gubernandi* potestatem asserentia, si intendissent tantum Romanæ cathedræ tribuere leges proponendi facultatem.

Probatur 5° — *Ex ipsa legis essentia.* — Lex enim non dicitur nisi statutum aliquod obligans ; nec essentiam legis habet statutum aut præceptum quodcumque, nisi ex eo quod obligatorium sit. Qui tantum proponere potest legem, sed non conferre illi obligandi vim, legislator non est. *Præceptum,* ait sanctus Augustinus (l. III, de Libero arb., c. 24), *non est ab illo cui præcipitur, sed ab illo qui præcipit.*

Si in quibusdam societatibus civilibus princeps non potest sine consensu alicujus senatus vel totius populi congregati obligatorias ferre leges, inde est, quia non in ipso solo resi-

det potestas legislativa, sed in collectione, id est, in ipso simul et senatu vel toto populo. At vero quando a legislativa potestate (sive illa in uno monarcha resideat, sive in collectione aliqua) lata est lex et sancita, jam non pendet ab acceptatione cujusquam; alioquin non esset lex. Ergo si Papa vere habeat potestatem legislativam, habeat necesse est potestatem obligandi, absque subditorum acceptatione.

Quæ probatio sic contrahi potest : lex omnino pendens a subditorum acceptatione ut obliget, est lex non ligans; atqui lex non ligans non est lex; et repugnat in terminis legem non ligare; ergo repugnat vim legis obligatoriam a subditorum acceptatione pendere.

Objicies : — Certum est et ab omnibus admissum Romanos Pontifices de facto consentire ut aliquæ suæ leges non obligent nisi acceptentur; atqui leges illæ non ideo essentiam legis amittunt; ergo dari possunt leges quæ, vera legis essentia retenta, nihilominus non obligent nisi dependenter a subditorum acceptatione; ergo de essentia legis non est ut absque dicta acceptatione obliget; ergo non valet probatio a legis essentia desumpta. — Respondeo : *Romani Pontifices aliquas leges suas non obligare nisi acceptentur consentiunt,* distinguo : simpliciter et absolute, nego : conditionate, id est, quando alicujus regionis prælati æstimarent pro localium circumstantiarum ratione oritura incommoda si lex urgeretur, subdistinguo : et tunc Romani Pontifices consentiunt vel consentire præsumi possunt tantum ut sibi fiat supplicatio, propositis scilicet rationibus quæ suadent talem regionem a lege esse eximendam, atque interea permittunt suspendi legis obligatoriam vim, concedo : et tunc consentiunt ut, nulla facta ad sanctam Sedem supplicatione et relatione, Prælati legem pro libitu repellant et pro nulla habeant, nego. — *Atqui leges hujusmodi nihilominus essentiam legis retinent,* pariter distinguo : in quantum et quia vere obligant extra casum ori-

turi in aliqua regione ex servata lege incommodi, et insuper in quantum et quia etiam in casu dicti incommodi obligant prælatos ad expediendam supplicationem ut de propositis rationibus sancta Sedes decernat, concedo : servarent essentiam legis, si Romani Pontifices absolute liberum relinquerent subditis ut pro libitu legi pontificiæ sese subjicerent, vel non subjicerent, nego.— Seria scilicet non est istiusmodi objectio, sed inanis cavillatio. Nam in Romano Pontifice præsumi legitime nequit consensus irrationabilis quo totus disciplinæ nervus in universa Ecclesia solveretur, et ipsa legislativa sanctæ Sedis potestas ad nihilum redigeretur. Porro talis esset papalis illa voluntas, vi cujus liberum fieret Prælatis omnibus universales a Sede Apostolica sancitas pro libitu acceptare vel rejicere. Plerumque enim eveniret, pro innata illa propensione, qua inveteratos abusus suos et pravos mores extirpari ægre homines patiuntur, ut maxime necessariæ pontificiæ leges nullibi reciperentur, vel ibi præcipue incassum edicerentur, ubi tota vi urgeri debuissent. Quo posito, in fumum abire *plenam* Romani Pontificis *universam Ecclesiam gubernandi potestatem* nemo non videt.

Quinam ergo consensus in Romano Pontifice præsumi rationabiliter et legitime potest? Non alius profecto quam ille jam expositus : cum nempe contingere possit ut leges quædam universales, accidentaliter in aliqua regione absque nocivis turbationibus urgeri nequeant, ex legitima interpretatione supponi potest summus Pontifex assentire, ut in tali regione lex sua statim non obliget. At summe pariter nocivum et periculosum foret, definitivum et independens judicium de inopportuna legis executione Prælatis loci permitti. Sufficit enim ad præcavenda incommoda (si vera sint et non fictitia), ut suspendatur legis obligatio donec Prælati regionis, expedita ad sanctam Sedem supplicatione, responsum receperint, vel regionem a lege dispensans, vel eamdem legem præcipiens servari, declarata objectarum rationum nullitate. Cum

ergo papalis consensus ita intellectus, ad removenda incommoda, quæ ad destructionem essent, non ad ædificationem, plane sufficiat, legitime præsumi nequit consensus alius latior, qui non tantum inutilis, sed et irrationabilis esset, atque catholicæ rei summe nocivus; quem si revera haberet summus Pontifex, officio suo graviter deesset, reusque in Ecclesiam atque in Deum fieret; quem proinde supponere, nisi expresse de ipso constet, nefas prorsus est atque absurdum.

Posito autem altero illo consensu papali qui legitime præsumi potest, obligatoriam legis vim a subditorum acceptatione proprie et absolute non pendere facile patet. Ex illo enim consensu sequitur tantum dispensatio aliqua ad tempus, interea scilicet, dum supplicationi a locorum Prælatis expeditæ rescribatur. Quo rescripto si firmetur dispensatio, lex utique in illa regione non obligabit; sed hoc ex summi Pontificis judicio et voluntate, non ex eo quod subditi legem non receperint, aut recipere recusent. Unde patet in toto suo robore remanere probationem ex legis essentia desumptam.

6° *Confirmatur facta collatione legis pontificiæ, cum legibus episcopalibus.* — Si statutum aliquod, ab Episcopo pro tota diœcesi sua sancitum, obligare nequiret nisi dependenter a libera parochorum aliorumve inferiorum acceptatione, actum prorsus esset de legislativa Episcopi potestate. Et tamen, si quis parochus pro peculiaribus parochiæ suæ circumstantiis nocivam reputet edicti episcopalis publicationem, bene præsumere potest consentire Episcopum ut lex statim in illa parochia non urgeat; at certe non ita, ut parocho liberum sit, nulla facta Episcopo relatione, legem simpliciter et absolute, atque ex definitivo proprio judicio, rejicere; sed tantum, donec Præsuli rationes proponat. Quas si probaverit Episcopus, utique non urgebit statutum in illa parochia; si vero non probaverit, tenebitur parochus obedire. In neutro autem casu episcopalis statuti vis a parochi acceptatione pendere dici potest.

Unde etiam concludere licet quam infensum sit episcopali auctoritati gallicanum systema. Illo quippe a clericis erga Episcopum in praxim deducto, jam in radice vulnerata prorsus languescat atque corruat necesse est cujusque Episcopi, ovile sibi commissum regendi atque gubernandi potestas. Lethale ergo ferrum auctoritati episcopali subdola manu injiciunt, quicumque eam ad colluctandum cum suprema Christi in terris vicarii juris dicundi potestate blandiendo exstimulant.

7° *Confirmatur facultatis Parisiensis decisione.* — Damnata est ab universitate Parisiensi (*Historia universitatis Pariensiensis,* ad ann. 1521) hæc Lutheri propositio : *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, et quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.* Damnata est autem tanquam *in fide et moribus erronea.* Porro ut certum admitti potest censuram latam fuisse præcipue in denegatam summo Pontifici potestatem legislativam; si enim denegari posset hæc potestas summo Pontifici, a fortiori Episcopo et aliis. Negatio autem potestatis pontificiæ quam ibi exprimit Lutherus, tota et eadem reperitur in hac propositione, *lex pontificia obligare nequit nisi aceptantes;* ergo et hæc propositio damnanda est ut in fide et moribus erronea.

8° *Confirmatur Suaresii auctoritate et ratiociniis.* — « Pontifex potest obligare Ecclesiam ad acceptandum leges canonicas a se latas et sufficienter promulgatas. Idemque est » cum proportione de Episcopis. Prior pars conclusionis mihi » videtur tam certa, ut secundum fidem negari non possit, » ex dictis supra, tractando de potestate legislativa Pontificis, » ubi ostendimus Petro esse datam a Christo Domino supremam potestatem in Ecclesiam, et non alteri; ac subinde habere illam Pontificem successorem Petri immediate ab eodem Christo, a quo illam Petrus habuit, et non » ab Ecclesia. Hinc ergo concludimus, Christum ita dedisse

» hanc potestatem vicario suo, ut per se posset valide et effi-
» caciter operari sine dependentia a consensu populi; ergo
» per illam potest ferre leges habentes efficaciam et valorem
» ad obligandum Ecclesiam ad consentiendam et acceptan-
» dam legem vel præceptum... Alias illa potestas magna ex
» parte esset data populo christiano; quia tunc lex ecclesias-
» tica non haberet vim ut est a Pontifice solo, sed ut ab illo
» simul cum Ecclesia : si enim lex non potest esse lex, nisi
» consentiente populo, profecto populus est conlegislator si-
» mul cum Pontifice, quod absurdissimum dictu est... Chris-
» tus absolute dixit, *Quodcumque ligaveris*, et *Pasce oves*
» *meas;* de populo autem nihil dixit, nec posuit conditionem,
» *si populus acceptaverit*. Est ergo conclusio certa de hac po-
» testate, prout est in summo Pontifice...

» De inferioribus autem non est res ita certa, quia in illis
» potestas est ab ipso Papa, a quo dari potest cum limitatione
» et sub prædicta conditione : nihilominus tamen illa (nempe
» limitatio et conditio) non est admittenda nec præsumenda,
» nisi de illa satis constiterit... In quo etiam est notanda dif-
» ferentia inter Pontificem et inferiores Prælatos, quod nulla
» consuetudo obstare potest, quominus Pontifex habeat dictam
» potestatem; quia consuetudo non potest prævalere contra
» jus divinum : respectu autem inferiorum, ubi esset consue-
» tudo contraria, multum valeret; quia in his quæ pendent
» a jure humano, multum potest consuetudo. Unde et juris-
» dictionem augere potest et minuere, quando per hominem
» concedi potest. » (*De Legibus*, l. IV, c. 16, n° 2.)

9° *Confirmatur concordato cum Gallia anno* 1801 *inito.* — Constitutio pontificia novam statuens ecclesiarum Galliæ circumscriptionem, monet hanc circumscriptionem valituram, etiamsi Episcopi consensum denegent; quem consensum de facto denegarunt primum 36, postea 4 tantum; qui autem noluerunt consentire, ut schismatici habiti sunt. Unde Gallicani systematis patroni debent etiam, ut sibi non

contradicant, sustinere schisma illud quod *parvulæ ecclesiæ* nomine designari solet, minime schisma esse; sed *parvulam ecclesiam* esse e contra solam veram et legitimam ecclesiam. Quatuor enim Galliæ Episcopi, a quibus schisma istud incœpit, nunquam acceptarunt legem Pianam, qua eorum ecclesiæ supprimebantur et extinguebantur; et juxta Gallicanum systema ipsis non acceptare liberum fuit, utpote ad quos pertinebat judicare de Pontificii decreti pro suis diœcesibus opportunitate. Ergo, juxta dictum systema, in iis quatuor diœcesibus nec viguit nec viget lex Pii VII; ergo intrusi, et non legitimi fuere et sunt substituti à sancta Sede in iisdem diœcesibus pastores. En ad quæ errorum monstra deducat illud Gallicani systematis principium, *non obligare posse leges pontificias, nisi ab Episcopis acceptentur.*

CAPUT III.

POTEST, SI VELIT, ROMANUS PONTIFEX LEGIBUS SUIS UNIVERSOS LIGARE ABSQUE EPISCOPORUM ACCEPTATIONE.

Probatum generaliter est, in præcedenti capite non requiri cujusquam acceptationem, ut leges pontificiæ obligent, si ita Papa velit; et hoc ipso probatum remanet, nec requiri acceptationem Episcoporum. At vero in adstruendo hoc systemate de necessaria Episcoporum acceptatione, totis viribus adlaboraverunt quotquot sanctæ Romanæ Sedis divinam auctoritatem labefactare aggressi sunt; ned adhuc integre eradicatum est hujus pravæ doctrinæ schismatiferum germen; ita quod nostris etiam temporibus quidam qui se catholice sentire arbitrantur et cupiunt, non parum hujus veneni ex Febroniano et Quesnelliano fonte in sua scripta transfuderint. Non ergo abs re erit, istam de necessitate acceptationis ab Episcopis doctrinam, licet in præcedenti articulo generalibus

rationibus sufficienter explosam, iterum hic speciali probationum applicatione falsam ostendere.

ARGUMENTUM I. — *Ex applicatione textuum sacræ Scripturæ supra allatorum.* — « Nusquam invenias (ait Zaccaria, » *Antifebronius vindicatus*, t. III, diss. 6, c. 3, p. 67, edit. » Cæsenæ, 1771) a Christo vim ligandi fuisse Petro ejusque » successoribus traditam ea conditione ut Episcopi adsentiren- » tur. Petro privilegium Christus dedit confirmandorum fra- » trum; at ubi primatum ei promittens, *quodcumque*, inquit, » *ligaveris super terram*, etc., non addidit, *si tamen fratres* » *consentiant*. At recte quidem : alias Petrus illiusque succes- » sores non ligarent ipsi per se, nisi eorum subditi suo legem » consensu suscipientes ligari se sinerent; quod esset vim » legum et potestatem Petro ac summis Pontificibus adi- » mere, atque in subditorum acceptationem et consensum » transferre, seu potius de medio tollere. »

ARGUMENTUM II. — *Ex applicatione definitionum in conciliis œcumenicis editarum.* — Vidimus supra (capite I, articulo 3) concilium Constantinopolitanum generale VIII, reprobare *non consentientes Sedi Apostolicæ*. Sed Episcopi contendentes sibi competere jus non acceptandi legem aliquam pontificiam, dum summus Pontifex declararet eos ad acceptandam et servandam obligari, profecto non essent *consentientes Sedi Apostolicæ;* ergo reprobantur ab octava generali synodo. Præterea eadem synodus agnovit Papæ exclusive competere jus dispensandi in canonibus, seu leges Ecclesiæ disciplinares relaxandi : sed si possent Episcopi leges ecclesiasticas integre rejicere, possent a fortiori illas non nisi cum relaxatione, id est, ex parte acceptare; et ut leges non obligarent nisi cum relaxatione non indigerent recursu ad summum Pontificem. Posset nimirum quilibet Episcopus dicere : istam legem pro mea diœcesi ego jam non accepto, vel non accepto nisi cum tali modificatione. Ergo cum non possint Episcopi dispensare in canonibus nec eos

relaxare, a fortiori nequeunt vim legis pontificiam per non-acceptationem irritare.

Item concilium generale Lateranense IV declarat Romanam Ecclesiam ex institutione divina habere *potestatis ordinariæ super omnes alias principatum*, et illam esse *matrem et magistram* universorum Christi fidelium. Sed dato quod Episcopi possint leges Romanæ Sedis non acceptare, falsum erit, huic Sedi competere *potestatem ordinariam;* potestas enim ordinaria jurisdictionalis est, seu obligare potest subditos per sua præcepta et leges. Viderint Episcopi an posset dici ordinaria ipsorum potestas in diœcesanos, si nullum parochum, clericum et laïcum possent obligare, nisi obligationem libere acceptaret. Viderint an potestatem *paternam* vere habeat, qui familiam suam non potest regere nisi eo modo, quo ipsa voluerit, nec præceptum ullum valide imponere filiis, nisi filii permittant se per præceptum paternum obligari.

Item concilium generale Lugdunense II agnoscit in Romana Ecclesia *: summum et plenum primatum et principatum, cum potestatis plenitudine super universam Ecclesiam catholicam.* At vero si Episcopi possint non acceptando irrita facere præcepta quæcumque et leges Romanæ Ecclesiæ, apertissimum mendacium erit qui ei adscribitur *summus et plenus principatus cum potestatis plenitudine :* mendacium item quod additur, *et eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ, et ipsarum Prælati obedientiam et reverentiam illi præstant.*

Item concilium Florentinum œcumenicum definivit Romani Pontificis *plenam potestatem universalem Ecclesiam pascendi, regendi et gubernandi.* At dato quod istius pastoris, rectoris et gubernatoris præcepta et leges valeant Episcopi non acceptando annullare, falsum prorsus est eum accepisse a Christo *plenam gubernandi potestatem.* Non plenam, sed illusoriam et nullam accepisset.

Item mendacium esset concilii Tridentini effatum de

suprema Pontificis maximi in universa Ecclesia potestate.

ARGUMENTUM III. — *Ex monumentis traditionis.* — Quædam tantum seligemus.

Siricius Papa, anno 385, quædam decreta mittens ad Himerium, cum mandato ut *in omnium coepiscoporum perferri faceret notionem,* sic ait : *Quatenus et quæ a nobis non inconsulte, sed provide sub nimia cautela et deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, et omnibus in posterum excusationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obstruatur* (Coustant, *Epistolæ Rom. Pontificum,* col. 638). Si ad omnes Episcopos ideo vult mitti ista decreta, *ut intemerata permaneant,* profecto vult mitti ut obligent et observentur, non autem, ut Episcopi pro arbitrio acceptent vel rejiciant. Item ideo vult ista decreta Episcopis notificari, *ut omnibus excusationibus aditus obstruatur.* Ergo vult illa decreta non posse eludi sub quacumque excusatione aut prætextu; ergo nec sub illo prætextu quod Episcopi jus habeant non acceptandi.

Zozimus Papa Hesychio Salonitano Episcopo decreta quædam de ordinatione laïcorum et monachorum mittens : *Quæ in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum qui in ea provincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuæ provinciis adjunguntur. Sciat autem quisquis hac postposita Patrum et Apostolicæ Sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune tentari* (Coustant, col. 970). Ergo Zozimus ita vult sua decreta obligare, ut quisquis illa observare noluerit, sciat ipsi pœnam depositionis imminere. Ergo a Zozimo Papa Episcopi sustinentes sibi jus competere non acceptandi leges pontificias, depositionis pœna digni habebantur.

Sanctus Leo Magnus Nicetæ Aquileiensi Episcopo quædam decreta mittens : *Hanc autem epistolam nostram, quam ad*

consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et comprovinciales tuos Episcopos facies pervenire, ut in omnium observantia data prosit auctoritas. (Epist. 159, edit. Ball., col. 1335.) Ergo sanctus Leo volebat suam decretalem prodesse *per observantiam omnium;* ergo non relinquebat libero Episcoporum arbitrio illam decretalem acceptare aut rejicere.

Sanctus Gregorius Magnus Bonifacio, Rhegiensi Episcopo: *Nec illam definitionem nostram cujusquam sinas contumacia aut temeritate corrumpi, quatenus dum prædicta omnia per te fuerint conservata districtissime, nec admonitionis nostræ sicut et credimus transgressor existas, nec in quolibet reum te remissionis adcuset pastoralis tibi commissus ordo regiminis.*

Idem Papa ad Januarium, Calaritanum episcopum : *Fraternitas igitur tua ita in cunctis prædictis capitulis* (erant hæc capitula de disciplina) *se solerter impendat, ut nec nostræ admonitionis seriem inveniatur fuisse transgressa, nec divini rea judicii de minori zelo pastoralis existat officii.* (Apud *Antifebronium Vindicatum,* dissert. 6, c. 3, p. 70, edit. Cæsenæ, 1771.) Ergo Gregorius Magnus tanquam *transgressores* habuisset illos Episcopos, si decretis suis non paruissent; et illis injungebat *districtissime* observationem suarum legum; ergo minime suspicabatur illis liberum esse leges pontificias non acceptare.

Felix III, anno 498, postquam statuit quid agendum esset de his qui iterum baptizati ad Catholicam Ecclesiam reverterentur, addit : *His itaque rite dispositis et ad ecclesiarum vestrarum notitiam nostra deliberatione perlatis, parere vos convenit: quibus* (nempe decretis) *licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui novi aliquid et quod præterire nos potuit, fuerit revelatum... fidenter insinuet;... nec nos pigebit audire, et si quæ sunt omissa, non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare.* (Concil. Harduini, t. II, col. 834.) Ergo Felix III, licet facultatem faciat Episcopis

ipsi insinuandi quæ forte omissa fuissent in sua decretali, tamen ea quæ sancita erant omnino servari jubet : *Parere vos convenit ;* ergo minime supponebat liberum esse Episcopis leges pontificias non acceptare.

Cæsarius, Arelatensis Episcopus, anno 502, loquens nomine gallicanorum Episcoporum, sic in libello ad Symmachum Papam directo aiebat : *Sicut a persona beati Petri Apostoli episcopatus sumit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis ecclesiis quid observare debeant evidenter ostendat.* Si Galliarum Præsules putassent leges pontificias irritari posse per non-acceptationem Episcoporum, et ad Episcopos pertinere judicium de disciplina tenenda, an serio potuissent summo Pontifici dicere : Necesse est ut disciplinam a singulis ecclesiis tenendam tu determines, et ut evidens sit quæ sit disciplina tenenda, tu loqui et decidere debes? Hic enim est sensus allatorum verborum, nec in alium flecti possunt.

Testis etiam sit catholicæ doctrinæ sanctus Ivo Carnotensis, eximius ille antiquæ ecclesiæ Gallicanæ splendor : *Hujus* (Apostolicæ Sedis) *judiciis et constitutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* (Apud *Antifebronium*, t. III, diss. 6, c. 3.)

Ipse Hincmarus Rhemensis, licet tot in se Romanæ Sedis querelas de insincera obedientia concitaverit, dictitabat : *Apostolicæ Sedis decretis in omnibus parere desidero.* (Epist. 26, edit. Sirmondi.)

Argumentum ex ratione theologica. — Zalwein, qui necessariam propugnat acceptationem Episcoporum, sedulo advertit, minime tamen necessarium esse acceptari legem a subditis : « His enim, inquit, si libertatem relinquamus » leges acceptandi vel non acceptandi, sæpe illudent impe- » rantibus et saluberrimas leges elident. » (*Principia juris eccles.*, t. I, p. 393.) « Verumenimvero, ait Zaccaria, licet » Episcopi Ecclesiæ principes sint, gregisque pastores..., cum

» Romano tamen Pontifice, cui obedientiam præstito sacra-
» mento obligarunt, collati, an non subditi sint, ovesque
» gregis universi quem Christus Petri curæ concredidit ? »
(*Antifebronius Vindicatus*, t. III, p. 66, edit. Cæsenæ, 1771.)

Objicies. — Saltem sub 14 sæculi finem introductus est mos apud aliquas gentes, ut non ante Pontificum Romanorum constitutiones vim haberent, quam de illis Episcopi cognovissent. — Respondet Zaccaria : « Hoc schismatis ne-
» cessitas extorsit, nec sine ipsorum Pontificum facultate id
» ausi Episcopi fuere. Docet id Martini V in Constantiensi
» concilio edita constitutio : *Sane dudum in exordiis pestiferi*
» *et antiquati schismatis jam per Dei gratiam extincti, ad tol-*
» *lenda scandala, quæ propter executionem diversarum litte-*
» *rarum, quæ ab iis qui pro Romanis Pontificibus in diversis*
» *obedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, Ur-*
» *banus VI in sua obedientia nuncupatus concesserat quibus-*
» *dam Prælatis, quod in eorum civitatibus et diœcesibus non*
» *posset fieri executio aliquarum litterarum Apostolicarum,*
» *nisi prius hujusmodi Prælatis ipsis, vel eorum officialibus*
» *ad hoc deputatis exhiberentur, et per ipsos approbatæ fuerint.*
» Ad hoc deinde exemplum, anno 1493, Alexander VI, Fer-
» dinando V Catholico Hispaniarum regi, et Isabellæ, re-
» ginæ concessit, ut, cum falsas quasdam indulgentias apud
» Hispanos, turpis quæstus gratia, evulgari contigisset, nulla
» deinceps indulgentiarum largitio apostolica promulgaretur,
» quæ non antea a locorum Ordinariis, Apostolico nuntio, ac
» majore regis Capellano visa et ab omni suspicione immunis
» comprobata fuisset. Cæterum cum Toletanus Archiepiscopus,
» Novæque Carthaginis Episcopus, fraudum occupandarum
» obtentu, ne apostolicas litteras non antea ab ipsis eorumque
» successoribus probatas notarii adciperent in synodalibus
» constitutionibus cavissent, Leo X anno 1518, bulla *In su-*
» *premo*, illas constitutiones damnavit, præcepitque ut *judi-*
» *dices et executores in litteris apostolicis pro tempore deputati*

» *ac notarii et tabelliones super his requisiti, litteras ipsas apos-*
» *tolicas sine alicujus personæ, cujuscumque ecclesiasticæ vel*
» *mundanæ dignitatis fuerint, licentia vel consensu, exequi*
» *possint et debeant.* »

Nota. Non requiri acceptationem cleri secundi ordinis, sequitur a fortiori ex dictis de Episcopis. Sed insuper idem sequitur ex bulla *Auctorem fidei,* quæ sic habet sub numeris 9 et 11 propositionum damnatarum synodi Pistoriensis : « Doctrina quæ statuit reformationem abusuum circa ec-
» clesiasticam disciplinam in synodis diœcesanis ab Episcopo
» et parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere; ac sine
» libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestio-
» nibus et jussionibus Episcoporum—falsa, temeraria, episco-
» palis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva,
» favens hæresi Aerianæ, a Calvino innovatæ.

» Sententia enuntians, veteri majorum instituto, ab apos-
» tolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula
» servato, receptum fuisse, ut decreta, aut definitiones, aut
» sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi
» recognitæ fuissent et approbatæ a synodo diœcesana, —
» falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ
» debitæ constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hie-
» rarchia superiore legitima potestate manantibus, schisma
» fovens et hæresim. »

Ergo certum est, constitutiones apostolicas non indigere recognitione et acceptatione cleri secundi ordinis; et eo magis certum, quo certum etiam est, episcopalia statuta obligandi vim habere absque ejusmodi cleri secundi ordinis acceptatione.

CAPUT IV.

OBLIGANT LEGES PONTIFICIÆ ABSQUE PRINCIPIS SÆCULARIS ACCEPTATIONE AUT PLACITO, NISI LIBERE ALITER CONCESSERIT PAPA.

Hæc etiam thesis sufficienter jam probata remanet generalibus rationibus capite secundo supra expositis. Sed cum heterodoxi recentiorum temporum toti sint in adstruendo et principibus vindicando hoc *placiti* jure, et multi gallicanæ opinionis defensores non satis in hac quæstione ab aperte errantibus recesserint, utile duximus, speciali confutatione explodere systema illud a Febronio, Van Espen, aliisque acriter propugnatum, quo tota evertitur Romani Pontificis, conciliorum, Ecclesiæ denique ipsius legislativa potestas.

§ I.

Vera placiti regii origo, et historia.

Stokmans, in suo tractatu de jure Belgarum, circa bullas Pontificum (p. 167) asserit, placitum regium *ab omni memoria* in usu fuisse. Sed auctor ille, a Febronio summis laudibus exornatus, et ab Innocentio X (decreto diei 23 aprilis anni 1654), et antea jam ab inquisitoribus Matriti, condemnatus, tantam antiquitatem placitorum regiorum consuetudini tribuendo, plane mentitus est. Vetustior non est ille usus quam schisma Occidentis, quod ab Urbano VI usque ad concilium Constantiense perduravit. Tempore scilicet illius schismatis circumferabantur constitutiones a tribus de papatu contendentibus editæ, et in tanta rerum perturbatione du-

bium erat an essent veri Pontificis, immo an essent illius, cui tribuebantur. Tunc opportunum Urbano VI visum est, ut antequam executioni demandarentur constitutiones suæ apostolicæ, Episcopi judicarent an authenticæ forent et a vero Pontifice profectæ; quam ea de causa facultatem Episcopis fecisse, testatur constitutio Martini V superiori capite relata. Simul vero principes, ne populi deciperentur a pseudopontifice et falsis bullis, voluerunt et ipsi decreta sub nomine Romani Pontificis in varias provincias perlata recognoscere, et prohibuerunt ea absque consensu sive placito suo publicari. Et hanc, non vero antiquiorem originem habent placita regia, decretis pontificiis publicandis apposita.

Pater Zaccaria, vir, ut omnes sciunt, eruditionis præstantissimæ, ita certam habet recentem hanc placiti regii originem, ut non dubitet contrarium sentientes sic provocare : « Indicent Febronius, Stokmansius, Van Espenius, et si qui sunt » id genus alii regiæ dignitatis assentatores, vel unum ex tot » imperatoribus principibusque, rerum ante illud schisma » potitis, qui apostolicas litteras suo ut evulgarentur consensu » indigere contenderit. » (*Antifebronius Vindicatus*), diss. 12, c. 2, n. 3. — T. IV, p. 344, edit. Cæsenæ.) Nedum citari possit antiquius placiti regii exemplum, illud placitum in nullis retro sæculis usurpatum fuisse monumenta historica invicte probant.

« Quæ lex, ait laudatus Zaccaria (citato loco), aut rei de » qua agebatur natura, aut tumultuum qui inde timeri po- » terant causa, cum reipublicæ statu conjunctior, quam » Siriciana illa, qua majores clerici ab uxoribus abstinere » jubebantur, *ab omni ecclesiastico honore*, ni parerent, *Apos- » tolicæ Sedis auctoritate dejecti*, atque a *venerandis adtrec- » tandis mysteriis* perpetuo prohibiti ? Neque tamen cuiquam » in mentem venit, principis, ut ea promulgaretur, expec- » tandum assensum. Idem de cæteris Pontificum et conci- » liorum legibus dicas, quæ ad Urbanum VI prodierunt.

» Sed quod gravius est, in magnis illis quæ a nono sæculo
» ad quartidecimi initia, Romanis Pontificibus cum impe-
» ratoribus regibusque fuere dissidiis, apostolicas in hos
» constitutiones in ipso eorum imperio regnisque promulga-
» tas novimus, quin de regio placito ad illas infirmandas
» cogitaretur. Philippus quidem Pulcher in maxima illa
» cum Bonifacio VIII controversia, cavit ne ullæ ejus Ponti-
» ficis litteræ in regnum deveherentur, *custodibus ubique*
» *appositis,* ut in Spondani annalibus legimus; non autem
» promulgari illas in Galliis absque suo assensu non posse
» edixit. Idem anno 1164 cum Alexandro III gesserat Henri-
» cus Angliæ rex; non enim illius litteras nullius futuras
» roboris, nisi sibi aut proceribus suis probarentur, arbitra-
» tus est, sed *sævissima,* ut idem Spondanus ait, *edicta per*
» *omnes sibi subjectas provincias promulgavit, nempe ut omnes*
» *portus diligentissime custodirentur, ne litteræ interdictionis*
» *summi Pontificis.... in Angliam deferrentur.* Quanto facilius,
» regio negato assensu, pontificias constitutiones eludere
» reges ii potuissent! »

Ergo hæc duo certa sunt, 1° placitum regium in usu non fuisse ante magnum schisma Occidentis; 2° tunc ideo tantum adhibitum fuisse, consentiente Urbano VI, ne falsis et falsorum Paparum bullis deciperentur populi; non autem quod principes sibi jus vindicarent de authenticis et certi Pontificis Romani decretis judicandi, aut ea, negato assensu, irritandi. Hoc modo in Lusitania cœperunt regio placito subjici bullæ et litteræ quæcumque pontificiæ, teste Garcia de Resinde (in suo *Chronico* Joannis regis, cap. 64) : *Quas, examine facto, inveniebat esse veras et directe expeditas cancellarius major, has sinebat publicari et ad executionem deduci.*

Exstincto autem schismate, hanc facultatem de constitutionibus cognoscendi, ab Urbano VI concessam, Martinus V sustulit, et factus paulatim ad antiquam consuetudinem reditus. Ipse Galliarum rex Carolus VII (Fevret, *Traité de*

l'abus, l. I, c. IV), edicto sanxit ut Romano Pontifici deinceps liceret sua uti potestate, *tam in beneficiorum collatione, quam in jurisdictionis apostolicæ executione, modo et forma quibus felicis memoriæ Clementis VII et Benedicti XIII temporibus usus fuerat, et aliis quibuscumque usibus et mandatis.*

Hispanis nullum fuisse ante annum 1493 placiti regii usum, probat postulatio Ferdinandi V et Isabellæ ad Papam Alexandrum VI directa, qua obtinuerunt, ad præcavendam falsarum indulgentiarum in regno suo publicationem, ne deinceps publicari possent concessiones pontificiæ indulgentiarum nisi prius a gubernio recognita litterarum pontificiarum authenticitate. Si enim putasset Ferdinandus V, sibi jus competere decretorum omnium pontificiorum publicationem impediendi, priusquam a se fuissent visa et approbata, non postulasset supradictam facultatem quoad decreta de indulgentiis, nec utendo hac facultate apposuisset clausulam, *vi Alexandrinæ constitutionis.*

Fatendum est Lusitanos consuetudinem placiti, schismatis tempore introductam, obstinate retinere voluisse. Sed fortiter obstitit Innocentius VIII atque abusum sustulit. En Pontificis illius verba : « Joanni Portugalliæ Regi illustri. In-
» nocentius, etc... Olim felicis recordationis Sixtus Papa IV...
» Celsitudinem tuam monuit ut revocaret quædam statuta,
» quibus nonnulli reges Portugalliæ jamdudum contra liber-
» tatem ecclesiasticam usi fuerant, ipsaque Celsitudo tua
» tunc utebatur. (Narrat postea Pontifex quomodo rex dis-
» tulisset illorum statutorum revocationem, et addit :)
» Doluimus profecto pro gravitate rei, pro conscientia tua,
» pro expectatione nostra : doluit ipsum quoque sacrum
» Romanorum Cardinalium collegium. Neque potuimus
» (credat nobis Majestas tua) sine difficultate ipsum colle-
» gium adducere ut differremus in re tam aperta contra
» ecclesiasticam libertatem pro hujus sanctæ Sedis ac nostro
» honore providere... Neque possumus, fili carissime, satis

» mirari, quod reges Portugalliæ, quorum plurima extant » pro fide Christi egregie gesta, qui inter alios Catholici » appellari volunt, non formident censuras ac pœnas in » bulla, quæ *In cœna Domini*, in eos qui talia audent, pu- » blice, ne quis ignorantiam prætendere possit, legi consue- » vit, contentas... Hortamur Serenitatem tuam.... monemus » atque requirimus (jam enim non dolemus solum, sed » compatimur tot afflictis qui ad nos clamant, quod litteræ » apostolicæ in cancellaria tua retinentur), districteque... in » virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut sta- » tutum illud quo continetur : Ne quis tabellio aut notarius » etiam apostolicus cuique judici aut personæ ullas litteras » apostolicas publicare, intimare aut præsentare, nisi primo » impetrata a tua Celsitudine licentia, audeat; aliud præter- » ea cujus vigore officiales tui litteras, quas vulgo *tuitivas* » appellant, in causis beneficialibus concedere, ac de dictis » causis se intromittere præsumunt; revocet, casset, irritet » et annullet... Datum Romæ die 3 februarii 1486. » Huic urgenti monitioni et injunctioni paruit Portugalliæ Rex Joannes II, quod sic testatur Garcia de Resende : *Ut obediret summo Pontifici tanquam princeps catholicus et ei complaceret, fecit omnia quæ ab ipso postulata fuerant.... Et ab eo tempore usque nunc, ita factum est* (1).

Sed quod schismatis causa cœptum, postea sublatum fuerat, iterum politicorum artibus, favente jam protestantismo, est revocatum. Sic Zalwein : « Hortamur catholicos » ut hunc auctorem (Van Espen) caute legant, qui sane » excessivus est in extensione hujus *placiti regii*, et jure op- » timo illis scriptoribus adnumerari meretur, qui.... inte- » resse politicum etiam imaginarium ante oculos habent, » atque hac ratione potestatem ecclesiasticam ferme ad inci-

(1) Loco supra citato, et apud Antifebron. Vindic., diss. 12, c. 2, n. 3, t. IV. p. 349, edit. Cæsenæ, 1771.

» tas redigunt; e contra politicam ultra suos fines quam
» longissime extendunt (*Principia juris eccl.*, t. I, p. 105). —
» Fœtus politicorum est istud placitum regium, qui adulandi,
» placendi, atque jurisdictionis et propriæ et suorum prin-
» cipalium ampliandæ studio, et fortassis occulto livore,
» invidia et odio, quo in auctoritatem ecclesiasticam ferun-
» tur, nescio quæ pericula, præjudicia et damna bono pu-
» blico metuenda fingunt, et suis principibus sub speciosis-
» simis rationibus ante oculos ponunt. » (Ibid., p. 379.)

Lugendam autem illam potestatis sæcularis tyrannidem, atque in jura Ecclesiæ invasionem, non tantum legitimam propugnat Van Espen, sed pro suo audacter mentiendi more, affirmat multo longius processisse quam revera processit. Ei nempe si credas (et multi adhuc in Galliis ejus mendaciis summa simplicitate credunt), juxta receptum ab antiquo usum, et in Belgio et in Gallia et alibi, jus placiti regii ad decreta etiam dogmatica, et libros pravos damnantia, extensum est. Quod et fieri debere ipse sustinet. Ostendamus pro Belgio tantum, brevitatis causa, hujus assertionis falsitatem. Ita Zypœus auctor Belga (*Analysis juris pont.*, l. I. — Apud *Antifebronium Vind.*, diss. 12, c. 4, n. 5) : « Profecto si res
» ut se habet examinetur, ad nullius constitutionis legisve
» ecclesiasticæ promulgationem placito principis opus esse
» judicabit, qui non ex præjudicata aliqua opinione, sed ex
» vero statuere volet : nulla enim edicta (loquitur de edictis
» potestatis sæcularis in Belgio) id mandant quoad leges
» constitutionesve apostolicas, *sed quoad rescripta tantum*
» *privatis data, eaque non omnia, sed beneficialia tantum.*
» Quæ enim reperiuntur in libro edictorum sub rubrica
» *De causa beneficiali*, omnia... sonant de provisionibus be-
» neficialibus. — At vero, non nemo dicet, usus habet ut
» placitum pro quocumque diplomate petatur. — Jam in
» principio dixi, me seponere præjudicatum hunc, si non
» errorem, at opinionem; et disputare, an edictum aliquod

» sit quod hunc usum firmet; et non esse demonstravi. Sed » quod plerique qui Roma aliquid accipiunt, placitum petant, » fit quia ad nomen fisci et minas ingentium mulctarum » omnes privatim abhorrent.... » Ergo in Belgio ex nulla civili lege, ex nullo edicto requirebatur placitum regium, nisi pro rescriptis ad privatos, et tantum pro rescriptis beneficia concernentibus.

Peckius, Belga et ipse, et olim in magno Belgii consilio consiliarius, sic habet de placito regio : « Quam consuetu- » dinem et multas alias ejusdem farinæ, non posse jure satis » defendi puto, ut quæ libertati ecclesiasticæ plurimum ad- » versantur, et proinde non valent apud justos et catholicos » judices qui timorem Domini habent, licet forte valeant » apud eos apud quos quidquid lubet licet, et qui Ecclesiam » oderunt, eamque principibus sæcularibus libenter in om- » nibus subjicerent, confusionem passuri in magno illo die, » cum ad judicandum eos veniet cujus sponsam hi contem- » pserunt et injuria affecerunt. » (Apud *Antifebr. Vind.* loco citato). De eodem ex professo sic disserit Eustachius Jansenius in secunda sua ad Erkelium epistola (cap. 17, p. 274, edit. Coloniæ, 1713) : « Imploratum est aliquando auxilium » brachii sæcularis ad coercendos refractarios bullarum » dogmaticarum, sed non requisitum placetum ad earum » promulgationem. Ita Morillonius ad cardinalem Granvel- » lanum scripsit 21 dec. 1567, agens de bulla Pii V contra » Baium : *J'en ai parlé à M. de Saint-Bavon, afin qu'il soit » prévenu, si d'aventure opus esset brachio, n'étant autrement » besoin, in iis quæ sunt justitiæ, d'aucun placet.* — Episcopus » Tornacensis 7 jan. 1658 ad internuntium ita scripsit : » *Decreta sacræ congregationis spectantia ad librorum pro- » hibitionem semper fuisse continuo publicata et in lucem » edita, nunquam viso placito regio.* — Archiepiscopus Ca- » meracensis 9 oct. 1643 : *Decretum Sedis Apostolicæ quo » errores D. Michaelis Bay olim condemnati sunt, fuit sine*

» *litteris placiti regii publicatum.* — Engelbertus Episcopus
» Namurcencis, anno 1643, 8 octobris, hæc ad internuntium
» scripsit : *Ad hanc diem semper vidi libere publicari bullas*
» *absque placeto, quæ apostolicas beneficiorum provisiones*
» *non concernunt. Non capio, quî nonnulli velint vel possint*
» *sustinere opus esse placito pro publicatione bullarum quæ*
» *mere dogmatica fidei continent, quas certum est hactenus in-*
» *discriminatim et sine contradictione fuisse per totum Belgium*
» *publicatas et receptas, uti fuere Piana et Gregoriana de qui-*
» *bus est sermo.* — Archidiaconus Namurcensis, 26 julii 1658 :
» *La bulle contre Jansenius a icy été publiée avant aucun pla-*
» *cet.* — Antonius Priest Episcopus Gandavensis 1653, ad
» Leopoldum archiducem scripsit : *Le placet ne doit avoir*
» *lieu, sinon ès provisions bénéficiales.* — Rex Philippus IV ad
» Marchionem de Caracena, tum Belgii præfectum, rescrip-
» sit his verbis : *Mon cousin : ayant veu votre lettre du*
» *3 d'avril dernièrement passé, responsive à la mienne du 1 fé-*
» *vrier antécédant, sur les plaintes du Nonce de sa Sainteté*
» *concernant la publication d'un édict, prohibitif de certains*
» *écrits..., avec les deux consultes des conseils privé et de Bra-*
» *bant jointes à votre lettre, et le tout bien considéré, attendu*
» *même que la matière dont il s'agit est purement dogmatique,*
» *n'étant les placets requis qu'en matière bénéficiale et liti-*
» *gieuse entre les partis, etc. Madrid le 13 de juin 1659.* »
Ergo non vigebat in Belgio usus placiti nisi quoad rescripta ad privatos et de materia beneficiali ; ergo affirmando hunc usum circa bullas quascumque etiam dogmaticas, egregie mentitus est Van Espen : utinam in hac materia tantum !

§ II.

Falsum est requiri placitum regium, seu potestatis sæcularis acceptationem.

Nam ex concilio Florentino supra citato data est a Christo Romanis Pontificibus *plena potestas* universos Christi fideles *pascendi, regendi et gubernandi*. Ergo dogma catholicum est principes ipsos reliquosve laïcos christianos subjici plenæ potestati gubernativæ Romani Pontificis, in ordine ad finem Ecclesiæ proprium. Sed non subjicerentur, si possent præcepta sive leges ecclesiasticas a Romana Sede latas non acceptare et irritas efficere; ergo vis legum pontificiarum non pendet ab acceptatione regum nec laicorum quorumcumque, nisi forte ipse Romanus Pontifex ita libere consenserit.

Dogma autem istud, principes civiles et laïcos omnes subjici legibus ecclesiasticis, et ad eos non pertinere de legibus illis judicare aut earum vim impedire posse, tota confirmat ecclesiastica traditio, cujus hic nonnulla tantum testimonia describimus.

Athanasius : *Sit istud judicium Episcoporum : quid commune cum eo habet imperator ?* (Apol. 2.)

Osius Cordubensis : *Quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita et tu cave ne, si quæ sunt Ecclesiæ ad te trahas, magno crimini obnoxius fias... Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum et sacrorum potestatem habes, imperator.* (Apud Athan. epist. ad solit.)

Lucifer Calaritanus : *Proba te* (ad imperatorem loquitur) *super nos factum judicem... Cum probare non possis, quia præceptum sit tibi, non solum non dominari Episcopis, sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori jussus*

sis; quomodo dicere poteris, judicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, jam quantum apud Deum mortis pœna fueris mulctatus? (Lib. I, pro Athan.)

Felix Papa III, ad Zenonem imperatorem : *Certum est hoc rebus vestris esse salutare, ut cum in causis Dei agitur, juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre; et sacrosancta per eorum Præsules discere potius quam docere; Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere; neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla submittere.* (Epist. 9, ad Zenonem imp.)

Imperator Valentinianus senior rogantibus ut synodum cogeret, respondit : *Mihi inter laïcos constituto, non fas est de talibus statuere; sed sacerdotes ad quos de hoc pertinet per seipsos ubi voluerint coeant.* (Sozom., Hist. eccl., lib. VI, c. 7.)

S. Ambrosius : « Augustæ memoriæ pater tuus non solum » sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit : *In causa » fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, » qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis :* hæc enim » verba rescripti sunt; hoc est, sacerdotes, de sacerdotibus » voluit judicare. » (Epist. 13, lib. II, ordo vetus.)

S. Gelasius Papa I : *Nosti etenim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc, ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* (Epist. ad Anast. imper.)

Concilium Chalcedonense (act. 3) : cum Eusebius Episcopus coram concilio accusatus nollet comparere nisi adessent judices imperatoris locum tenentes, declararunt Patres : *quando agitur de causis canonicis, non debere intervenire neque judices neque laïcos ullos.*

Imperator Basilius in octava generali synodo : *Laïco nullatenus cujuscumque sit conditionis licitum esse dico de causis ecclesiasticis judicare, aut universali Ecclesiæ, generalive synodo resistere. Ista autem investigare et discutere, officium est patriarcharum et sacerdotum et doctorum; quibus ligandi atque solvendi potestatem dedit Deus. Laïcus vero quantacumque pietate et sapientia præluceat, nihilominus laïcus tantum est; ovis, et non pastor.*

Capitulare Caroli Magni insertum in concilio Triburiensi, canone 30 : *In memoriam beati Petri Apostoli honoremus Romanam et Apostolicam Sedem; ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis. Quare servanda cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus et pia devotione toleremus.* (Concilia Germaniæ, t. II, p. 400.)

Ergo non requiritur acceptatio regum nec aliorum laïcorum, ut possit Romanus Pontifex, si velit, decretis suis ecclesiasticis fideles obligare.

CAPUT V.

UTRUM GENERALITER VERUM SIT ROMANOS PONTIFICES DE FACTO NOLLE SUAS LEGES ESSE OBLIGATORIAS, NISI ACCEPTENTUR.

§ I.

Sententia tenens quasdam leges pontificias ad disciplinam spectantes, de facto non statim obligare, antequam acceptentur, modo hoc tribuatur liberæ voluntati summi Pontificis, licita est, et sustinetur a multis doctoribus catholicis.

Illam sententiam sustinent Cardenas, Valentia, Tanner, Lessius, Becan, Reginaldus, Sa, Filluccius, Kokier, Homobo-

nus, Navarrus, Miranda, Diana, Azor, Bonacina, quos omnes citat Cardenas in suo tractatu de legibus (*Disput.* 29, c. 3, art. 2, n. 65). Præter istos, quorumdam hic propria Verba adducimus.

Cabassut (*Juris can. theor.*, l. I, c. 4, n° 5, edit. Lugd., 1685, p. 14) : « Etsi vero summorum Pontificum spiritualis » potestas non ab hominibus, sed ab ipso Deo ortum ducat, » ideoque non possit per homines limitari; quia tamen non » præsumuntur hoc absolute velle ut suæ constitutiones » quamprimum subditorum conscientias astringant, ne » contingat ut potestas illis divinitus in animarum salutem » collata vertatur in earumdem perniciem, etc. »

Juenin (*Inst. theol.*, p. 5, diss. 6, quæst. 2, c. 4) : « Quod » novæ leges vim non habeant in provinciis, in quibus non » acceptantur, non oritur ex defectu potestatis in legislatori- » bus, et præsertim in Romano Pontifice, cui in persona » Petri dictum est a Christo *Pasce agnos meos, pasce oves* » *meas*, sed id oritur ex defectu voluntatis : neque enim le- » gislatores ecclesiastici, imprimis Romanus Pontifex..., cen- » sentur velle ut novæ leges a se latæ vim habeant in locis, » in quibus sanior et major fidelium pars judicat provincia- » rum genio, moribus, tempori, non convenire. Confirmatur » illa responsio ex eo quod nova decreta, licet in seipsis op- » tima sint, per accidens tamen, habita nimirum ratione » circumstantiarum, in quibus populi fideles quibusdam in » provinciis versantur, reipublicæ ecclesiasticæ pacem per- » turbare possint, aut saltem Ecclesiis particularibus non » prodesse. »

Cardinalis d'Aguirre (*Auctoritas infallibilis cathedræ S. Petri*, tract. 3, disp. 34, sect. 3, n° 23) : « Quod enim dicatur » Pontificis leges constitutionesve aut canones, non adstrin- » gere ecclesiam aut regnum Galliæ, nisi acceptentur publico » consensu, nec ferri a Pontifice de facto nisi sub ea condi- » tione acceptationis, solum niti potest a pari aut simili, in

» opinione id asserentium de legibus regiis, quam communi-
» ter tuentur jurisconsulti..., colligiturque ex lege *de quibus,*
» ff. *de legibus*, ubi dicitur : *Ipsæ leges nulla alia causa nos*
» *tenent, quam quod populi judicio receptæ sunt.* Eamque sen-
» tentiam multi etiam ex theologis extendunt ad leges ponti-
» ficias, quasi et illæ sub ea conditione tacita acceptationis
» ferantur; saltem ex præsumpta indulgentia aut benigni-
» tate Pontificis, nolentis aliter obligare subditos... Quare si
» illustris Marca hoc solum sensu tuetur libertates ecclesiæ
» gallicanæ (dum eo titulo insignivit opus suum de concor-
» dia sacerdotii et imperii seu de *libertatibus ecclesiæ gallicanæ*)
» potuisset illud pariter inscribere, de libertatibus ecclesiæ
» Hispanicæ, aut Germanicæ, vel Polonicæ, etc. »

Suarez (*De legibus*, l. IV, c. 16, n° 7). Postquam probavit leges pontificias obligare fideles priusquam ab eis acceptentur, et hanc propositionem, *sibi videri de fide,* addit, propter voluntatem summorum Pontificum ita benigne concedentium, de facto non statim obligare illorum decreta nondum acceptata, ideoque posse fieri supplicationem ad summum Pontificem; interea vero nihil agendum contra legem, si commode servari possit lex donec obtineatur responsum; si autem servari commode nequeat, posse ex benigna interpretatione voluntatis pontificiæ declarari legem non obligare; et sic præcaveri omne peccandi periculum: «Licet talis lex (nempe universalis)
» regulariter loquendo non sit disconveniens vel nimis dura
» pro universa Ecclesia, et ideo respectu totius non habeat
» locum supplicatio, nihilominus in uno vel alio regno aut
» provincia posset esse nimis dissentiens a moribus ejus et
» contra consuetudines ejus, quas non solent Pontifices velle
» mutare, nisi id exprimant, sed potius conservare... In tali
» ergo casu ratio postulat ut liceat supplicare Pontificem,
» quia scientia ejus universalis non potest semper extendi ad
» hæc particularia. Et hoc ipsum est a Pontificibus jure statu-
» tum in capite primo, *de constitutionibus, in sexto;* ex quo

» videtur colligi, absque alia supplicatione a lege pontificia,
» ipsam ex vi illius juris ipso facto non obligare in simili
» casu. Nihilominus tamen fieri potest ut casus non sit ita cla-
» rus et certus, quin sit conveniens nova declaratio Pontificis;
» ergo in tali casu licita est supplicatio et juri consentanea...
» Pro tempore quo durat supplicatio, cavendum est omne pe-
» riculum peccati. Unde si fieri potest, ut pro illo tempore
» nihil fiat contra legem Pontificis, curandum omnino est,
» licet ejus executio suspendatur; quia ita magis cavetur
» omne periculum, et eo modo paretur legi quo commode fieri
» potest. Si autem non potest hoc modo suspensio executio-
» nis fieri sine magna rerum mutatione vel periculo alicujus
» scandali, tunc ex benigna interpretatione voluntatis Ponti-
» ficis lex censetur pro tunc non obligare, et tali declara-
» tione prudenter facta, cessat etiam omne periculum pec-
» cati. »

Ex his et aliis auctoritatibus multis quæ allegari possent, constat in scholis catholicis receptam satis esse sententiam illam, quæ tenet leges aliquas pontificias ad disciplinam spectantes non obligare priusquam acceptentur, ob ita annuentem Papæ voluntatem. Sed hoc ipso, et insuper ob rationes quibus fundatur, habenda est ut licita, nec debet illi ulla nota theologica inuri.

Quatenus tamen illa sententia applicatur omnibus omnino legibus pontificiis circa disciplinam, nobis videtur falsa, nec periculo vacans; ideoque certis limitibus restringendam in sequenti paragrapho ostendimus.

§ II.

De quibusdam tantum, non vero de omnibus legibus pontificiis, verum est Papam consentire ut non obligent antequam acceptentur.

« Disciplina ecclesiastica (ait Zaccaria, cujus italica verba » in latinum vertimus), de qua decernere possunt leges pon- » tificiæ, ad duo capita facile reduci queunt : Ad *exteriorem* » nempe gubernationem, cui accensenda sunt negotia eccle- » siastica, modusque et ordo illa tractandi; et ad *interiorem* » quæ cultum divinum sanctificationemque animarum res- » picit, et ad hunc scopum actus externos fidelium ordinat. » Præterea sive in exteriore sive in interiore disciplina, dis- » tinguenda sunt quæ quasi ad *substantiam* ejus, et quæ ad » *modum accidentalem* tantum pertinent. Hoc posito, dicen- » dum est, id quod, sive in exteriori, sive in interiori disci- » plina, ad *substantiam* ejus pertinet, esse prorsus immu- » tabile, eo quod sit a Christo Domino institutum, et non sit » Ecclesiæ potestas ea mutandi, quæ ad substantialem guber- » nationem ecclesiasticam præcepit Christus. Hac de causa » non potest, verbi gratia, ecclesiastica potestas abolere sacro- » sanctum sacrificium, nec mutare materiam aut formam » sacramentorum, etc.

» Hinc quando summus Pontifex aut declarat quæ perti- » neant ad substantiam hujus duplicis gubernationis eccle- » siasticæ, aut resecat abusus in contrarium prave introduc- » tos, manifestatque sibi velle obedientiam omnimodam » præstari, quia tunc nulla existere potest ratio quæ excuset » fidelem quemcumque ab observatione injunctorum, non » existimandus est supremus legislator consentire ut populus » libere acceptet, sed exigere obedientiam censendus est.

» Aliter dicendum est de *accidentalibus* disciplinæ eccle- » siasticæ. Sed hìc etiam varia sunt distinguenda. Et primo

» attendenda est supra dicta differentia exteriorem inter et
» interiorem disciplinam.

» Quæ *exteriorem* gubernationem regulant... facilius pro
» varietate temporum mutari possunt, sicut docet Innocen-
» tius III : *Non debet reprehensibile judicari, si secundum va-*
» *rietatem temporum statuta quoque varientur humana, præ-*
» *sertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit*
» (cap. 8, de Consang. et aff.) Frequentius hujusmodi sta-
» tuta exceptionibus obnoxia sunt, et populorum mori-
» bus legibusque civilibus impediuntur. Hinc leges istæ,
» ad gubernationem externam pertinentes, præsumi pos-
» sunt ita a Romanis Pontificibus conditæ, ut per non-ac-
» ceptationem nihil derogetur auctoritati pontificiæ. Pontifi-
» ces ipsi non semel declararunt se in talibus tolerare varias
» nationum consuetudines. Satis erit citare Alexandrum III,
» qui anno 1180 Ambianensi Episcopo, de matrimonio cujus-
» dam fœminæ cum impotenti viro consulenti, ita rescrip-
» sit : *Licet Romana Ecclesia non consueverit propter talem*
» *infirmitatem vel propter alia maleficia legitime conjunctos*
» *dividere, si tamen consuetudo generalis gallicanæ ecclesiæ*
» *habet ut hujusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter*
» *tolerabimus, si secundum eamdem consuetudinem eidem mu-*
» *lieri cui voluerit nubendi in Domino concesseris facultatem.*

» Ad *interioris* disciplinæ leges deveniamus. Hæ difficilius
» admittunt casus in quibus liceat ab ipsarum obligatione
» sese subtrahere. Ideo quoad istas multo plus requiritur ut
» præsumi possint summi Pontifices nolle obligare nisi ac-
» ceptentur. » Hic P. Zaccaria ex traditionis monumentis os-
tendit Ecclesiam Romanam voluisse obligare, independenter
ab acceptatione, suis circa cultum divinum ejusque uniformi-
tatem legibus. Postea ex similibus monumentis innuit no-
luisse tamen Romanos Pontifices cum obligatione imponere
perfectam uniformitatem in iis, quæ sine evidenti dissensio-
num periculo exigi non potuissent a regionibus diversam

consuetudinem sequentibus. Deinde leges pontificias circa disciplinam interiorem ita subdistinguit :

« Vel introducunt aliquid novi, vel confirmant tantum ve-
» teres consuetudines. Si prius, merito præsumi potest Papam
» velle non obligare, nisi dependenter ab acceptatione, eo
» quod novitate facile conturbari possit aliqua natio.

» Si posterius, videndum est, utrum veteres consuetudines
» quæ lege renovantur, cessaverint per simplicem desuetu-
» dinem, aut per innocentem consuetudinem contrariam,
» aut per abusum culpabilem. Si per simplicem desuetudi-
» nem, aut innocenter introductam contrariam consuetudi-
» nem, cum aliquo fundamento supponi potest Papam nolle
» renitentes cogere ad observandam legem... Si vero consue-
» tudo contraria mala sit, sive per se, sive ratione scandali,
» et multo magis si suspecta sit erroris circa fidem, cum qua
» intimam connexionem habeat, non dubitandum est quin
» Romani Pontifices renovando priscam consuetudinem exi-
» gant sine mora et sine ulla contradictione sibi obedientiam
» præstari. » (*Antifebronio*, diss. 2, c. 8, n. 3, t. II, edit. Cæsenæ, 1771, p. 211.) Huic doctrinæ doctissimi Zaccariæ concordat Benedictus XIV, qui et ipse distinguit inter leges disciplinares summorum Pontificum, et docet eas quæ respiciunt *sacros ritus, cæremonias, sacramenta, clericorum vitam*, inferiorum judicio et censuræ nullo modo subjecta esse debere : « Agitur itaque de constitutionibus ad disciplinam per-
» tinentibus ; at non ad illam quæ sacros respicit ritus, cære-
» monias, sacramenta, clericorum vitam : namque isthæc
» omnia a pontificia pariter auctoritate omnino pendent :
» ideoque Apostolicæ Sedis decreta, quæ circa ea prodire con-
» tingat, inferiorum judicio et censuræ nullo modo subjecta
» esse debent... Sed alia extat ecclesiasticæ disciplinæ pars,
» de qua aliquando a Romanis Pontificibus generaliter sta-
» tuitur. Verum nonnunquam experientia demonstrat ali-
» quod ex hujusmodi generalibus statutis, licet plerisque

» provinciis ac diœcesibus utile atque proficuum, alicui ta-
» men provinciæ aut diœcesi opportunum non esse... In his
» itaque rerum circumstantiis Episcopus..., non modo suas
» Romano Pontifici rationes repræsentare non prohibetur,
» quin potius ad id omnino tenetur. » (*De syn. diœcesana*, l. 9, c. 8.)

Objiciet forte quis, ex regula tum a Benedicto XIV, tum a Zaccaria tradita, non facile discerni posse, quænam Romani Pontificis disciplinares leges habendæ sint tanquam statim obligantes absque acceptatione, quænam non. Fateor et ego rem mihi, etiam post dictas regulas, remanere subobscuram. Nec video non posse dari aliquod decretum mere disciplinare, etiam *sacros ritus*, aut *cæremonias*, aut *sacramenta*, aut *clericorum vitam* aliquatenus respiciens, quo tamen excitaretur forte, in aliqua regione, nociva commotio, ita ut melius esset decretum illud pro tali regione non urgeri : quo casu non video quomodo non licite præsumeretur summus Pontifex consentire ut statim sua lex non obligaret, donec facta ab Episcopis regionis illius supplicatione, de judicio definitivo sanctæ Sedis constaret. Unde, si mihi liceret, regulam aliam generaliorem et in praxi faciliorem proponerem : vel alicujus regionis Episcopi existimant se graves habere rationes ad præsumendum consentire Romanum Pontificem ut sua lex statim ibi non obliget, vel non : si prius, licebit illis Præsulibus supplicationem ad sanctam Sedem dirigere, et interim legis obligatoriam vim suspendere : si posterius, peccabunt nisi statim legi pareant. Nec dicatur periculosam esse illam regulam, quia accidere potest ut aliqui Episcopi rationes futiles dictum consensum præsumendi pro gravibus habeant; nam etiam posito errore hujusmodi, dici adhuc potest, ob consuetam Romani Pontificis in regenda universali Ecclesia benignitatem, eum consentire ut, qui sic falsa persuasione deciperentur, possint nihilominus supplicationem mittere, et interea legi nondum

satisfacere. Et sic relinqueretur prudenti Episcoporum judicio expendendum, an talis sit legis pontificiæ materia, quæ possit referri ad categoriam decretorum illorum, pro quibus prædictus consensus licite præsumi potest. In hac autem opinione verum semper remaneret principium illud generale : pro quibusdam tantum, non pro omnibus Romani Pontificis disciplinaribus decretis, præsumi posse consensum, de quo agimus.

§ III.

An teneatur Episcopus supplicationem ad summum Pontificem dirigere, quando non acceptat legem aliquam pontificiam.

Prænotanda. — 1° Supponimus legem, quæ non acceptatur ab Episcopo, esse de numero earum, quas summus Pontifex merito præsumitur nolle statim obligatoriam facere nisi acceptetur. Reliquas enim non licet Episcopo non acceptare.

2° Quod dicimus hìc de Episcopo ad disputationis commoditatem, dicendum est de quolibet Prælato et Prælatorum collectione.

3° Supplicationis nomine intelligunt auctores expositionem rationum, ob quas Episcopus v. g., rogat summum Pontifi cem, ut lex aliqua pontificia in sua diœcesi non urgeatur.

4° Licitam esse et convenientem hujusmodi supplicationem probat per longum Suarez, et nulli dubium est.

5° Dubium esse potest utrum lex aliqua pontificia sit necne de numero earum, quas summus Pontifex merito præsumitur subjicere conditioni acceptationis. His prænotatis, sit

Propositio 1.—*Quando lex est certo de numero earum, quas Papa non facit obligatorias ante acceptationem, Episcopus non acceptans tenetur nihilominus ad supplicationem.* — Ideo

enim tantum, ut supra probatum est, potest in hoc casu Episcopus legem pontificiam non acceptare, quia consentit ad id summus Pontifex. Consensus autem iste Romani Pontificis ideo tantum merito præsumitur, quia expedit bono animarum. Sed si consensus iste daretur absque præfatæ supplicationis obligatione, non vergeret in bonum animarum; imo valde noxius evadere posset. Possent enim Episcopi nullam solidam rationem habentes repugnandi legi, eam ex errore, vel ex aliquo pravo affectu, irritam facere in suis diœcesibus, omnique bono ex lege secuturo seipsos et commissos sibi greges fraudare; nec facile posset summus Pontifex malum rescire et correctioni opportunis mediis providere. Ergo nunquam merito supponitur Papa consentire suarum legum non-acceptationi, quin supponatur simul ipsum exigere a non-acceptantibus supplicationem, seu rationum ad non acceptandum expositionem. — Præterea tenentur Episcopi referre ad Sedem Apostolicam, omnium ecclesiarum matrem, nutricem et magistram, causas omnes illas quæ *majores* dicuntur; porro inter majores causas præcipuum locum habere alicujus legis ecclesiasticæ universalis non-acceptationem inficias ibit nullus. — Et ita semper praxim in Ecclesia obtinuisse testantur monumenta. Multa scilicet extant exempla Episcoporum a summo Pontifice expostulantium ut diœceses suæ a tali vel tali pontificia lege eximerentur. Quorum si exposita rationum momenta probaverit Romanus Episcopus, postulata obtinuerunt; si non probaverit, firmata fuit legis servandæ obligatio. Concilii Triburiensis Patres cum postulassent a lege quadam quæ ipsis durissima videbatur exemptionem, et non concessisset Romanus Pontifex, sic concluserunt : *Licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus et pia devotione toleremus.* (Concilia Germaniæ, t. II, p. 400, et inter Capitularia Caroli Magni.) Incumbit ergo sive Prælatis, sive communitati, legem pontificiam non acceptantibus, ad Ro-

manum Pontificem supplicationem dirigendi stricta obligatio.

Propositio 2. — *Episcopo legem non acceptante, et supplicationem non mittente, non tantum peccat ipse ; sed omnes de communitate qui legem promulgatam norunt, ad eam observandam obligati remanere videntur.* — Lex enim pontificia non tantum prælatum, sed singulos de communitate afficit atque attingit. Consensus autem qui licite præsumi potest in summo Pontifice de non reddenda statim obligatoria sua lege, non est absolutus, sed conditionatus. Consentit quidem ut suspendatur obligatoria decreti vis, sed ea conditione ut sibi exponatur qua de causa existimetur talem regionem esse potius a lege eximendam quam astringendam. Cum ergo, omissa supplicatione, non verificetur conditio, jam dictus consensus legitime præsumi nequit; ac proinde urgere lex censenda est : nisi tamen ex legis observatione notabile, ob peculiares circumstantias, exsurgeret incommodum; quo casu applicandum venit principium, leges positivas seu mere ecclesiasticas non obligare cum notabili incommodo. Non ergo tota diœcesis videtur a decreto pontificio eximi ex eo solo quod forte (quod Deus avertat) Episcopus officii sui immemor et contra Sedis Apostolicæ auctoritatem rebellando, nulla directa ad vicarium Christi supplicatione, legem rejiceret et contemneret.

Propositio 3. — *Toto supplicationis tempore, id est, donec a Sede Apostolica rescribatur, suspenditur ipso facto obligatio legis.*— Nam toto isto tempore verificatur conditio qua posita summus Pontifex non vult suam legem obligare, nempe non-acceptatio cum supplicatione. Unde licet summus Pontifex rescriberet se rationes objectas non probare, velleque legi obedientiam præstari, nihilominus non peccassent qui tempore supplicationis legem non servassent.

Propositio 4. — *Si dubitetur an lex sit de numero earum, quarum obligationem summus Pontifex subjicit conditioni acceptationis, videtur Episcopus agere posse sicut erga legem*

quæ certo de isto numero esset. — Retulimus scilicet supra doctrinam Benedicti XIV et P. Zaccariæ asserentium de omnibus legibus pontificiis dici non posse, earum obligandi vim conditioni acceptationis subjici. Talis autem esse potest materia alicujus legis ut dubitationi sit locus, subjaceat necne prædictæ acceptationis conditioni. Illi autem dubio applicari posse videtur regula juris, *in dubiis odia sunt restringenda.* Poterit ergo etiam tunc ista lex censeri non obligans, nisi acceptetur. Sed tunc, ut patet, gravius urgebit dirigendæ ac sanctam Sedem supplicationis obligatio.

Propositio 5. — *Si rescribatur objectas summo Pontifici rationes non probari, statim incipit lex certo obligare, et jam ab acceptatione non pendet quoad obligandi vim.* — Sequitur ex præcedentibus. Si enim ideo tantum lex pontificia non obligabat, quia merito præsumebatur Papa nolle eam obligare ante acceptationem, statim ac constat de contraria voluntate Romani Pontificis, ista præsumptio non est amplius legitima, et aufertur id quo solo suspendebatur legis obligatoria vis. Porro statim ac receptum est rescriptum, ad postulata negative respondens, constat jam de voluntate summi Pontificis obedientiam exigentis.

In toto hoc capite supposuimus legem a summo Pontifice jam sufficienter promulgatam. Quænam autem sit illa sufficiens promulgatio, nunc expendendum venit.

CAPUT VI.

DE REQUISITA LEGUM PONTIFICIARUM PROMULGATIONE UT OBLIGENT.

Prænotanda. — Promulgatio dicitur, enuntiatio legis sat publice facta ut moraliter possit ad totius communitatis notitiam pervenire.

Circa promulgationis necessitatem, in prima hujus tractatus editione(pagina 197) ita scripseram : « Certum est » requiri promulgationem ut lex humana quæcumque obli- » get; nec obligare legem a Principe decretam et publicari » mandatam, sed nondum promulgatam etiamsi privatim » cognosceretur... Quæ doctrina de promulgationis necessi- » tate pro lege qualibet humana, etiam pontificia, ut certa et » indubitata ab omnibus admittitur. » Sed hæc minus considerate dicta correxi postmodum in tractatu *de curia Romana* (parte tertia, sectione prima, capite secundo) ; ubi duas istas theses propugnavi : 1° *An promulgatio ad ipsammet legis essentiam pertineat, inter doctores controvertitur.* 2° *Hodie pro vera tenenda videtur sententia, quæ negat promulgationem ad legis essentiam pertinere.*

At quamvis necessaria non sit (prout sentiunt nonnulli), promulgatio ex ipsa legis *essentia*, necessaria tamen est, fatentibus omnibus , ex voluntate Principum; quia nempe *de facto* nolunt legibus suis, antequam promulgentur, obligationem induci. Quod satis constat ex solita eorum agendi ratione. Etenim ipsa etiam Sedes Apostolica non aliter obligare leges suas censet ac declarat, quam facta solita promulgatione. Et quod contrarium quoad *regulas cancellariæ* à tempore Urbani VIII sancitum fuerit, eas nempe vim habere *licet non sint adhuc promulgatæ* (sunt verba dicti Pontificis), habendum est tanquam exceptio, quæ regulam ipsam confirmat. Unde hic quoad leges pontificias promulgationis necessitatem, ut obligare incipiant, supponimus; intelligendo necessariam eam esse, *saltem de facto,* id est, ex voluntate Pontificis.

Quænam vero sufficiens sit notificatio seu promulgatio constitutionum pontificiarum, utrum scilicet satis sit eas publicari Romæ, an etiam necessario promulgari debeant in qualibet provincia, acriter et a longo tempore controvertitur.

Aliqui canonistæ antiqui putaverunt non sufficere publica-

tionem Romæ factam, ea potissimum ratione innixi quod Novella Justiniani, *ut factæ novæ*, coll. 5, requirat pro lege civili promulgationem in provinciis, et quod jus canonicum in hoc censendum sit acceptasse juris civilis normam. Ita Abbas Panormitanus, Felinus, Navarrus, Medina, et quidam alii. Hanc sententiam zelo ardentissimo secuti sunt et immensis conatibus propugnarunt quotquot extitere Jansenianæ hæresis et gallicanæ doctrinæ patroni. Inter gallicanos propugnatores eminent Petrus de Marca (*Concordia*, l. II, c. 15), Van Espen (*Tractatus de promulg. legum eccles.*, part. I, c. III, § 2 et seq.), Natalis Alexander, et Zalwein.

Cur autem tanti momenti duxerint præfati scriptores legum Romæ tantum promulgatarum vim explodere, satis indicat hujus thesis cum aliis eorumdem auctorum opinionibus connexio. Aliunde enim sustinent principibus sæcularibus competere jus impediendi promulgationem constitutionum pontificiarum, *placito regio* non munitarum; item Episcopis liberum esse, quantumvis urgeat summus Pontifex, ipsius constitutiones de disciplina statuentes non acceptare, et a fortiori non publicare in suis diœcesibus. Hinc, si non valeat lex pontificia Romæ tantummodo promulgata, cum alibi impediri tam facile possit ipsius promulgatio, tota in nihilum abit Romanorum Pontificum legislativa potestas et eorum *plena Ecclesiam universam gubernandi* facultas a concilio Florentino definita. Et in hunc scopum evertendæ pontificiæ potestatis jansenismus, minuendæ vero gallicanismus, semper intenderunt. Argumentantur autem ex triplici fonte, ex jure scilicet naturali, ex jure divino et ex praxi Ecclesiæ. Quo triplici argumento insufficientem Romæ tantum factam promulgationem adeo evidenter demonstrari jactitant, ut oppositam sententiam quasi expugnatam omnino et conclamatam derideant. Antiqui e contra canonistæ qui insufficientem promulgationem Romæ factam opinati sunt, ideo præcipue in hanc abiere sententiam, quod eam esse pro legibus civilibus

statutam regulam viderent et falso concluderent illam regulam esse ad leges pontificias extendendam. Qui cæteroquin pauci fuere cum dicat Suarez : *Nihilominus contraria sententia communius recepta est.* (*De legibus*, l. IV, c. xv, n. 3.)

Non ergo mirari debet lector si controversiæ huic, utpote inter gravissimas reputandæ, paululum immoremur. Erit autem hic disserendi ordo : 1° statuemus promulgationem in provinciis minime requiri ex jure naturali; 2° probabimus neque ex jure divino positivo esse necessariam ; 3° præcipua colligemus monumenta quibus innotescere possit Ecclesiæ praxis; 4° concludemus necessariam in provinciis promulgationem ex Ecclesiæ praxi nullatenus demonstrari; 5° aliquid subjungemus de modo quo promulgari solent varia Romani Pontificis decreta.

§ I.

Promulgatio in provinciis non est necessaria ex jure naturali.

I° *Determinatur punctum a quo tota pendet controversia.* — Qui tenent non sufficere promulgationem Romæ factam, tanquam omnino certum supponunt requiri promulgationem *ex ipsa legis essentia.* Porro id minime certum est. Immò contrarium potius tenendum supra notavimus, et probamus in tractatu *de curia Romana* (parte 3, sect. I, cap. II). Unde possumus hoc ipsorum fundamentum negare, et statim ruit totum ipsorum systema. Nam si promulgatio necessaria non sit nisi *ex voluntate* Pontificis, id est, quatenus et quando ita vult Romanus Pontifex, obligabit lex omnes qui eam norunt ante ullam promulgationem, si ita velit Pontifex; et a fortiori obligabit cum sola promulgatione Romæ facta, si hanc esse mentem suam idem Pontifex patefaciat. Unde adversariis dicere possumus : nulla promulgatio necessaria est, si nullam velit summus Pontifex; ac si quam

velit, illa sola necessaria est quam vult. Cum ergo nullam aliam requirat quam Romæ factam, atque eam sufficere ad inducendam obligationem expresse declaret, consequens est ut illa pro sufficienti haberi debeat. Sic, inquam, totum adversariorum systema subvertere possemus, negando scilicet, donec certum probetur, ipsorum fundamentum, id est, promulgationis alicujus necessitatem *de jure naturali*, seu ex ipsa legis essentia.

Sed quoniam hocce fundamentum admisere doctores quam plurimi, illud hic, ad juris abundantiam, transire permittemus. Disseremus nempe concessa illa hypothesi, quod de jure naturali seu ex legis essentia certa quædam promulgatio requiratur.

Quo semel una cum adversariis admisso, punctum a quo tota pendet controversia, sic determinari potest :

Ideo tantum promulgatio necessaria dicitur ex jure naturali, quia cum lex totam communitatem obligare debeat, et tamen lex ignota obligare nequeat, tenetur legislator toti communitati legem notam facere; unde sequitur illum teneri ad talem publicationem quæ facile possit in notitiam communitatis pervenire.

Quonam autem ritu, quibusve in locis promulganda sit lex, nihil omnino determinat jus naturale. Quod fateri coactus est ipse Van Espen : *Non apparet*, inquit, *de ratione legis esse, præveniendo omne jus positivum, ut ejus promulgatio certo ac determinato ritu fiat aut certis ac determinatis locis lex publica adfigatur vel proclametur*. (De promulg. legis, pars I, c. 1, § 2.)

Ergo tota controversia, quoad jus naturale, pendet ab hoc unico puncto : utrum sola promulgatio Romæ facta sit medium sufficienter idoneum ut legis latæ et promulgatæ certa cognitio ad omnes ecclesias pervenire convenienter possit. Negant de Marca, Van Espen et Zalwein; sed illos in hac opinatione prorsus errasse argumentis sequentibus demonstratur.

II° *Innuitur thesis longa Romanorum praxi quoad leges suas civiles.* — Antiqui Romani nunquam leges suas mittebant ad provincias ut ibi promulgarentur; sed eas ære sculptas in romana Urbe per tres nundinas consecutivas exponebant in locis publicis quibus major populi concursus fieri solebat. Qui mos non tantum reipublicæ tempore viguit, sed etiam postea subsecuto imperio. Primus enim omnium Justinianus imperator, anno Christi 538, promulgationem in provinciis præscripsit. Imo illam non præscripsit quoad leges omnes, sed tantum quoad suam Novellam de Testamentis, prædicto anno edictam; licet postea hæc forma promulgationis ad omnes leges imperiales extensa fuerit. Ergo, si promulgatio in provinciis necessaria sit de jure naturali, errasset per tam multa sæcula circa jus naturale imperium Romanum; ergo per totam hanc sæculorum seriem injuste et contra jus naturale obedientiam suis legibus exegissent legislatores Romani. Sed hoc verisimile non est, et gratis prorsus assereretur. Quod enim in re tanti momenti et tam practica unus ex præcipuis inter omnes mundi populos ne suspicatus quidem est ad jus naturale pertinere, immerito sustineretur esse de jure naturali. Sed relative ad jus naturale, idem est de legibus ecclesiasticis ac de legibus civilibus quoad promulgationem sufficientem; ergo prædicta Romani imperii praxis aperte innuit non esse de jure naturali necessariam in provinciis legum pontificiarum promulgationem.

III° *Demonstratur thesis ex natura promulgationis Romæ factæ et circumstantiarum illam comitantium.* — Ut convenienter perveniat certa cognitio de lege lata et promulgata, non necesse est ut omnes fideles in universo orbe dispersi, simultanee, id est, eodem die et eadem hora, cognitionem illam acquirant. Illud enim neque per promulgationem in provinciis obtineri solet, imo nec potest; tum quia provinciæ propinquiores citius quam remotiores notitiam acquirunt, et ex jure naturali minime prohibentur legem statim

acceptare et promulgare, nec tenentur expectare diem et horam quibus remotissima provincia promulgationem faciet; tum quia promulgari nequit lex eadem hora in omnibus omnino ejusdem diœcesis parochiis et locis; tum quia etiamsi ita in omnibus parochiis promulgaretur aliqua determinata hora, multi fideles non adessent et notitiam non acquirerent nisi posterius; tum quia quoad leges Episcoporum et conciliorum provincialium doctores omnes ut certum admittunt sufficere promulgationem in principali aut principalibus quibusdam locis, pro legislatorum arbitrio aut recepta consuetudine. Unde ut *convenienter perveniat* cognitio legis latæ et promulgatæ ad omnem communitatem, hoc tantum requiritur, et bono communi Ecclesiæ, et legislatoris scopo sufficit, ut ad unamquamque provinciam cognitio hæc certo perventura sit intra certum quoddam tempus, pro distantia cujusque computandum.

Jam vero talis est promulgatio Romæ tantum facta, ut de ipsa cognitio ad omnes mundi Ecclesias perventura sit. Nam omnino facile est Romano Pontifici instrumentum authenticum de lege sua Romæ promulgata mittere omnibus Nuntiis apostolicis, Archiepiscopis et Episcopis; et his vicissim facile est authenticam hanc notitiam transmittere clericis et fidelibus, non promulgando legem pontificiam, sed jam promulgatam et obligantem omnibus intimando. Nec difficilius est Episcopis legem promulgatam et jam obligantem (aut post tempus a Romano Pontifice statutum obligaturam) notificare, quam promulgare.

Hæc autem facilitas mittendi instrumentum authenticum de lege Romæ promulgata, non tanta olim erat. Priusquam enim inventi fuerint typi, et usus invaluerit publicæ epistolarum transmissionis (l'usage des postes), cogebatur Romana Sedes aliquos presbyteros, ut fecit Siricius Papa anno 389, vel etiam aliquos Episcopos aut abbates, ut fecit Pelagius II, anno 269, Roma emittere, qui instrumenta hæc tuto ad pro-

vincias deferrent; et multa exemplaria manu describenda erant. Nunc autem nihil facilius est quam pontificiarum epistolarum transmissio : typis eduntur et per publicos latores quocumque terrarum tuto perveniunt. Diariis insuper inseruntur, et collectionibus, Bullario nempe aliisque, ubique sufficienter notis. Ea insuper est legis universalis pontificiæ natura et gravitas, ut rumor de prolata hujuscemodi lege omnes statim fideles attentos faciat, ita ut inquirant sollicite; unde sufficeret etiam aliquos tantum in aliqua regione instrumentum authenticum vidisse, ut brevi tempore ad omnes moraliter certa cognitio deveniret. Quod ita verum est ut si, edita lege aliqua pontificia, Episcopus aliquis celare et certam notitiam in sua diœcesi impedire vellet, minime id posset obtinere; imo citius in diœcesi illa, et per diaria, aliaque scripta et per relationes innumeras spargeretur et de lege pontificia notio certa, et de resistente Episcopo scandalum. Multi præterea curarent denuntiari summo Pontifici hoc præsulis tentamen; et tunc sancta Sedes curaret exemplaria authentica ad capitulum aliosve expediri. Quibus addendum est perpetuo Romæ degere et variarum gentium legatos, et Episcoporum pro negotiis commissos, quorum opera sufficienter per omnem mundum de lege Romæ promulgata certa notio dimanet.

Ergo talis est promulgatio Romæ tantummodo facta, ut de illa per omnes moraliter ecclesias etiam remotissimas notio certa convenienter perventura sit, etiamsi in provinciis nulla promulgatio fiat. Ergo falsissime asseruit Van Espen, *moraliter impossibile esse ut per eam Romæ factam publicationem... populi et communitates fidelium per vastissima locorum intervalla dispersi, etiam horum decretorum notitiam accipiant.* (Apud Zaccaria, loco citato, p. 123.) Nedum impossibile sit, nihil e contra hodie facilius est.

Tempore autem persecutionis, ut dictum est, et ante inventos typos et statutam ubique epistolarum publicam transmissionem, difficilius summi Pontifices sua decreta

nota faciebant ecclesiis ; et ideo videmus eos curasse ut exemplar authenticum per electos quosdam viros deferretur ad præcipuos Præsules, quibus injungebatur ut vicinis notitiam decreti transmitterent.

Successu vero temporis, cum fieret Romæ magnus fidelium ex omni regione concursus in quibusdam anni solemnitatibus, præcipue die cœnæ Domini, cœperunt summi Pontifices sententias excommunicationum seu, ut vocabant, *processus* decidere his diebus solemnibus; declarando per solam sic factam publicationem, ob hunc populi concursum, tanquam ligatos haberi debere eos in quos sententia ferebatur; eo quod verisimile non esset notitiam sententiæ prolatæ ad eos non perventuram.

Cum vero postea facilitas divulgationis multo major evaserit ob novas circumstantias supra descriptas, ipsa quasi rerum natura impulsi sunt summi Pontifices et concilia œcumenica, ut pro omni lege ecclesiastica generaliter statuerint promulgationem Romæ vel residentiæ loco factam sufficientem fore ad vim obligandi. Non tamen omiserunt exemplaria authentica legum a se latarum, pro more antiquo, ad provincias mittere; imo identidem voluerunt quasdam ex istis legibus per specialem in provinciis promulgationem intimari.

Unde etiamsi concederetur olim necessariam fuisse et de facto viguisse in provinciis promulgationem (quod infra discutimus), id minime tribuendum esset juri naturali attenta natura legis, sed accidentalibus tantum obstaculis, quibus ne alio modo satis innotescerent decreta pontificia impediebatur. His autem obstaculis sublatis, jam certum est plene sufficientem notionem ad provincias absque nova in illis promulgatione pervenire. Ergo falsum est per jus naturale requiri in provinciis promulgationem.

IV° *Confirmatur thesis aliquot factis.* — Anno 1454, die januarii, Nicolaus V sub censura prohibuit ne arma aliave subsidia præberentur barbaris, quos rex Portugalliæ debel-

labat. Hac aut em bulla statuitur, ut *excommunicationes aliæque sententiæ in illis contentæ infra duos menses, computandos a die qua ipsæ præsentes litteræ seu cartæ, vel membranæ earum tenorem in se continentes, valvis Ecclesiæ Ulixbonensis adfixæ fuerint, perinde omnes et singulos contrafacientes prædictos ligent, ac si ipsæ præsentes litteræ eis personaliter et legitime intimatæ ac præsentatæ fuissent.* Ergo sufficientem promulgationem licet Ulysipponæ tantummodo factam existimarunt et Nicolaus V qui ita decrevit, et curia Ulysipponensis quæ hanc bullam postulaverat, et variæ orbis Ecclesiæ, quæ minime questæ sunt sibi ex hac clausula injuriam inferri. Ideo sufficiebat promulgationem Ulysipponæ fieri, quia hujusmodi pontificiæ bullæ sunt facta quæ per totum orbem, ex ipsa rei et circumstantiarum natura, personant. — Anno 1520, Leo X damnando 41 propositiones hæresiarchæ Lutheri, jubet suam bullam affigi *in valvis Basilicæ principis Apostolorum et Cancellariæ Apostolicæ, necnon cathedralium ecclesiarum Brandeburgensis, Misnensis et Merspurgensis, decernendo quod earumdem litterarum publicatione sic facta, supradictum Martinum, omnesque alios et singulos prænominatos, quos litteræ hujusmodi quomodolibet concernunt, proinde arctent, ac si litteræ ipsa die affixionis et publicationis hujusmodi eis personaliter lectæ et intimatæ forent; cum non sit veresimile quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita manere.*

In Bulla autem anni 1521 contra eumdem Lutherum et sequaces, sic loquitur idem Leo X : *Verum quia difficile foret, præsentis declarationis et publicationis litteras ad præsentiam et personam propriam Martini et aliorum declaratorum et excommunicatorum hujusmodi personaliter deducere, propter iis faventium potentiam, volumus ut affixio et publicatio præsentium litterarum in valvis duarum Cathedralium seu Metropolitanarum, aut Cathedralis unius et alterius Metropolitanæ, in dicta Alemania consistentium ecclesiarum, per*

unum ex nuntiis nostris ibidem existentibus facta, ita eos liget et arctet, Martinumque et alios declaratos damnatos hujusmodi demonstret in omnibus et per omnia, ac si eis et eorum cuilibet personaliter intimatæ et præsentatæ fuissent. Ergo licet istæ duæ bullæ non fuerint promulgatæ nisi in duobus ecclesiis Alemaniæ, censebantur vigere ubicumque terrarum degerent Lutherus ejusve asseclæ. Neque de hoc facto tanquam juri naturali contrario conquesti sunt germanici aliive Episcopi aut Principes. Sed Carolus V, supponens validam hujusmodi promulgationem, illam executioni mandandam auxilio brachii sæcularis curavit. Ut autem clarius intelligant Gallicani systematis patroni, quam periculosa sint suæ opinationis consectaria, transferamus ad præsentia tempora hanc excommunicationis in Lutherum sententiam : fingamus Lutherum et alios cum ipso excommunicatos, in Gallia consistere. Non ergo debebunt isti tanquam excommunicati haberi in diœcesibus Galliæ, siquidem bulla promulgata est Romæ tantum, et in duabus cathedralibus Alemaniæ, non autem in Gallia aliisve provinciis? Ergo dum summus Pontifex prædictos tanquam certe excommunicatos habet, eisque jura de excommunicatis applicat, theologi Gallicani negabunt hoc verum esse et mortuos sub hac excommunicatione sepelient quasi nulla foret excommunicatio, et ex eis pœnitentes ad sacramenta recipient quin prius ab excommunicatione rite absolvantur, et excommunicationem quam per talem agendi rationem ipsos incurrisse declarabit Sedes Apostolica pro nihilo reputabunt? En in quem consectariorum abyssum præcipites eant, qui sustinent errare sanctam Sedem, cum supponit et declarat vim habere suas leges Romæ tantum aut quibusdam designatis ab ipsa locis promulgatas.

V° *Probatur thesis ex praxi romanorum Pontificum.* — A sex jam sæculis viget promulgandi usus juxta relatam clausulam qua usus est Martinus IV, et plures forsan ante

ipsum Romani Pontifices. Per istam autem clausulam supponunt et declarant Romani Pontifices decreta sua vim habere per factam Romæ, aliisve quibusdam determinatis locis, promulgationem. Si autem jus naturale requirat insuper promulgationem in unaquaque provincia, dicendum est a sex saltem sæculis ignorari et violari jus naturale ab ea Sede quæ est omnium ecclesiarum *mater et magistra*, ad quam pertinet universos fideles pascendi, regendi et gubernandi plena potestas. Iste autem error et ista violatio juris naturalis pertinet ad disciplinam generalem, cum de disciplina generali sit illa quæstio, utrum omnes ecclesias obliget bulla Romæ tantum promulgata. Et error ille in disciplina generali non commissus fuisset a Romanis Pontificibus, actibus quibusdam privati doctoris, sed in solemnioribus potestatis pontificiæ actibus, nempe bullis ad universam Ecclesiam directis. Sed ipsemet Bossuet, et Gallicani proprie dicti, negant Romanam Sedem posse, nisi per brevissimum aliquod tempus, in errorem cadere; ergo negandum est per sex sæcula errasse summos Pontifices in bullis asserentes, sufficere promulgationem Romæ factam, seu, quod idem est, non requiri in unaquaque provincia promulgationem. — Confirmatur autem hæc Romanorum Pontificum voluntas et persuasio, per exceptiones quasdam ad consuetam suam agendi praxim. « Magnum argumentum est, ait Suarez, quia quando Ponti-
» fices volunt necessariam esse promulgationem suæ legis in
» singulis episcopatibus seu provinciis, hoc specialiter de-
» clarant : raro autem id faciunt, et in rebus majoris mo-
» menti aut periculi; ergo signum est extra hos casus spe-
» ciales promulgationem non requiri. Item e contrario
» interdum extendunt tempus pro quo volunt differri obliga-
» tionem legis etiam post promulgationem; ut Pius IV voluit
» ut decreta concilii Tridentini non obligarent nisi post tres
» menses a promulgatione. In quibus legibus supponunt
» promulgationem in Urbe factam sufficere, quia si aliæ par-

» ticulares expectandæ essent, illa temporis dilatio necessa-
» ria non esset. » (*De Legibus*, l. 4, c. 15, n° 6.)

VI° *Refelluntur objectiones.*—1ª *Objectio :* Populi per totum orbem dispersi Romæ non adsunt, quando ibi lex pontificia promulgatur ; nec possunt per illam promulgationem immediate acceptam legis notitiam adipisci ; ergo speciali indigent in suis provinciis promulgatione. — Respondetur : non cognoscunt legem per promulgationem Romanam immediate acceptam : concedo antecedens. Ergo indigent promulgatione speciali in suis provinciis : nego consequens et consequentiam. Nam absque ulla promulgatione speciali in provinciis multa sunt media quibus certa cognitio bullarum pontificiarum ad omnes ecclesias facillime perveniat, ut supra ostendimus ; et adeo efficacia sunt hujusmodi media, ut etiamsi alicujus regionis Episcopi universalem aliquam summi Pontificis constitutionem diœcesanos suos celare tentarent, nihilominus in ea regione tam perfecte, imo aliquando perfectius, nosceretur illa constitutio, quam si fuisset ab Episcopis promulgata.

2ª *Objectio :* Semper debet fieri in provinciis aliqua notificatio authentica ; sed omnis notificatio authentica, est ipsamet promulgatio ; ergo semper requiritur promulgatio in provinciis. — Semper debet fieri notificatio authentica in provinciis : distinguo : id est, haberi debet in provinciis testimonium aliquod certum de lege Romæ promulgata, concedo majorem : id est, debet fieri auctoritate Episcopi promulgatio proprie dicta, nego majorem. Atqui omnis authentica notificatio est ipsamet promulgatio : nego minorem. Nam si per circularem Episcopus testetur tantum se accepisse talem constitutionem pontificiam, monens per solam promulgationem Romæ factam omnes hac constitutione ligari, et se circularem mittere in gratiam eorum qui forte aliter notitiam non recepissent, circularis illa non esset profecto promulgatio, et esset tamen testimonium sufficiens ad

certam legis cognitionem. Item si diaria referant novam aliquam bullam pontificiam, sicut semper fit a multo tempore, et nulla oriatur de authenticitate dubitatio aut reclamatio, et quidam de clero, adeundo Episcopum vel Nuntium, didicerint eos recepisse exemplaria authentica, et sic spargatur notitia in universos, et lex pontificia incipiat in praxim reduci, nulla aderit promulgatio, et tamen erit testimonium omnibus sufficiens de promulgato Romæ decreto illo pontificio. Ergo omnino falsum est notificationem authenticam, id est, sufficientem testificationem de decreto aliquo pontificio, fieri non posse in provinciis, nisi per promulgationem specialem.

3ª *Objectio* : Non requiritur tantum talis promulgatio quæ procuret certam notitiam de lege, sed insuper talis qua prudenter sperari possit legis observatio; atqui nisi promulgetur lex in unaquaque provincia, prudenter sperari nequit observatio legis. Ita sentit Benedictinus Zalwein (t.I, p. 309, auctor in multis eximius, at in non paucis extra viam incedens, et quem ideo laudat non una vice Febronius). — Respondetur : Permissa majore, nego minorem. Nam hoc ipso quod sciant Episcopi et clerus et fideles summo Pontifici competere potestatem legislativam, et ipsum talem legem promulgasse, prudenter sperari potest observatio legis; quia prudenter præsumi non debet Episcopos rebellionis exemplum daturos, aut cæteros obedientium Episcoporum exemplum non secuturos. Quod si immineat rebellionis hujus periculum, minime arcetur per doctrinam necessariæ in provinciis promulgationis. Nam posito quod aliqua regio parum sit ad obtemperandum decretis summi Pontificis disposita, nec promulgatis ab Episcopo his decretis multi obedient, nec obligationi promulgandi obtemperabunt quidam Episcopi. Ergo hæc propositio *non nisi per promulgationem in provinciis sperari posse observationem legis*, non tantam falsa est, sed in propositionem

omnino oppositam est mutanda, nempe, *admissa doctrina de necessitate promulgationis in provinciis, vix prudenter sperari posset legum pontificiarum observatio.* Nam promulgationi hujusmodi obstare possunt potestates civiles; et pro erroribus, præjudiciis et malevolo animo quibus sæpe in sanctam Sedem et Ecclesiam catholicam laborant, frequenter de facto obstabunt; quod de principibus hæreticis præcipue dicendum, historia probat; unde et obstare poterunt ne summus Pontifex possit fideles obligare. E contra, posito quod promulgatio in provinciis non sit necessaria, obstare nequeunt potestates civiles quin Romanus Pontifex conscientiam fidelium ubique terrarum liget. Idem dicendum cum proportione de Episcopis minus recte erga sanctam Sedem affectis, et quibus leges pontificiæ displicerent : possent illi, promulgationem suam recusando, leges pontificias in nihilum pro libitu suo redigere. Ergo si necessaria foret ex jure naturali promulgatio in provinciis, sperari e contra posset et deberet frequens legum pontificiarum inobservatio, contemptio et annullatio. Et in hanc legum pontificiarum arbitrariam per principes sæculares et Episcopos annullationem et irritationem intendunt præcipui ex recentioribus theologis, qui tanto conamine necessariam de jure naturali in provinciis promulgationem defendunt.

4ª *Objectio :* Nisi fiat promulgatio in provinciis, alii legem cognoscentes obligabuntur, nullatenus obstrictis aliis legem ignorantibus ; idque non in diversis locis tantum, sed etiam in eadem diœcesi, civitate et pago. — Respondetur, *primo,* non officere scopo legislatoris et bono Ecclesiæ, notitiam legis a fidelibus acquiri tantum intra spatium aliquod temporis, et non simultanee eadem die et hora. Nam etiam sic, omnes ejusdem regionis fideles brevi notitiam illam acquirunt et decreto ligantur; hocque solum intendit legislator et poscit Ecclesiæ utilitas. *Secundo*, etiam per promulgationem in provinciis, non omnes eodem momento legem cognoscerent et obligarentur, quia non possunt omnes omnino eadem

hora congregari. Et præterea etiamsi promulgatio in provinciis requireretur, non necessaria esset nisi in matrice ecclesia uniuscujusque episcopatus : « De legibus autem Episcopo- » rum, ait Suarez, manifestum est sufficere pro toto episcopatu » eam quæ fit in matrice. » (*De Legibus*, l. 4, c. xv, n° 8.) Sed per promulgationem in ecclesia matrice non possunt statim legem cognoscere omnes diœcesis fideles; ergo redit inconveniens objectum. *Tertio*, inconveniens illud multo magis orietur supposita promulgationis in provinciis necessitate : nam in uno regno potestas sæcularis promulgationem concederet, in altero impediret : item in eodem regno unus Episcopus promulgaret, alter non promulgaret; et sic non tantum per aliquot dies aut menses existerent simultanee obligati et non obligati, sed permanenter stabiliretur discordantia et diversitas disciplinæ ecclesiasticæ, quin in potestate summi Pontificis esset ullam legem quantumvis utilem ad universam Ecclesiam extendere. Imo neque hoc posset concilium œcumenicum; auctores enim qui sustinent necessario promulganda in provinciis decreta pontificia, idem tenent et docent de legibus generalium conciliorum. Unde doctrina hæc, utpote ad destructionem potestatis legislativæ ipsius Ecclesiæ evidenter tendens, prorsus a viris catholicis reprobanda est.

§ II.

Promulgatio in provinciis non est necessaria ex jure positivo.

Contendunt Van Espen, de Marca, et Zalwein, regimini ecclesiastico, a Christo Domino præscripto, contrariam esse promulgationem legum pontificiarum Romæ tantummodo factam. Sed adeo frivola sunt quæ in probationem hujus

assertionis adducunt argumenta, ut paucis illa exponere et confutare sufficiat. Sunt autem fere ista :

Christus Ecclesiæ rectoribus prohibuit quidquid dominationem redolet : *Reges gentium dominantur eorum... vos autem non sic.* (Luc, 20.) — *Providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* (I Petr., 5, 3.) — Adducit insuper Zalwein istum textum : *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes.* Ex istis textibus concludunt promulgationem legum pontificiarum in unaquaque provincia esse de jure divino. Ast omnino immerito. Equidem prohibuit Christus Dominus ne pastores Ecclesiæ potestatem suam exercerent cum superbia et fastu, sicut solebant pagani principes, et voluit ut forma facti gregis per sua sanctitatis exempla inducerent subditos ad servandas leges quas ipsis imponunt; hoc quidem enuntiant duo priores allati textus : sed minime prohibuit ipsummet potestatis ipsis traditæ exercitium; neque etiam ullo modo declaravit nullam fore legem, aliunde justam, quam Prælatus ex superbia et cum fastu imponeret. Et quando Paulus dixit, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non tantum ex necessitate, sed propter conscientiam,* non addidit hanc exceptionem, *modo non præcipiant cum superbia et fastu.* Licet enim peccent qui superbe dominantur, nihilominus ligant eorum præcepta quæ non excedunt potestatis eorum limites. Jam vero Romani Pontifices ex eo quod promulgent leges suas Romæ tantum, et obligatos fideles velint absque alia in provinciis promulgatione, minime insimulari possunt superbiæ neque fastuosæ dominationis. Nam in hypothesi quod necessaria esset promulgatio in provinciis, vel admittitur Pontifices Romanos posse illam promulgationem imperare et exigere, vel non. Si dicatur eos non posse hanc promulgationem obligatoriam facere, ergo in nihilum abit legislativa eorum potestas, et merum mendacium est dogma catholicum de *plena potestate universam*

Ecclesiam pascendi et gubernandi successoribus Petri a Christo tradita. Si concedatur Romanos Pontifices exigere posse primo ut leges pontificiæ a provinciis promulgentur, et secundo ut sic promulgate observentur, non minus rigida erit ista duplex imposita obligatio, quam simplex imperium legum servandarum post factam Romæ tantummodo promulgationem. Sanctissimi præterea Pontifices, humilitate valde commendabiles, quorum etiam quidam canonizati sunt, voluerunt leges suas absque promulgatione in provinciis obligare; quo exemplo confirmatur hunc modum regendi Ecclesiam minime humilitati evangelicæ repugnare. Non tantum promulgationem in provinciis, quoad pontificias leges omnes, non exigebat christiana humilitas, textibus allatis commendata, sed nec sinebat prudentia et Ecclesiæ bonum. Si enim necessaria facta fuisset a Christo in provinciis promulgatio, ab unaquaque provincia penderet legem pontificiam firmare aut annullare; ergo verum esset quod sustinet Febronius Pontifices posse tantum leges *proponere*, non autem ferre; ergo toto tempore quo non est coadunatum concilium œcumenicum, nulla esset auctoritas quæ posset universis fidelibus præcipere; et cum idem ab autoribus quos confutamus sustineatur de legibus concilii œcumenici, nulla omnino existeret auctoritas legislativa in universam Ecclesiam; et cum nulla sit ratio cur non idem dicatur de Episcopo relative ad parochos et fideles, nulla omnino erit possibilis lex ecclesiastica, sed quisque sibi legem esse dicendum foret. Quod autem dixerit Christus *euntes docete omnes gentes*, adeo evidenter extra quæstionem vagatur, ut confutatione dignam hanc objectionem non reputemus. Sed generatim alio argumento sic probamus nihil esse in Scripturis sacris quod necessariam faciat in provinciis legum pontificiarum promulgationem :

Si de jure divino seu ex sacris Scripturis necessaria sit illa promulgatio, dicendum est ab anno saltem 1281, id est per sex fere sæcula, Romanam Sedem aut ignorasse jus divinum

et verum sensum Evangelii, aut sua Ecclesiam universam gubernandi ratione, jus divinum et evangelicum ex malitia conculcasse; et non tantum Romanos Pontifices, sed et concilium Constantiense, a quo exclusa etiam fuit promulgationis necessitas in provinciis, et concilium Tridentinum, quod minime impedivit ne leges suæ a Pio IV per solam Romæ promulgationem obligatoriæ declararentur : sciebant enim Tridentini Patres Pium IV non alio modo concilium confirmaturum. Porro asserere per tot sæcula talem viguisse in Ecclesia juris divini et Evangelii sive ignorantiam sive contemptum, non tantum delirantis est, sed omnino temerariæ opinationis. Ergo sicut nec jure naturali, ita nec jure divino requiritur in provinciis legum pontificiarum promulgatio.

Jam ad argumentum adversariorum de praxi Ecclesiæ desumptum accedamus.

§ III.

Synopsis historica de praxi Ecclesiæ circa legum ecclesiasticarum promulgationem.

Hanc praxim in duplicem epocham distinguimus : 1° ab initio Ecclesiæ usque ad annum 538, quo Justinianus imperator edidit suam novellam 66, pro qua requisivit ad vim obligandi in provinciis publicationem; 2° ab anno 538, id est, a Justiniani tempore usque ad annum 1281, quo primam invenimus bullam declarantem sufficere in loco residentiæ summi Pontificis promulgationem.

I.

PRIMA EPOCHA.

Anno 221. — Zephirinus Papa legi curat in ecclesia decretum suum de danda absolutione quorumdam peccatorum

reis. De quo decreto sic Tertullianus : *Sed hoc in ecclesia legitur et in ecclesia pronuntiatur.* (De pudicitia, c. I.)

Anno 252. — Cornelius Papa ad sanctum Cyprianum mittit acta synodi Romanæ testantia abjuratam fuisse a Maximo, Urbano et Sidonio Novatianum schisma. Epistolam suam sic concludit sanctus Cornelius : *Has litteras puto te debere, frater, et ad cæteras ecclesias mittere, ut omnes sciant schismatici hujus et hæretici dolum et prævaricationem de die in diem evacuari.* (Coustant, *Epistolæ Rom. Pontificum,* col. 139.)

Anno 314. — Patres concilii Arelatensis canones suos ad sanctum Sylvestrum Papam mittunt cum his verbis : *Placuit etiam a te qui majores diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari.* (Mansi, t. II, p. 469.)

Anno 325. — Concilium Nicænum, in præfatione arabica ex multis orientalibus codicibus transcripta : *Hæc omnia descripta sunt et per universas orbis terrarum provincias promulgata.* (Collect. concil. Harduini, t. I, p. 526.)

Anno 347. — Episcopi Sardiniæ in sua synodali ad Romanum Pontificem Julium I : *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta qui in Sicilia, qui in Sardinia et in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt et quæ definita cognoscant, et ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, id est epistolia, quos justa sententia degradavit.* (Coustant, *Epist. Rom. Pont.,* col. 398.) — Ipsi epistolam omnibus ecclesiis misere hac clausula terminatam : *Curate autem etiam, dilectissimi fratres et consacerdotes, quasi præsentes spiritu huic interfueritis synodo, omnia quæ a nobis constituta sunt, confirmare per litteras vestras, ut ab omnibus Episcopis idem sentiri, atque unam esse omnium voluntatem litterarum consensione sit manifestum* (Concil. Harduini, t. I, col. 867.)

Anno 349.—De decreto synodi Sirmiensis contra Photium sic legitur in fragmentis sancti Hilarii : *Ab Occidentalibus, sicut mos poscebat, ad Orientales mittitur, non injuria extor-*

quendi ut nunc agitur ad sensum, sed instruendæ universorum conscientiæ consuetudine. (Zaccaria, dissert. de potestate regul. disciplinæ, pag. 97, edit. Faenza, 1788.)

Anno 366.—Liberius Papa postquam admonuit Episcopos orthodoxos Orientis annullata fuisse concilii Riminensis acta, ita subjungit : *Sed et vos id omnibus indicare debetis, ut qui per vim et fraudem aliquod fidei suæ detrimentum passi sunt, nunc tandem ex hæretica caligine ad divinam catholicæ libertatis lucem valeant emergere.* (Coustant, *Epist. Rom. Pontificum,* col. 463.) — De eodem Liberio mentionem facit Siricius Papa dicens, *missa ad provincias... generalia decreta,* quibus prohibebatur ab Arianis baptizatos rebaptizari. (Coustant, ibid., col. 625.)

Anno 378.—Habemus fragmentum epistolæ Damasi Papæ, in cujus fine ita legitur : *Explicit hæc epistola vel expositio synodi Romanæ, habitæ sub Damaso Papa, et transmissa ad Orientem; in qua omnis orientalis Ecclesia, facta synodo apud Antiochiam, consona fide credentes, et omnes ita consentientes, eidem superexpositæ fidei singuli sua subscriptione confirmant... Similiter et alii* 146 *orientales Episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in archivis Romanæ Ecclesiæ tenetur.* (Coustant, ibid., col. 500.)

Anno 385.—Siricius Papa Himerio Tarraconensi Episcopo mandat ut cæteris Episcopis communicet decretalem quam ad ipsum mittit : *Hæc quæ ad tua rescripsimus consulta, in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, et non solum eorum qui in tua sunt diœcesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses, ac Bœticos, Lusitanos atque Gallicios, vel eos qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc quæ a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum prosecutione mittantur.* (Coustant, ibid., col. 637.)

Anno 389. — Idem Siricius Papa scripsit ad Episcopos, *per fratres et compresbyteros Crescentem, Leopardum et Alexan-*

drum, de condemnatione Joviniani, *ne ignorantia cujuspiam sacerdotis, pessimorum hominum Ecclesiam irrumpentium, sub religioso nomine, contagio violaret* (Coustant, ibid. col. 665 et 668). Et ista Epistola a sancto Ambrosio lecta est in concilio Mediolanensi (Coustant, ibid. col. 669).

Anno 397. — Concilium Carthaginense in epistola canonibus præmissa : *Hæc communi consilio per universam provinciam Byzacenam in notitiam cunctis deducenda censuimus* (Conc. Harduini, t. I, p. 969).

Anno 404. — Decretalis Innocentii I ad Victricium Rhotomagensem Episcopum : *Erit Dilectionis tuæ per plebes finitimas, et consacerdotes nostros qui in illis regionibus propriis ecclesiis præsident, regularum hunc librum quasi didascalicum atque monitorem sedulo insinuare, ut et nostros cognoscere, et ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare* (Coustant, *Epist. R. Pontificum*, col. 747).—Idem Papa in Epistola ad Exuperium, dicit, *beatæ recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commeasse* (Coustant, ibid. col. 790).

Anno 414. — Idem Papa ad Episcopos Macedoniæ : *Hanc autem paginulam nostram sollicitius Cretensibus Episcopis relegendam mittite, ut sciant plenissime quid sit de Bubalio et Tauriano cæterisque pronuntiatum* (Coustant, ibid., col. 742).

Anno 415. — Idem Papa scribit ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum, mandans ut *hæc ad notitiam coepiscoporum vel per synodum, si potest, vel per harum recitationem faciat pervenire : ut quæ ipse tam necessario percontatus es, et nos tam elimate respondimus, communi omnium consensu studioque serventur* (Coustant, ib., col. 854). Putat Zaccaria pro voce *recitationem* legendum esse *receptionem*.

Anno 417.—Zozimus Papa ad Episcopos Gallicanos : *Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat, id quod statuimus omnimodis esse servandum* (Coustant, col. 936). — Idem Papa eodem anno .

Universis Episcopis per Africam constitutis, universis Episcopis per Gallias et septem provincias constitutis, universis Episcopis per Hispaniam constitutis.... Qua de re ad sanctitatem vestram et per totum orbem, ubicumque et in quacumque terrarum sonus catholicæ religionis exiit, scripta direximus, fratres carissimi, ne Tuentium et Ursum in communione Ecclesiæ, in quocumque ecclesiastico gradu, a qua in totum anathematizati sunt, suscipiendos esse ducatis (Coustant, col. 958). —Idem Papa eodem anno ad Patroclum Episcopum Arelatensem, de quibusdam circa disciplinam a se statutis loquens : *Scripta nostra in omnium facies notitiam pervenire ; ut ne hoc quidem ipsum tibi, quod omnibus interdictum est, licere cognoscas* (Coustant, col. 962).

Anno 418. — Idem Papa sciscitanti Salonitano Episcopo num monachi et laïci possent ad sacerdotium promoveri non susceptis inferioribus ordinibus, respondet : *Hoc autem specialiter et sub prædecessoribus nostris et nuper a nobis interdictum constat, litteris ad Gallias Hispaniasque transmissis... Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogaremus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum facias ire notitiam ; non tantum eorum qui in ea provincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuæ provinciis adjunguntur* (Coustant, col. 968 et 970).

Anno 429. — Cœlestinus Papa ad Episcopos Apuliæ et Calabriæ mittens quædam sua decreta circa disciplinam, mandat, ut *per totas ecclesias innotescat, ut nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus illudat* (Coustant, col. 1074).

Anno 431. — Concilium œcumenicum Ephesinum encyclicam scribit *unicuique sanctæ synodo quæ per singulas mundi partes est ;* de quo rationem dans subjungit : *Quia vero oportuit et eos qui defuerunt a synodo et perstiterunt in unaquaque provincia non ignorare quæ de his decreta sunt notum vestræ facimus Sanctitati,* etc. (Conc. Harduini, t. I, col. 1623).

Anno 432. - Papa Sixtus III ad sanctum Cyrillum : *Hæc vero ad vicinorum fratrum notitiam volo mitti per pietatem tuam, ut discant in re tanta, etsi olim omnia plenissime definita fuerint, non cessare aut segnem esse tamen Apostolicam Sedem.* (Coustant, col. 1235.)

Anno 444. — Sanctus Leo Magnus ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem : *Hæc itaque in omnium fratrum facies notitiam pervenire ; ut nullus deinceps per ignorantiam in observandis his quæ præcipimus, excusandi se reperiat facultatem.* (Epist. 4, edit. Cacc., p. 27. — Vide ibid., p. 60, epistolam 13.)

Anno 446. — Idem Papa, Turibio : *Dedimus itaque litteras ad fratres et coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallicos, eisque concilium synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur* (epist. 15, edit. Cacc., p. 73). — Similia habentur in epistola 53 ejusdem Pontificis ad Ravennium.

Anno 453. — Exstat præclarum monumentum aperte consuetudinem testans legendi in ecclesiis generalium conciliorum acta. Sic enim scribit Imperator Marcianus ad sanctum Leonem : *Vehementer admiramur quod synodo in Chalcedone celebrata, et litteris venerabilium Episcoporum ad pietatem tuam missis, per quas omnium rerum in synodo gestarum seriem exposuerunt, neutiquam illæ a Sanctitate tua fuerint emissæ, quæ tamen in singulis ecclesiis lectæ, in singulorum notitiam pervenisse debebant ; unde aliquibus qui Eutychis falsam opinationem et pravitatem etiamdum persequuntur, magnus est injectus scrupulus, utrum Beatitudo tua quæ synodus decrevit, confirmaverit. Idcirco Pietas tua emittere litteras dignetur queis omnes et ecclesiæ et populi cognoscant acta synodi a Beatitudine tua approbari* (loco citato, p. 349).

Anno 457. Idem sanctus Leo mandans suam epistolam ad

Theodorum Episcopum, transmitti ad Metropolitanum, ait : *Ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione gereretur. Ut si qui forte sunt fratrum qui de his antea putaverint ambigendum, per ipsum* (nempe Metropolitanum) *de omnibus quæ ad te scripta sunt, instruantur.* (Epist. 84, edit. Cacc., p. 330.)

Anno 448. — Papa Felix III in sua decretali ad universos Episcopos : *His itaque rite dispositis, et ad ecclesiarum vestrarum notitiam nostra deliberatione perlatis, parere vos convenit.* (Conc. Harduini, t. II, p. 839.)

Anno 493. — Gelasius Papa Piceni Episcopis : *Ne excusationis de cætero relinquatur occasio, si post præcepta præsentia, quæ per Romulum diaconum... duximus destinanda, quisquis super his omnibus aut contemptor aut negligens deprehendetur Antistes.* (Concilia Harduini, t. II, p. 892.)

Anno 502. — Symmachus Papa decretalem suam ad Cæsarium Arelatensem Episcopum sic concludit : *Hæc tamen ad omnium Episcoporum volumus perferri notitiam.* (Concilia Harduini, t. II, p. 958.)

II.

SECUNDA EPOCHA.

Ab anno 538, quo Justinianus imperator edidit suam Novellam de publicandis per provincias legibus imperialibus.

Anno 545. — Vigilius Papa ad Auxanium Arelatensem Episcopum et vicarium Apostolicum : *Ea vero quæ de præsenti ordinatione nostra directa præceptione signavimus, ad universos Episcopos per caritatem tuam volumus pervenire.* (Conc. Labbe, t. V, col. 321, edit. Paris.)

Anno 585. — Concilium Matisconense II, in præfatione : *Hoc universæ fraternitati vestræ suademus, ut quæ Spiritu sancto dictante per ora omnium nostrorum terminata fue-*

rint, per omnes ecclesias innotescant, ut unusquisque quod servare debeat, sine aliqua excusatione condiscat. (Labbe, t. V, col. 980.)

Anno 598. — Sanctus Gregorius Magnus sententiam suam suspensionis a divinis, contra Maximum Episcopum intrusum, Salonæ publicari et affigi fecerat : *Quæ scripta mea publice relecta, vel in civitate posita publice scindi fecit, atque in contemptum Sedis Apostolicæ apertius exiliit.* (Lib. 4, epist. 50, ordo vetus, ad Sabinianum diaconum.)

Anno 683. — Leo II ad Episcopos Hispaniæ mittens definitionem concilii œcumenici sexti : *Ut per universos vestræ provinciæ Præsules, sacerdotes et plebes, per religiosum vestrum studium innotescat, ac salubriter divulgetur* (T. I, conciliorum Germaniæ, col. 1731).

Anno 747. — Zacharias Papa, quosdam canones mittens, sancto Bonifacio mandat, *ut in sacerdotali collegio lectione pandantur.*

Anno 926. — Joannes VIII ad Episcopos Galliæ scribens hortatur, *ut has litteras per omnes diœceses suas publice relegentes, et ad vicinas paræcias dirigentes, præfatorum depositorum et anathematizatorum consortium quasi venenum pestiferum declinent.* (Conc. Harduini, t. VI, col. 118.)

Anno 982. — Benedictus VI mandat ut synodalis sua epistola *per manum carissimi confratris nostri Mironis Episcopi cunctis aliis Archiepiscopis et Episcopis deportetur.* (Conc. Harduini, t. VI, p. 1268.)

Anno 1204. — Legatus summi Pontificis Petrus de Benevento, celebravit concilium in urbe Montepesulana. In fine autem canonum sic legitur : *Præfata statuta in præsenti concilio edita publicari per omnes diœceses et ecclesias parochiales, ne quis ignorantiæ vitium possit prætendere ; et per singulos annos relegi in eisdem ecclesiis semel aut pluries secundum ordinationem Episcoporum diœcesanorum.* (Conc. Harduini, t. VI, p. 2052.)

Anno 1215. — Concilium Lateranense generale sub Innocentio III, de canone *omnis utriusque sexus* sic jubet : *Frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis adsumat.* (Conc. Harduini, t. VII, col. 35.)

Anno 1220. Honorius III excommunicat illos qui observari facerent *consuetudines vel potius abusiones introductas contra Ecclesiæ libertatem; et nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post hujusmodi publicationem sententiæ fecerint amoveri...* (Renaldus, ad annum 1220, n° 23.)

Anno 1253. — Innocentius IV prædictam excommunicationis sententiam ab Honorio III latam confirmans, mandat Episcopis Galliæ : *Illam tam in provincialibus conciliis et episcopalibus synodis quam alibi per vestras civitates et diœceses solemniter publicari.* (Renaldus, ad annum 1244, n° 23.)

Anno 1279. — Concilium Redingense archidiaconis mandat ut constitutio contra clericos concubinarios recitetur, *in quatuor anni principalibus capitulis... coram toto capitulo, exclusis laïcis... Si quis autem dicti statuti recitationem malitiose impedierit, excommunicationi subjaceat ipso facto* (T. VII, Conc. Harduini, p. 785).

III.

TERTIA EPOCHA.

A prima bulla in qua statuitur sufficere promulgationem factam in loco residentiæ Romani Pontificis.

Anno 1281. — Martinus IV die 18 novembris excommunicat imperatorem Græcorum Michaelem Palæologum ; in bulla autem hæc invenitur clausula : *Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas processum continentes eumdem, in majoris Urbevitanæ* (Orvieto, ubi tunc degebat Pontifex) *Ecclesiæ ap-*

pendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum quasi sonoro præconio et patulo indicio publicabunt; ita quod idem Palæologus et alii contra quos processus ipse contigit, nullam possint postmodum excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem; cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. (Bullar. Rom., t. III, part. 2, p. 30.)

Anno 1282. — Alia bulla Martini IV contra invasores Siciliæ, cum simili clausula (Concilia Harduini, t. VII, col. 899). — Et anno 1283 alia similis contra Petrum Aragoniæ regem (Bullar. Rom., t. III, part. 2, p. 38).

Ergo enormiter errat Van Espen (de promulgat. legum pontif., part. I, c. 3, § 7) asserens hanc clausulam ignotam fuisse ante Joannem XXII, et nec ab isto etiam Pontifice adhibitam inveniri. Mortuus enim est Joannes XXII anno 1334, et ecce jam Martinus IV illa clausula usus fuerat anno 1281. An autem ante Martinum IV jam in usu fuerit prædictus promulgationis modus, silent hucusque cognita monumenta.

Existimat doctissimus Zaccaria clausulam a Martino IV adhibitam in usu fuisse in omnibus processibus qui fieri solebant in Cœna Domini, et qui sub nomine *bullarum cœnæ* noscuntur; ac proinde jam ab Innocentio IV, anno 1254 fuisse usurpatam; cum in hujusmodi processibus idem constanter retineatur formularum stylus, et clausula Martini IV perpetuo adhibeatur usque ad Gregorium XIII, qui hanc clausulam paululum immutavit in eum modum qui nunc legitur.

Jam vero iste usus constitutiones pontificias Romæ tantum promulgandi perpetuo invaluit. Illo usi sunt, ut textibus probat Zaccaria (Dissert. II, della discip., p. 115, Faenza, 1788) :

Anno 1299, Bonifacius VIII; — anno 1309, Clemens V; — anno 1317, Joannes XXII; — anno 1375, Gregorius XI; —

anno 1390, Bonifacius IX; — anno 1461, Pius II; — anno 1588, Sixtus V; — anno 1601, Clemens VIII; — anno 1741, Benedictus XIV.

Eadem formula confirmatum est concilium Tridentinum a Pio Papa IV : *Ut hæc ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit,... ut hæ litteræ per aliquos curiæ nostræ cursores in basilica Vaticana principis Apostolorum et in ecclesia Lateranensi, tunc cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit congregari solet, palam et clara voce recitentur, et postquam recitatæ fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque cancellariæ apostolicæ, et in loco solito Campi Floræ affigantur, ibique ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur.*

Ejusdem formulæ fuit condemnatio Fenelonii ab Innocentio XII. Imo concilium Constantiense et concilium Basileense putaverunt hujusmodi promulgationem, id est, in urbe Constantiensi et Basileensi tantummodo factam, sufficere et omnes obligare : *Ut hujusmodi præsens processus,* ait concilium Constantiense, *ad communem omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas continentes eosdem in majori et sancti Stephani Constantiensis ecclesiarum valvis affigi;... ut prædicti quos processus concernent nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare;.. cum non sit verisimile remanere incognitum quoad ipsos, quod tam patenter fuit publicatum.*

Hæc historice præmittenda duximus de praxi quoad modum promulgandi leges ecclesiasticas. Nunc ad controversiam ipsam accedamus, et excutiamus utrum ex dicta praxi debeat concludi legum ecclesiasticarum in provinciis promulgandarum necessitas.

§ IV.

Promulgatio legum ecclesiasticarum in provinciis non probatur necessaria ex antiqua Ecclesiæ praxi.

Argumentum adversariorum, ex antiqua Ecclesiæ praxi depromptum, sic exhiberi potest : *Olim Romani Pontifices et concilia perpetuo curaverunt sua decreta promulgari in provinciis; ergo putaverunt hanc in provinciis promulgationem necessariam esse.* Vis autem istius argumenti in eo est, quod falsum esse nequeat quod tenuit antiqua Ecclesia; unde si putavit necessariam prædictam promulgationem, ut necessaria revera habenda est. Responsio autem ad illud argumentum sic vicissim paucis exprimi potest : Non negatur verum esse et semper fore quod tenuit antiqua Ecclesia; sed negatur illam existimasse necessariam in provinciis promulgationem legum; item negatur illam persuasionem antiquæ Ecclesiæ recte concludi ex ipsius praxi. Cujus responsionis veritas sequenti propositionum serie panditur.

Propositio 1. — *Praxis antiquæ Ecclesiæ circa promulgationem seu publicationem excommunicationum et suspensionum, perseveravit usque nunc.* — Romanorum Pontificum et conciliorum decreta in tres classes distinguimus : nempe sententias excommunicationum aliarumque pœnarum, decreta dogmatica, et decreta circa disciplinam. De unaquaque classe dicimus perseverasse antiquæ Ecclesiæ praxim. In hac autem propositione, quoad excommunicationes et alias censuras tantum, hanc praxeos identitatem asserimus.

Verum est olim multos summos Pontifices curavisse ut suæ sententiæ, quibus vel unam tantum personam determinatam, vel unam reorum classem, condemnabant et excommunicabant, aut ubique, aut in quibusdam provinciis publice divulgarentur. Id constat ex historica synopsi monumento-

rum in superiori paragrapho collectorum. Ita S. Gregorius Magnus, Eugenius III, Anastasius IV, Lucius III, Innocentius III, Honorius III. Et ex illo facto recte concluditur Pontifices illos putavisse, utiles fore ejusmodi publicationes.

Sed verum est etiam perseverasse hanc praxim usque ad recentiora tempora. Ad hoc testandum plene sufficit bulla Cœnæ quotannis a Romanis Pontificibus feria quinta majoris hebdomadæ tandiu renovata et confirmata. Licet enim summi Pontifices supponant et declarent multiplices excommunicationes quæ in ea et per eam fulminantur, obligare per solam publicationem Romæ factam, nihilominus injungunt omnibus orbis Episcopis, ut in sua quisque diœcesi eamdem bullam promulgent. Quod utile profecto est, tum ad majorem reorum confusionem, tum ut cæteri magis a talibus excommunicatis abhorreant, eosque diligentius devitent, tum etiam ut ignorantiam prætendentium mala fides clarius pateat. Item Leo X quando Lutherum et sequaces excommunicavit, licet declaraverit et voluerit bullam obligatoriam esse per solam Romæ et in duobus Alemanniæ ecclesiis promulgationem, nihilominus mandavit imperatori Carlo V, ut eamdem bullam publicari curaret in toto imperio et in Flandria. Ergo praxis publicandi in provinciis hujusmodi sententias in antiqua Ecclesia vigens, in recentioribus temporibus perseveravit.

Propositio 2. — *Ex eo quod ab antiqua Ecclesia curatum sit promulgari in provinciis prædictas sententias, non sequitur hanc promulgationem in provinciis tanquam necessariam ab ea reputatam fuisse.* — Ab actu ad posse valet consecutio; atqui recentiores Pontifices, licet minime necessariam reputaverint et declaraverint hanc in provinciis promulgationem, tamen propter utilitatem sæpe illam fieri mandaverunt; ergo non impossibile fuit antiquiores Pontifices, licet eamdem procuraverint, illam reputasse tanquam utilem tantum, et non tanquam ex natura rei necessariam. Hæc scilicet duo, quod non reputaverint hanc promulgationem necessariam, et

quod tamen illam usurpaverint, minime sese excludunt. Præterea, ex accidentalibus circumstantiis in quibus versabantur aliqui Romani Pontifices, difficilius aliquoties sententiæ excommunicatoriæ Romæ tantum publicatæ, in longinquis regionibus ubi rei degebant et ubi impediendum erat pestiferum cum eisdem commercium, potuissent cognosci. Nimirum tempore persecutionis non adeo palam vulgari sine periculo potuissent hujusmodi sententiæ; et etiam postea, non inventis typis, nec statuta epistolarum publica transvectione, operosum erat exemplaria authentica singulis provinciis destinata, transcribere, et per legatos quaquaversum mittere. Ergo potuerunt, propter accidentalem tantum illam et suis temporibus propriam difficultatem, Romani Pontifices regulariter et constanter requirere harum excommunicationum in provinciis publicationem : qui si nostris temporibus vixissent, sublatis istis difficultatibus, minime aut rarius eamdem requisivissent. Unde ex solo hujus praxis facto, nullatenus concludi potest in antiqua Ecclesia existimatam fuisse necessariam de jure naturali aut divino illam in provinciis publicationem.

Propositio 3. — *Praxis antiquæ Ecclesiæ promulgandi in provinciis decreta dogmatica, perpetuo usque ad recentiora tempora perseveravit.* — Verum est in antiqua Ecclesia Romanos Pontifices et Concilia constanter curavisse ut sua decreta dogmatica per provincias publicarentur. Hoc testantur facta in superiori paragrapho relata. Decreta concilii Sardicensis ad omnes ecclesias missa sunt. Item Epistola Zozimi Papæ. Item epistola sancti Leonis ad Flavianum ab episcopis debuit subscribi. Item Martinus Papa decreta concilii Lateranensis misit ad Amandum, ut ab Episcopis provinciæ suæ illa subscribi curaret. Marcianus imperator curavit in ecclesiis legi acta concilii Chalcedonensis. Gelasius Papa mandavit Episcopis Dardaniæ ut suam contra Acacium epistolam omnibus catholicis et schismaticis notam facerent. Leo II ad Episcopos

Hispaniæ misit sextæ œcumenicæ synodi subscribenda et confirmanda decreta. Nec inutilis erat ista antiquæ Ecclesiæ sollicitudo. Cum enim quæ ad fidem spectant adeo sint saluti necessaria, magni intererat ut definitiones dogmaticæ in iis præsertim regionibus ubi orti fuerant errores, quam accuratissime divulgarentur. Per illas ubique repetitas definitionum dogmaticarum promulgationes, confutabuntur errores et ad integritatem fidei errantes multi reducebantur.

Sed verum est etiam hancce praxim quoad decreta dogmatica nunquam cessasse. Sixtus IV anno 1478 ad archiepiscopum Toletanum misit litteras, quibus et damnabantur propositiones Petri de Osma, et referebatur ejusdem laudabilis abjuratio, et præcipiebatur ut contra eorum errorum sequaces procederetur. Vult autem Pontifex ut Archiepiscopus has litteras *singulis illarum partium Episcopis significare non omittat; qui post significationem eamdem, clero et populo suarum civitatum et diœcesium ea publicari procurent* (Bull. Rom., t. III, part. 3, p. 172). Anno 1487, Innocentius VIII quasdam propositiones postquam condemnasset, voluit ut curarent Ordinarii locorum istam condemnationem legi *per eorum civitates et diœceses in ecclesiis intra missarum solemnia* (loco citato, p. 211). Anno 1513, Leo X bullam, qua damnavit doctrinam de mortalitate animæ humanæ, publicari mandavit quotannis ab Ordinariis locorum et universitatum rectoribus. Nota est eadem de publicandis ubique decretis Tridentini concilii injunctio. Bulla S. Pii V contra Baianas propositiones publicata est ab Episcopis et universitatibus Belgii et in concilio Mechliniensi anni 1570. Idemque evenit quoad bullas contra Jansenisticos et Quesnellianos errores. Unde Romani Pontifices quoad decreta dogmatica nunquam recessere a vetere illa Ecclesiæ praxi, qua curabatur publicationem horum decretorum aut in omnibus diœcesibus fieri, aut in iis saltem, in quibus errores condemnati altius radices egerant.

Propositio 4. — *Ex eo quod in antiqua Ecclesia cura-*

tum sit ut decreta dogmatica in provinciis promulgarentur, non sequitur habitam fuisse ut necessariam illam promulgationem, ut inesset decretis hujusmodi vis obligandi. — Fatentur Gallicani, definitiones dogmaticas, tum conciliorum generalium, tum summorum Pontificum, obligare et semper obligasse omnes fideles, statim ac illis notæ factæ sunt, id est, etiam ante omnem in provinciis promulgationem. Requirunt tantum, quoad dogmatica ejusmodi decreta, Ecclesiæ dispersæ consensum (quod erroneum figmentum confutare non est hic locus). Cum ergo huic thesi a nemine contradicatur, in probanda illa non immorabimur. Et præterea totius controversiæ cardo circa decreta disciplinaria vertitur, de quibus in sequentibus propositionibus.

Propositio 5. — *Falsum est in antiqua Ecclesia nunquam obligatoria fuisse decreta disciplinæ, nisi in provinciis in quibus promulgata fuerant.* — Siricius Papa ad Himerium Archiepiscopum Tarraconensem : *Et quamquam statuta Sedis Apostolicæ, vel canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum; utilius tamen, et pro antiquitate sacerdotii tui dilectioni tuæ esse admodum poterit gloriosum, si ea quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur.* Mittit scilicet Siricius Papa quædam disciplinæ decreta ad Himerium, ipsi mandans ut illa non tantum Episcopis suæ provinciæ communicet, sed etiam Episcopis provinciæ Carthaginensis, Bæticæ, Lusitanæ et Gallicianæ. Et de illis dicit, non *esse liberum sacerdotibus illa ignorare*, sed *tamen utilius fore* et Himerio gloriosum, si per illum cæteris Episcopis ista decreta communicentur. Sed si necessaria et non tantum utilis fuisset promulgatio in singulis diœcesibus, *liberum e contra fuisset* sacerdotibus illa ignorare, donec in uniuscujusque provincia facta fuisset publicatio. Debuissetque Siricius ita loqui : *Licet omnes sacerdotes Domini aliis mediis cognituri sint decreta*

mea hæc ad te missa, tamen, cum necessaria sit promulgatio in unaquaque diœcesi ut obligatoria evadant, moneas omnes Episcopos ut hanc promulgationem faciant. Porro hoc non dixit, sed plane contrarium. Idem eruitur ex Innocentii ad Exuperium Tolosanum Episcopum epistola, in qua agitur de clericis ante ordinationem suam uxoratis, qui post præfata Siricii decreta commercium cum uxoribus nondum reliquerant : *Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticæ vitæ pariter et disciplinæ quæ ab Episcopo Siricio ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittetur... Si qui autem scisse formam vivendi missam a Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, qui post admonitionem cognitam præponendam arbitrati sunt voluptatem* (1). Clarum est Innocentium I ibi pœnam decernere contra clericos qui *notitiam* quocumque modo habuerunt de decreto sancti Siricii, et non excusari nisi eos qui probabunt se nullo modo illud decretum cognovisse. Ergo supponit per simplicem *notitiam* prædicti decreti, etiam absque ulla promulgatione speciali in diœcesi, obligatum fuisse quemlibet clericorum ad istud decretum observandum.

Idem innuitur ex epistola Zozimi Papæ ad Hesychium Episcopum Salonensem in Illyrico. Petiverat a Zozimo Hesychius, utrum monachi et laici possent promoveri ad sacerdotium, non susceptis ordinibus inferioribus. Cui Zozimus : *Hoc autem specialiter et sub prædecessoribus nostris, et nuper a nobis interdictum constat, litteris ad Gallias Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista præsumptio... Unde miramur ad dilectionem tuam statuta Apostolicæ Sedis non fuisse perlata* (Coustant, *Epist. R. Pont.*, p. 968). Ergo supponebat Zozimus Papa decretorum Sanctæ Sedis ad aliquos Episcopos authentice directorum sufficienter per to-

(1) Coustant, *Epistolæ Rom. Pontificum*, col. 792.

tum orbem notitiam spargi, et obligationem ex illa notitia oriri. Alioquin minime miratus esset litteras, ad Gallias et Hispanias directas, Episcopo in Illyrico existenti remansisse incognitas.

Ex illis autem factis fluere videtur hæc conclusio : Olim Romani Pontifices quoad decreta disciplinæ non putaverunt necessariam esse in provinciis singulis promulgationem, sed sufficere ad obligandum ubique eam publicationem quæ vel Romæ et in Romana synodo, vel in aliquibus tantum provinciis fiebat.

Propositio 6. — *Etiamsi certum esset olim Romanos Pontifices curasse sua decreta disciplinaria promulgari in qualibet provincia, non sequeretur ipsos reputasse necessariam hanc in singulis provinciis promulgationem.* — Nam minime repugnat ipsos ita egisse ex utilitate tantum et ob circumstantias supra descriptas, quæ difficiliorem reddebant legum pontificiarum authenticam notificationem. Potuerunt scilicet velle obligare universos fideles per decreta Romæ tantum aut in aliquibus tantum provinciis promulgata, et nihilominus curare ut ubique publicarentur. Nedum sese excludant ista duo, certum est illa postmodum in praxi fuisse. Pius IV mandavit omnibus Episcopis ut curarent decreta concilii Tridentini observari, et nihilominus interea assignavit tres menses a publicatione suæ bullæ Romæ facta computandos, post quos declaravit prædicta decreta fore obligatoria. Unde et obligatoria voluit esse post tres menses decreta hæc, et simul illa ubique promulgari mandavit.

Propositio 7. — *Ergo ex antiqua Ecclesiæ praxi minime concludi potest necessitas promulgationis legum pontificiarum in singulis provinciis.* — Sequitur ex præcedentibus. Nam 1° constat ex propositione quinta Romanos Pontifices olim reputasse obligatoria decreta sua in provinciis in quibus non facta fuerat promulgatio, modo in illas notitia decretorum pervenisset. 2° Tota hæc praxis antiquæ Ecclesiæ præcipue

consistit in eo quod mitterentur pontificia decreta præcipuis quibusdam Episcopis, cum mandato illa vicinis communicandi. Porro illa praxis minime arguit decreta hæc non fuisse obligatoria nisi per specialem in unaquaque diœcesi promulgationem; sed bene stare potuit cum voluntate et persuasione contraria, nempe obligatoria esse decreta statim ac cognoscebantur. 3° Etiamsi in antiqua Ecclesia statutum fuisset generaliter non obligatura hæc decreta nisi in singulis provinciis jam promulgata, non sequeretur illud statutum non potuisse mutari a Pontificibus subsequentibus : nam sustineri potest istud statutum seu illam praxim, in hypothesi quod revera extiterit, invaluisse, non ex eo quod reputaretur de jure naturali aut divino, sed ob circumstantias quæ tunc ita suadebant utilius esse. Unde mutatis circumstantiis potuit legitime illa praxis mutari. Deberent proinde qui ex ista praxi argumentantur demonstrare, primo praxim extitisse sicut illam supponunt, nempe de facto non fuisse obligatoria decreta in singulis provinciis non promulgata ; et secundo, hoc probato, deberent insuper probare ita statutum fuisse, non libere ob majorem utilitatem positis hujus temporis circumstantiis, sed ex eo quod hoc reputaretur necessarium ex jure naturali aut divino. Porro neutrum probant nec probare possunt. Uno verbo, quæcumque congessit Van Espen et alii, cum non evincant antiquam Ecclesiam reputavisse necessariam ex jure divino aut naturali promulgationem legum ecclesiasticarum in singulis provinciis, nihil omnino probant.

Propositio 8. — *Ex praxi sex ultimorum sæculorum, sequitur certissime, publicationem in provinciis non esse necessariam.* — Nam si verum est quidquid tenuit Ecclesia per sex priora sæcula, non minus verum est quod per sex posteriora sæcula tenuit. Ecclesia enim nunquam potest nec poterit tenere nisi veritatem ; et sicut *Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula,* ita Ecclesia olim, nunc et usque in finem mundi

permanet columna veritatis, circa dogma et disciplinæ generalis sanctitatem. Sed a sex sæculis Pontifices Romani obligatoria volunt et declarant decreta sua absque speciali in singulis provinciis promulgatione, et idem voluit concilium Constantiense, et assensit concilium Tridentinum, et fatentur ipsi Gallicani Sedem Romanam non posse aberrare in dogmate aut disciplina universali (nisi brevissime per transennam); ergo revera ut obligent leges ecclesiasticæ universos fideles, non necessaria est in qualibet provincia promulgatio.

Notandum est autem discrimen, inter praxim quam opponunt adversarii, et praxim quam allegamus. Ipsi dicunt: olim non obligabant decreta nisi ubi promulgata; et hoc falsum est, et saltem valde controverti potest. Nos dicimus: a sex sæculis volunt et declarant Pontifices Romani sua decreta obligatoria, etiam ubi non promulgata; et hoc nec controvertitur. Praxis ab adversariis allegata non probat disciplinam de promulgatione in provinciis fuisse invariabilem, utpote ad jus naturale vel divinum pertinentem: praxis quam allegamus probat illam promulgationis disciplinam neque de jure naturali, neque de jure divino esse, ac proinde potuisse tolli, si unquam extitit.

Propositio 9, seu confirmatio præcedentis doctrinæ. — *Evidens est utilitas disciplinæ nunc vigentis, qua nempe summi Pontifices volunt et declarant multa ex suis decretis obligatoria per solam Romæ promulgationem.* – Certum est irrita fore multa pontificia decreta, si a promulgatione in provinciis penderet ipsorum vis. In exemplo sint sententiæ excommunicatoriæ contra Palæologum, Petrum Aragoniæ, Philippum Pulchrum, Ludovicum Bavarum, aliosque principes. An unquam isti principes permisissent in suis regnis promulgari decreta, quibus excommunicabantur? Et tamen si sententiæ illæ fuerint justæ, quales hic supponimus, an debuit Ecclesia

destitui potestate reos illos coercendi et puniendi censuris? Leo X aperte dicebat propter potentiam principum Luthero faventium non posse promulgari suam bullam in locis in quibus forte degebat ille hæresiarcha cum suis sequacibus, et ideo bullam promulgari decrevit tantum Romæ et in duobus Alemanniæ ecclesiis. Ergo quia bulla hæc non poterat promulgari in diœcesi in qua degebant Lutherus et ejus sequaces, in hac diœcesi non debuit vigere excommunicatio? Et si plerique principes Europæ vi prohibuissent promulgari condemnationem et excommunicationem lutheranorum, non potuissent illi hæretici efficaciter excommunicari et damnari? Et ad tuendum hujusce doctrinæ monstrum, antiquis temporibus inauditum, appellatur ad illos priscæ Ecclesiæ Patres qui tam intrepidi semper ecclesiasticæ disciplinæ defensores et propugnatores extitere? Sed, inquiunt, illi antiqui Patres curabant sua decreta publicari per provincias. — Utique, quia non impediebatur ista publicatio : sed nunc, mutatis circumstantiis et obstante huic publicationi potentum violentia, si ideo a ferendis salutaribus et obligatariis decretis desisteret Apostolica Sedes, clamarent ex suis sepulchris, ait Zaccaria (1), antiqui illi Romani Pontifices deserendam esse praxim ex se indifferentem, et quæ olim possibilis et utilis, nunc solveret omnem disciplinæ nervum et in nihilum redigeret legislativam Ecclesiæ potestatem. Et ad quid illa in provinciis promulgatio? Numquid non fuit nota in toto mundo excommunicatio Napoleonis a Pio VII, quin opus fuerit illam intra missarum solemnia in cathedralibus Galliæ legere? Porro quod de decretis excommunicatoriis exempli gratia diximus, æque, ut patet, decretis multis circa disciplinam convenit. Illa etiam irrita sæpe fierent, si necessaria foret in provinciis promulgatio. Ergo tandem, si alia fuit

(1 Dissertazione II sulla disciplina, pag. 144, ediz. Faenza, 1788.

antiquæ Ecclesiæ praxis, mutanda fuit; quia legitime mutabilis, et quia jam noxia. Sed neque aliam fuisse probant adversarii.

Propositio 10. — *Confirmatur exposita doctrina curiæ Romanæ praxi.*—« In curia Romana, ait Suarez, totius orbis » lites definiuntur juxta leges pontificias Romæ publicatas, » etiamsi alibi promulgatæ non sint; quod non esset justum, » si in aliis locis illæ leges non obligarent absque speciali pro- » mulgatione in eis facta.... Potestque explicari exemplo ad- » ducto a Joanne Andrea, de quadam electione facta in una » provincia contra constitutionem pontificiam, quæ Romæ et » non in tali provincia erat promulgata, et nihilominus ir- » rita facta est. Idemque servari in regulis cancellariæ notat » Antonius Gomez. Præterea multa sunt decreta in jure ca- » nonico quæ nunquam fuerunt promulgata in singulis pro- » vinciis, sed tantum Romæ... Deinde multa sunt rescripta » Pontificum, vel bullæ, aut motus proprii, qui non sunt » inserti in communi jure canonico, et nihilominus censen- » tur obligare per solam publicationem Romæ factam. Quod » etiam in bulla Cœnæ videre licet : universaliter enim obli- » gat, cum tamen raro in singulis episcopatibus publicetur. » (*De legibus*, l. IV, c. 14, n. 6.) Ex hac autem praxi curiæ Romanæ sic argui potest : Ad Sedem Romanam pertinet controversias pro universa Ecclesia dirimere; ergo et quoad controversiam hanc (an scilicet necessaria sit promulgatio in provinciis), ad tribunal Romanum quando orientur lites aut dubia practica recurrendum erit, et ipsius decisioni standum; sed certum est, ex supra allegata Romanæ curiæ praxi, decisionem fore semper systemati gallicano contrariam; ergo practice jam Sedes Romana falsum systema illud declarat, rejicit ac reprobat.

§ V.

Quomodo varia decreta pontificia promulgari soleant.

« Nihil apud pristinos ecclesiasticos auctores legitur de » speciali aliqua publicationis forma quam Romani Episcopi » in promulgandis suis decretis servarint. Quo vero tempore » Ecclesia Romana cœperit specialem publicationis formam » hodie usitatam assumere incertum est. Hoc constat, quod » tandem invaluerit publicationis modus per affixionem » decretorum seu bullarum in locis quibusdam publicis » urbis Romæ. Decreta quippe Romana sive immediate a » Pontifice, sive a congregationibus cardinalium in modum » legis concepta, consuevere per cursorem apostolicum affigi » et publicari ad valvas basilicæ principis apostolorum, » ecclesiæ Lateranensis, vel in acie Campi Floræ, aliisque » locis solitis, uti ad calcem decretorum et bullarum, qua- » rum facta est publicatio, passim exprimitur. Si autem » decreta dumtaxat concernant certum tribunal, tunc pu- » blicatio fieri consuevit in illo ipso tribunali, ut per eam » ad notitiam deveniant eorum ad quos decreta illa spec- » tant. Hac forma publicari consueverunt a singulis Pontifi- » cibus regulæ cancellariæ, in ipsa cancellaria per unum » ex RR. PP. DD. majoris Pœnitentiæ abbreviatoribus, » eo quod hæ regulæ sive ordinationes primitus ad direc- » tionem cancellariæ fuerint ordinatæ, et principaliter ad » hoc tribunal pertineant. Similiter si decreta spectant » particulare aliquod corpus, aut institutum, vel religio- » sorum ordinem, consueverunt ea dirigi ad superiores » vel directores istius corporis, instituti vel ordinis, ut hi » ea notificent omnibus quorum illa scire interest. De lege » nova a summo Pontifice lata, utrum ea obliget statim,

» an post duos menses, juxta authenticam *ut factæ novæ* » *constitutiones*, quæri solet. Negant communiter doctores. » Pontifex in modo ferendi legem suam et obligationem in- » ducendi non acceptavit authenticam *ut novæ constitutiones* » quoad primam partem, scilicet quoad publicationem fa- » ciendam in qualibet provincia : ergo neque quoad secun- » dam, nempe duorum mensium : quia hæc acceptatio neque » probatur aliquo textu juris canonici, quo Pontifices decla- » rarent velle se adhibere leges civiles pro modo ferendi vel » obligandi Ecclesiam per leges suas, neque probatur con- » suetudine, ut fidem suam interponunt graves auctores et » specialiter Vasquez et Navarrus, qui dicunt de consuetu- » dine et stylo in Urbe servari, ut constitutionum Apostoli- » carum transgressores, ante duos menses a promulgatione, » puniantur. » (Apud Politi, *Jurisprudentia eccles. univ.*, t. I, proœm. quæst. 3.)

Hanc dissertationem de requisita legum pontificiarum promulgatione antequam claudamus, obviam eundum est alicui difficultati, quæ adhuc menti occurrere posset : cur nempe dum Justinianus utilem duxit pro legibus imperialibus in provinciis singulis promulgationem, non idem censeretur quoad leges ecclesiasticas ? Cui objectioni respondisse reperimus Joannem Politi, dum sic breviter quæstionem de promulgatione expedit :

« Cum Hierosolymis concio habita fuit anno Christi 51, et » quæstio de circumcisione dirempta, lexque de suffocatis et » sanguine lata (Act. 15), selecti fuerunt Judas cognomine » Barsabas et Silas, qui una cum Paulo et Barnaba Antio- » chiam, ubi quæstio illa exarserat, cum mandatis concilii » proficiscerentur. Siricius summus Pontifex, qui sedit sæcu- » lo IV exeunte, litem ita solvere videtur : satis esse consti- » tutiones in Urbe editas esse, sed satius in provinciis : » *Quanquam*, ait ille, *statuta Sedis Apostolicæ nulli sacerdo-* » *tum Domini ignorare sit liberum, utilius tamen erit si in*

» *universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur.* » Concilium Lateranense constitutionem *de medicis,* et con- » cilium Tridentinum de *matrimoniis clandestinis* decretum, » in singulis provinciis edi voluerunt, quæ duæ sane excep- » tiones contrariam regulam firmare videntur. Ideo fortasse » peculiaris promulgationis forma horum duorum canonum » decreta fuit, quod ad laïcos ii pertinerent, quibus non, uti » clericis præceptum est, ut canonum legumque ecclesiasti- » carum cognitionem sibi pariant.

» Hinc oritur discrimen inter leges civiles et ecclesias- » ticas. Nam cum leges civiles vim suam in laicos etiam » exerant, quorum omnium non est legum studio insudare, » opus est ut in singulis locis edantur; quod minime dicen- » dum de clericis, qui omnium canonum cognitionem ex » instituto sibi debent comparare. Adde difficultates maximas » promulgandi canones in singulis provinciis, tum propter » immensos terrarum tractus quos complectitur Ecclesia, » tum propter vim quæ hujusmodi promulgationibus præci- » pue ab religione extorribus afferri solet; ita ut longe faci- » lius sit clericos earum constitutionum quæ Romæ eduntur » cognitionem capere, quam summum Pontificem eas tam » longa, tam difficili, tam impedita promulgatione erogare.» (Joannes Politi, *Jurisprudentia ecclesiastica universa,* t. I, proœm., quæst. 3.)

CAPUT VII.

DE VARIIS CONSTITUTIONUM SEU LITTERARUM APOSTOLICARUM SPECIEBUS, NOMINIBUS, ET EXPEDITIONIBUS.

Huc usque voce illa *constitutionis* usi sumus in generali sensu, pro quolibet nempe scripto quo Romanus Pontifex aliquid decernit circa res ecclesiasticas. At multiplex distin-

guitur pontificiorum hujusmodi scriptorum species ; et variis solent nominibus designari, pro varia eorum sive materia, sive forma.

§ I.

Variæ species quoad materiam.

Attenta litterarum Apostolicarum materia, id est, natura rei de qua agunt et decernunt, dividi possent in *ordinationes communes* aliquid pro tota communitate, id est, pro tota Ecclesia, vel saltem pro notabili aliqua Ecclesiæ parte determinantes ; et in *ordinationes particulares* quæ pro aliqua privata persona tantum, aut pro casu transitorio aliquid determinant. Sed hæc nomina non sunt in usu, et illa hic ideo tantum ponimus ut commode et juxta rei naturam sub hac partitione distribuantur sequentes species cum usitatis suis denominationibus.

I. *Ordinationes communes,* seu communitatem aut partem communitatis attingentes, sunt et dicuntur vel *constitutiones* proprie dictæ, vel *decreta,* vel *decretales epistolæ,* vel *encyclicæ.*

1° *Constitutiones* proprie dictæ nuncupantur litteræ pontificiæ quatenus considerantur tanquam aliquid permanenter pro communitate aut parte communitatis statuentes, et opponuntur statutis particularibus, quæ vel non permanenter, vel pro privatis tantum personis decernunt.

2° *Decreta* ex hodierno stylo, sunt eædem dictæ constitutiones quatenus considerantur tanquam editæ a Romano Pontifice, non ex aliorum relatione aut consultatione, sed motu proprio, et adhibito vel non adhibito cardinalium consilio. Vocantur etiam *motus proprii.* Sæpe tamen denominatio *decretorum* generali sensu usurpatur pro qualibet lege

pontificia, sicut et vox *constitutio*. Imo usurpatur et pro tota aliqua legum ecclesiasticarum collectione, in quo sensu dicitur decretum Gratiani, decretum Ivonis, decretum Burchardi, etc. Item decisiones congregationum Romanarum hoc nomine gaudent.

3° *Decretales epistolæ* non differunt a *decretis* pontificiis, nisi in eo quod eduntur ex relatione, consultatione aut postulatione sive Episcoporum, sive aliorum; et vocantur etiam *responsa* per oppositionem ad *motus proprios*. Sed generaliori sensu decretales summorum Pontificum vocabantur olim et adhuc vocantur quæcumque Romanorum Pontificum leges ecclesiasticæ et statuta. Quamvis autem pleræque decretales pro privatis causis scriptæ sint, quum tamen ea mente compositæ sint, ut ad similes casus decidendos inservirent, vim canonis generalis habent, *quum in similibus causis*, ait Innocentius III, *cæteri teneantur similiter judicare, nisi forte cum aliquid, causa necessitatis aut utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum*. (C. 29, *de Sentent. et re jud.*)

4° *Encyclicæ* dicuntur prædictæ constitutiones, seu decretales, quatenus diriguntur ad Episcopos totius orbis, vel alicujus regionis; quod usurpari solet a summis Pontificibus, quando vel de aliquo puncto doctrinæ, vel de aliquo tollendo abusu, vel de aliqua disciplina ab ecclesiis uniformiter servanda decernunt.

II. Sub *ordinationum particularium* membro veniunt illæ epistolæ, quibus Romani Pontifices respondent aut supplicantibus pro aliqua gratia, aut referentibus de particulari aliquo negotio, aut dispositionem aliquam pro re transitoria aut pro privata persona postulantibus. Hujusmodi epistolæ *Rescripta* vocantur. Dicuntur etiam *diplomata*, eo quod membranæ quibus inscribuntur in duas plicas contrahi soleant.

§ II.

Variæ species quoad formam.

Si ad formam attendatur, omnes Romanorum Pontificum litteræ de rebus ecclesiasticis statuentes, duplici classe comprehenduntur, *bullarum* scilicet et *brevium*. Omnes enim litteræ pontificiæ quæ non sunt sub forma bullæ, sunt sub forma brevis, et vice versa. De utraque forma quædam exponemus quæ juris canonici studiosos ignorare non decet.

I.

De nomine bullæ, de forma bullas constituente, et a quo tempore invaluerit hæc forma.

1. De etymologia vocis bullæ disputant eruditi. Alii illam derivant a vocabulo græco βουλή, tantisper depravato per additionem unius l. βουλή autem idem Græcis est quod Latinis *consilium* et *voluntas*. (Opnigh., de Jure sigillorum, c. 3, § 2, n° 1.) Carolus Dufresne, in suo Glossario, voce *Bulla*, tradit bullam vocari a *boule*, quo nomine nuncupabantur ornamenta quædam orbicularia : porro sigilla formam orbicularem habent. Sed quidquid sit de vocis etymologia,

2. Certum est bullam proprie olim vocatum fuisse sigillum imperatorum et regum, quod apponere consueverant litteris ardua continentibus. Hinc bullare et sigillare sunt voces synonymæ. Et in græco etiam idiomate βουλλεύειν significat sigillare, et ἀβούλλωτον dicitur quod bulla seu sigillo caret. Nomen autem ex sigillo ad litteras ipsas transiit, ita ut litteræ istæ vocatæ sint *litteræ bullatæ*, seu simpliciter *bullæ*. Ex multiplici materia, nempe ex auro, argento, plumbo, etc.,

fiebat hujusmodi sigillum. Quando adhibebatur aurum, litteræ vocabantur *bullæ aureæ*.

3. De tempore vero quo cœperint Romani Pontifices hujusmodi sigillis uti, sic exponit cardinalis Petra (Comment. in Const., t. I, p. 4, edit. Romæ, 1705) : « Deveniendo nunc ad » bullas summorum Pontificum, quæ sunt litteræ sigillatæ » plumbo, recolere oportet Agathonem Papam qui regnavit » anno 360, signasse litteras omnes cera; sed ob excrescen- » tiam pontificiorum diplomatum, usus obtinuit litteras apos- » tolicas magni momenti plumbeo sigillo muniri, ut tempore » Stephani III anno 410, vel Hadriani Primi anno 772 serva- » tum fuit, referente Polydoro Vergilio. Verum diplomata » vetustiora se vidisse cum sigillo plumbeo signata testatur » Dominicus Raynaldus, nempe tempore Sylvestri Papæ in » quadam bulla quæ asservatur in archivio Aretino; et in » archivio Castri S. Angeli similiter asservari vetustissima » diplomata in papyro ex frutice confecta, plumbo etiam ob- » signata, summorum Pontificum Leonis I, Gregorii Magni, » ac Sergii. Hinc Bromptonus (pag. 1718) dixerat usum » plumbi exstitisse tempore divi Gregorii; quod et tradidit » Thomas Stubbius, ut refert... Mabillon (De re diplomatica, » libro II, c. 14, n. 7 et seq.). »

» Unde ex usu duplex servatur modus scribendi per sum- » mos Pontifices : alter sine sigillo plumbeo, et hæ paginæ » *Brevia* dicuntur; alter cum appositione sigilli plumbei, quæ » vere *bullæ* nuncupantur. »

Idem cardinalis Petra postquam exposuit sigillo aureo usos fuisse, non tantum imperatores Germaniæ, sed etiam aliarum gentium reges et duces, et imperatores Turcarum, sic disserit de eodem usu apud summos Pontifices.

« Summi quoque Pontifices hunc usum habuerunt bullæ » aureæ; ut in diplomate quo Clemens VII titulum defensoris » fidei contulit Henrico VIII Angliæ regi fuisse appensam » bullam auream testatur Spelmannus; quamvis Dominicus

» Raynaldus asserat non consuevisse summos Pontifices uti » bulla aurea nisi in diplomatibus, quibus electiones imperatorum confirmabant. » (Loco citato.) Mabillon et Dufresne idem dicunt ac Raynald, et addunt usum bullæ aureæ apud imperatores Germaniæ dumtaxat frequentem fuisse.

4. Quod ergo constituit bullam in ratione bullæ, et distinguit proprie eam a brevibus, est illud sigillum plumbeum (raro aureum) quod filis sericis vel cannabeis membranæ appenditur.

Sunt tamen et aliæ differentiæ bullas inter et brevia : 1° hæc pro levioribus, illæ pro gravioribus negotiis dari solent. 2° Brevia latino eleganti charactere, bullæ charactere longobardico aut teutonico scribuntur. 3° In brevibus servatur orthographia ordinaria; in bullis non adhibentur puncta, et nihil ponitur ad lineam, nec servatur orthographia sicut in brevibus. 4° Bullæ incipiunt, *Pius servus servorum Dei,* non in medio et in forma tituli, sed a capite versiculi : in brevibus vero inscribitur sub forma tituli, *Pius Papa IX.* 5° In bullis data temporis apponitur cum longiori formula : cum breviori in brevibus. 6° Brevia expediuntur per cardinalem a secretis brevium : bullæ alio modo, ut dicetur infra. 7° Pro bullis crassæ et subobscuræ membranæ : pro brevibus albæ et subtiles adhibentur.

II.

Quomodo expediantur bullæ.

« Expeditio bullarum fieri solet quatuor modis, nempe » per Cancellariam, per Cameram, per viam secretam, et » demum per viam Curiæ. (Rota, decis. 554 et 560, p. 5 » recent.)

» *Per Cancellariam* universaliter expediuntur bullæ eccle- » siarum cathedralium, erectionum collegiatarum, provi-

» sionum beneficiorum, dispensationum matrimonialium
» de majori, monasteriorum tam consistorialium quam alio-
» rum, et similium.

» Hujusmodi expeditiones, utpote concernentes varias ma-
» terias et designantes majus decus Sedis Apostolicæ, a plu-
» ribus officialibus Cancellariæ revidentur et subscribuntur,
» qui habent officia vacabilia partim prælatitia et partim
» non; et sic manus apponunt scriptores apostolici; abbre-
» viatores minoris gratiæ; sollicitatores litterarum apostoli-
» carum, Janizari vocati; et eorum capellani; abbreviatores
» de Parco Majori; nec non Regens Cancellariæ cum litteris
» L. et C., hoc est *lecta correcta*, cum prima littera nominis
» dicti regentis; custodis supplicationum. Et postea plum-
» bantur per ministrum deputatum a Præside plumbi...;
» quod plumbum seu sigillum (1) servatur in Palatio Vati-
» cano. Et plumbatæ litteræ registrantur a Capserio plumbi
» apud cardinalem Vicecancellarium, apposita per unum
» magistrum Registri... littera R. a tergo bullæ (id est *Re-
» gistrata*), cum nomine et cognomine... Expensæ sunt variæ
» secundum varietatem materiæ, præsertim quoad episco-
» patus et monasteria descripta in libris Cameræ.

» *Per Cameram* expediuntur necessario coadjutoriæ, et
» aliquando erectiones collegiatarum, et rerum perpetua-
» rum monasteriorum consistorialium juxta taxam in libris
» ejusdem Cameræ; hocque remanet in arbitrio expedito-
» rum, potius in Camera vel in Cancellaria expediendi. . Ex-
» pensæ sunt variæ...

» Per *secretam viam* expediuntur provisiones omnes quæ
» fiunt familiaribus propriis a Papa, et pro iis quibus ex
» speciali gratia permittitur. Hæ litteræ seu bullæ scribun-
» tur a scriptore deputato qui dicitur Scriptor secretus, et

(1) Mortuo Papa, illud sigillum frangitur; et similiter sigillum dictum *annulus piscatoris* frangitur per cardinalem camerarium.

» plumbantur juxta prædicta; ac revidentur postea a mi-
» nistro præfato cardinalis Vicecancellarii, et summista,
» nempe scribendo sic : *pro eminentissimo et reverendissimo*
» *D. cardinali summatore NN... :* et postea, *visa NN;* et re-
» gistrantur in Secretaria brevium. Expensæ vero sunt parvi
» momenti et juxta varietatem gratiarum.

» Demum expediuntur bullæ *per viam Curiæ,* quæ con-
» cernunt leges et constitutiones pontificias et alias materias
» ex motu proprio Papæ, et aliquando pro rebus nepotum
» vel aliorum ex gratia specialissima Pontificis; et scribuntur
» per dictum scriptorem secretum; et post solitum plum-
» bum, subscribuntur ab abbreviatore Curiæ... Nec ulla fit
» expensa, nisi pro mercede simplicis laboris.» (Card. Petra,
loco citato, p. 8.)

III.

De nomine *brevis*, de ejus forma, et a quo tempore invaluerit.

« *Breve* illud dicitur, ubi non apponitur sigillum plum-
» beum, sed in eo signum fit ex cera rubra, cum sigillo
» quodam qui dicitur *Annulus Piscatoris...* Diciturque *breve,*
» quasi quod ibi summatim rescribitur et brevioribus verbis
» quam in bullis, in quibus magis pontificia dignitas expli-
» catur atque longiori sermone. Dicitur Annulus Piscatoris
» ille quo signantur brevia, quia simpliciter eo usus fuisse
» D. Petrus fertur; continetque imaginem D. Petri, eo modo
» quo e navicula in mari piscabatur.

» A quinque circiter sæculis usus inolevit in brevibus ap-
» poni Annulum illum in cera rubra, cum prius appone-
» retur etiam sigillum plumbeum.» (Card. Petra, t. I, p. 5,
» edit. Romæ, 1705.)

» Olim ait Mabillonius (*De re diplomatica,* t. II, cap. 14,
» § 2), tam brevibus quam bullis idem sigillum plumbeum

» apponebatur : nec scio an multum ante annos 400 inven-
» tus sit Annulus Piscatoris. De eo quidem nihil ego legi
» antiquius quam quod refert Massonus in Clemente IV, qui
» anno 1264 Pontifex renuntiatus, epistolam ad Ægidium
» Grossum consanguineum suum ita concludit : *Non scribi-*
» *mus tibi, nec consanguineis nostris, sub bulla, sed sub Pisca-*
» *toris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis utuntur.*
» Nondum quippe in brevibus usitatum erat istud sigillum,
» sed in litteris privatis, in quibus modo Pontifices symbolis
» gentilitiis (armoiries) utuntur. Certe quotquot vidimus
» ante id tempus minutas Pontificum litteras, quantumvis
» breves et exiles, sigillum plumbeum habebant appensum.
» Brevibus appositus est Annulus Piscatoris saltem sæculo 15,
» qualia sunt brevia Callisti III et Pauli II. »

IV.

Quomodo expediantur brevia.

« Subscribuntur tantum... a secretario brevium, qui solet
» esse aliquis Prælatus maximæ doctrinæ, præsertim circa
» canones antiquos conciliorum et apostolicas constitutiones,
» et versatus in variis stylis Sedis Apostolicæ pro conce-
» dendis gratiis. Et licet adfuerit collegium secretariorum,
» ad quod tale onus incumbebat, tamen quandoque uni
» ex dicto collegio, quandoque alteri etiam Prælato extra
» committi consuevit. Imo etiam apud Cardinales hoc
» munus fuit... Licet antiquitus Romani Pontifices cum
» his brevibus expediebant negotia circa justitiam tan-
» tum, hodie tamen concedunt etiam gratias. Atque per
» istam secretariam concedi solent indulgentiæ, privilegia in
» altaribus... Necnon expediuntur indulta pro cardinalibus
» legatis et nuntiis apostolicis et etiam regibus. — Et quoad
» indulgentias expediuntur gratis, existente taxa moderata
» pro aliis expeditionibus. — Maxima fides habetur D. Mi-

» nistro exercenti munus adeo fiduciarium secretarii bre-
» vium; cujus quippe opera expediuntur graviora negotia
» Papæ, et ejus tantum subscriptio adhibetur in brevibus,
» cum sigillo facile delebili annuli Piscatoris. Ideo registran-
» tur in libris expeditiones cum minutis seu matricibus sub-
» scriptis per ipsum Papam, quæ minutæ conservantur in
» archivio apostolico: exceptis aliquibus quæ absque tam
» exacta diligentia conceduntur... Nam fraudis timor in his
» materiis cessat, quarum nemini concessiones denegari so-
» lent, nempe altare privilegiatum, etc.

» Est et aliud brevium genus, et sunt illæ litteræ quæ
» solent expediri pro delegationibus causarum extra Curiam;
» quæ fiunt ab alio secretario brevium. — Ita etiam adsunt
» brevia sacræ Pœnitentiariæ, quæ diversam ab his habent
» formam, sigillum et ministros. — Erronee autem ab exte-
» ris dicuntur *brevia*, aliæ expeditiones Romanæ curiæ,
» quæ etiam scribuntur in membranis, puta monitoria apos-
» tolicæ Cameræ et hujusmodi. » (Card. Petra, commentaria in apostolicas constitutiones, t. I, p. 5 et 6, edit. Rom., 1705.)

CAPUT VIII.

CONCLUSIO TOTIUS SECTIONIS DE CONSTITUTIONIBUS PONTIFICIIS TANQUAM JURIS ECCLESIASTICI FONTE.

1° Ex his quæ de tanti momenti materia disseruimus, erui debet hæc generalis conclusio, constitutiones apostolicas esse fontem, et quidem præcipuum juris ecclesiastici.

2° Inter decreta pontificia jus facientia reponi non debent litteræ illæ quæ *rescripta* dicuntur, et quæ pro privata aliqua persona aut negotio aliquo transitorio decernunt. De istis rescriptis ita Benedictus XIV (*de Synodo diœc.*, l. 9, ch. 8,

n. 2) : « In horum concessione sive expeditione nihil facilius » est quam ut aliquando Pontifices decipiantur, vel falsa re- » rum enarratione, vel occultatione alicujus veritatis, quam » si notam habuissent, nunquam ea concessissent aut man- » dassent quæ alicujus vitii arguuntur. Verum in hisce casi- » bus quidquid ab eis per subreptionem aut obreptionem im- » petratum est, ipsi haud inviti abrogant; uti apparet ex capite » *super litteris, de rescriptis :* nec ullo modo ægre ferunt, si » executores quibus mandatum commissum est, executionem » suspendant, atque interim accuratas rei mittant notitias, » quibus certiorem reddant Pontificem cur illius mandatum » non duxerint exsequendum. Celebris est decretalis Alexan- » dri III (cap. *Si quando, de Rescriptis*) cujus hæc sunt verba : » *Sicut vir providus et prudens et discretus qualitatem negotii* » *pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum* » *nostrum diligenter adimpleas, aut per litteras tuas quare* » *adimplere non possis sufficientem et rationabilem causam* » *prætendas; quia patienter substinebimus, si non feceris quod* » *prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Congruit senten- » tia alterius decretalis (nimirum cap. *Cum teneamur, de* » *Præbendis*), ubi sequentia leguntur verba : *Si non potest ei* » *sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo* » *mandatum nostrum non duxeris exsequendum.* »

Ad hoc mandatorum genus spectat dictum sancti Ivonis Carnutensis Episcopi, ad Willelmum Philippi regis dapiferum : *Vidi enim litteras,* inquit, *quas misit Dominus Urbanus apostolicus ad omnes Archiepiscopos et Episcopos regni sui, ut eum ad rationem mittant, et nisi resipuerit, ecclesiastica eum disciplina ad emendationem venire constringant. Hæ quidem litteræ jam publicatæ essent; sed pro amore ejus feci eas adhuc retineri, quia nolo regnum ejus, quantum ex me est, adversus eum aliqua ratione commoveri. Hæc omnia volui dicas Domino nostro regi.* (*Antifebronius Vindicatus,* t. IV, p. 262, edit. Cesenæ, 1772.) — Item ad hujusmodi rescripta pertinent

quæ dixit Innocentius III (in cap. *Licet, de foro competenti*). — Item quæ commemorat et statuit synodus Coloniensis, anni 1536 *de diplomatis et dispensationibus extortis præter summi Pontificis mentem* (Concilia Germ., t. VI, p. 251). Hæc notanda voluimus, quia non pauci auctores gallicani, ex errore existimantes hæc generaliter dici de legibus seu decretis pontificiis proprie dictis, cum non dicantur nisi de rescriptis inter constitutiones legislativas minime computandis, inde putant cum Febronio se legitime posse argumentari ad vindicandum Episcopis jus resistendi legibus ecclesiasticis Romanorum Pontificum.

3° Certum est posse merito præsumi quoad quædam decreta disciplinaria summorum Pontificum, ipsos nolle hæc decreta esse obligatoria nisi acceptentur. Unde sequitur bene tunc posse Episcopos obligationem suspendere per non-acceptationem seu potius per acceptationis dilationem, et interim supplicationem ad sanctam Sedem dirigere. Pro quibusnam vero decretis pontificiis legitima sit hæc præsumptio, pro quibus non, aliqualiter supra indicavimus; sed valde dubium aliquando esse potest.

4° Non requiritur ulla principum sæcularium acceptatio, nisi forte summus Pontifex per aliquod concordatum ad vitanda majora mala ita concesserit : talis autem concessio aliquam semper in summum Pontificem violentiam arguit; non enim fieret si princeps aut populus quæ debent auctoritati pontificiæ non denegarent.

5° Multa decreta pontificia possunt esse de eo legum genere quæ per desuetudinem aut consuetudinem contrariam abrogantur. Et ideo multa possunt ex eo titulo non esse jam obligatoria, sive peccaverint sive non, qui initio legem non servaverunt. Unde non satis est ut aliqua exsistat obligatio, inveniri sive in corpore juris, sive extra, aliquod decretum pontificium ita statuens, sed recognoscendum est utrum consuetudo obligationem abrogaverit. Sic pariter multæ

leges concilii Tridentini certo non vigent etiam in locis ubi publicatum fuit.

6° Et sic intellecta (sicut illam intelligunt orthodoxi doctores) legislativa Pontificis Romani potestas, minime videri debet convenienti auctoritati Episcoporum adversa aut derogans. Si enim diœcesi suæ minus utilis lex aliqua pontificia generalis alicui Episcopo visa fuerit, patet semper ad sanctam Sedem relatio et supplicatio. Si vero, rationibus expositis, errare Episcopum existimet et judicet summus agnorum et ovium Pastor, velle nihilominus pastorem ovi, non ovem pastori cedere, rebellionis prorsus doctrina est, et institutionis Ecclesiæ subversiva; quam doctrinam necessario nexu et iisdem rationibus proxime sequeretur presbyterianismus, id est, Episcoporum clero secundi ordinis subjectio.

SECTIO III.

DE CANCELLARIÆ REGULIS TANQUAM JURIS CANONICI FONTE.

Regulæ cancellariæ, in quantum ad jus commune seu universale pertinent, non constituunt diversum ab eo, quem modo memoravimus, constitutionum pontificiarum fontem; cum hujusmodi regulæ, ut infra exponitur, nihil aliud sint quam quædam Romanorum Pontificum decreta de nonnullis disciplinæ generalis materiis statuentia.

De iis tamen separatim disserere opportunum duximus. Tot enim ingesta sunt, viris etiam pietate et doctrina in clero prælucentibus, hac de re præjudicia, ut nulla magis ex parte Romanæ Sedis potestas *in signum cui contradicatur* posita videri possit. Excessisse Romanam Sedem in ferendis hujusmodi decretis, inclamant heterodoxi : num ad archæologiam

juris canonici referendæ sint hodie cancellariæ regulæ, quasi antiquatæ jam et nullo legislativo pollentes robore, inquirunt catholici. Interea Romanus quilibet Pontifex, altero post electionem suam die, easdem regulas firmas declarat ratasque permanere.

Intactam rem silentio pertransire non sinebat harum Institutionum scopus. Eam autem pro posse excutiemus hoc ordine : 1° Quid sint regulæ cancellariæ, et quomodo inductæ. 2° An in præcipua cancellariæ regularum parte, in qua nempe multæ beneficiorum collationes decernuntur Romano Pontifici reservatæ, sancta Sedes potestatem suam excesserit. 3° An regulæ cancellariæ vim legis universalis habeant et fontibus juris canonici sint annumerandæ. 4° An etiamnum vigere censendæ sint, et quid quoad Galliam concludendum videatur.

CAPUT I.

QUID SINT REGULÆ CANCELLARIÆ ET QUANDO INDUCTÆ.

Regulæ cancellariæ dicuntur quædam decreta quibus summi Pontifices regi voluerunt cancellariam Romanam, et quibus insuper non pauca alia pro toto orbe catholico sanxerunt.

«Hodie cancellariæ regulæ numerantur 72; in quas, præter » cæteros, commentarios scripsit omnium uberrimos atque » accuratissimos, et quatuor tomis comprehensos Joannes » Baptista Rigantius» (Devoti, *Prolegomena in jus canonicum*, cap. 20, § 7).

« Sub Pontifice Joanne XXII, qui, Avenione residens, ab » anno 1316 usque ad annum 1334 pontificatum tenuit scrip- » tas primum fuisse vulgatasque cancellariæ regulas, satis » constat. Quamvis enim de cancellaria apostolica, nempe de » loco, in quo litteræ gratiæ et justitiæ expediebantur, memi- » nerint summi Pontifices Lucius III et Innocentius itidem III

» (in cap. *Ad hæc* et seq. *de Rescriptis;* et cap. *Porrecta, de* » *confirmatione utili;* et cap. *4, de Crimine falsi*); et quamvis » sub vice-cancellario officiales cancellariæ etiam adessent, » præsertim scriptores (de quibus idem Innocentius, in c. » *Cum dilectus, de clericis non resid.*), ac etiam abbreviatores » et registrum...; attamen non regulis scriptis, sed solo » stylo (1) et vivæ vocis oraculo expediebantur negotia. Suc- » cessores vero Pontifices, præcipue Nicolaus V, aliique, in » hanc qua hodie utimur formam regulas redegerunt.

» Sed quod diximus adfuisse etiam ante Joannem XXII can- » cellariæ regulas, sed nondum scriptas, non ita accipiendum » est ut credatur exstitisse omnes regulas, præcipue reserva- » torias, quales hodie sunt in usu. Siquidem distinguendæ » sunt tres classes regularum cancellariæ.

» *Prima* est illarum, quæ litterarum apostolicarum expe- » ditiones concernunt et quibus instruuntur officiales de litte- » ris præfatis expediendis. Hæ regulæ, quamvis non scriptæ, » aderant ante Joannem XXII... Nec alia de causa ab initio » regulæ cancellariæ scriptæ fuerunt, quam pro faciliori in- » structione officialium, litterarum expeditionibus operam » suam præstantium... Antiquorum Pontificum regulæ, nil » aliud fere quam exspectativarum (2) ordinationes contine- » bant. Quod patet ex regulis Joannis XXIII et Martini V, quæ » sunt antiquiores, quas vidisse mihi contigit...

» *Secunda* classis est regularum quæ vocantur *judiciales*... » Has a Nicolao V additas fuisse refert Gomesius (in reg. » Cancell., quæst. 2); quamquam in dictis regulis Joannis » et Martini exstent nonnullæ ad rem judiciariam perti- » nentes.

» *Tertia* regularum classis amplectitur reservationes gene-

(1) Stylus curiæ seu tribunalis dicitur modus procedendi qui in consuetudinem transiit.

(2) Ille dicebatur *exspectativam* obtinuisse, cui collatum fuerat jus ad aliquod beneficium statim ac vacaret.

» rales. Ante Joannem XXII unica tantum aderat reservatio
» ex capite *vacationis apud sedem* (1), pro qua opus non erat
» speciali regula, cum in corpus juris communis redacta es-
» set (cap. 2, 3 et 34, de Præbendis, in *sexto*). Promulgavit
» deinde Joannes XXII (extravaganti *Ex debito*, de elect.) de-
» clarationes plurimas, et ampliationes fecit circa beneficia
» vacantia *apud sedem;* et alias induxit reservationes; sed non
» omnium reservationum auctor fuit. Rursus illius successor
» Benedictus XII reservationes fecit alias (in extravaganti *Ad*
» *regimen*, de Præbendis) quæ sunt quasi rudimenta regula-
» rum cancellariæ, ut inquit Thomassinus (de Benefic., t. II,
» l. I, cap. 44, n. 2); et alii Pontifices alias addidere regulas
» et reservationes... Adeoque concludendum erit, ante Joan-
» nem XXII unicam fuisse reservationem generalem : ali-
» quas ab ipso additas, reliquas a successoribus diversis tem-
» poribus inductas fuisse... Ex quibus profluit non posse
» indistincte affirmari, quod reservationes omnes generales
» originem habuerint sub Joanne XXII anno 1316, ut dixit
» Rota (Decis. 359, parte 4 diversarum), nec pariter quod
» cœperint anno 1322 vel 1305, ut voluit Simonet (de Reserv.,
» quæst. I, n. 2), vel demum circa annum 1330, ut scripsit
» card. de Luca (*de Beneficiis*, discursu I, n. 23). Sed singulæ
» regulæ et reservationes distinguendæ sunt, et unicuique
» auctor diversus diversumque tempus assignandum erit. »
(Riganti, t. I, in Proœmio regularum cancell., p. I et seq.)

Illud autem proprium est hujusmodi decretis pontificiis, quod sancita sint, non tanquam leges in perpetuum et donec revocentur vim habituras, sed tantum vivente Pontifice qui ea confirmavit. Unde moriente unoquoque Romano Pontifice,

(1) Quando beneficiarius moritur Romæ, ipsius beneficium dicitur *vacare in curia romana* seu *apud sedem*. Item dicitur *vacare in curia*, quando alii actus per quos beneficium remanet vacans (verbi gratia, depositio, translatio, etc.), complentur auctoritate apostolica. Quando alio quam dicto modo vacant beneficia, dicuntur vacare *extra curiam*.

exspirat simul tota vis regularum cancellariæ. Et hinc est quod solent dicti Pontifices, post suam quisque ad apostolicum culmen exaltationem, sine mora eas firmas decernere et declarare; prout fecit et Pius IX nunc feliciter regnans.

« A quo tempore regulæ cancellariæ ligare incipiant, » magna fuit inter antiquos altercatio. Alii dixerunt a die pu- » blicationis : alii a die earum editionis seu compositionis : » alii vero a die assumptionis ad pontificatum. Hodie vero » certum est quod regulæ statim usque a crastino assump- » tionis ad pontificatus apicem, ligare incipiunt, licet non » sint adhuc publicatæ, ut expresse sancitur in *proœmio* » *regularum : ex tunc licet nondum publicatas... observari vo-* » *luit;* quæ verba *licet nondum publicatas,* sub Urbano VIII » primum apposita fuerunt. » (Riganti, in Proœmio regularum, n. 37, t. I, p. 7.)

CAPUT II.

AN IN PRÆCIPUA PARTE REGULARUM CANCELLARIÆ, IN QUA NEMPE MULTÆ BENEFICIORUM COLLATIONES DECERNUNTUR SUMMO PONTIFICI RESERVATÆ, SANCTA SEDES POTESTATEM SUAM EXCESSERIT.

Ex prima regula reservatur summo Pontifici collatio omnium beneficiorum vacantium *in curia* seu *ad sedem.*

Ex regula secunda, summo Pontifici reservatur collatio omnium beneficiorum quæ vacant, sede episcopali vacante.

Ex regula quarta, item summo Pontifici reservatur collatio primæ post episcopalem dignitatis in cathedralibus.

Ex regula nona reservatur pariter Sedi Apostolicæ omnium beneficiorum quæ vacant octo determinatis in eadem regula mensibus; cum ea tamen concessione Episcopis facta, quoad beneficia quorum ipsi *liberam* (id est, a nullius alterius

assensu dependentem) collationem haberent, ut (si velint) possint alternatis cum summo Pontifice mensibus ea beneficia conferre; ita scilicet ut summus Pontifex dicta beneficia quæ sex mensibus ibi designatis vacaverint conferat, Episcopus vero quæ aliis sex mensibus.

Has aliasque non paucas reservationes, per modum legis universalis, omnes orbis ecclesias afficientis, dum videbit juris canonici studiosus a regulis cancellariæ sanciri, mirabitur forte cur Apostolica Sedes hujusmodi beneficiorum provisiones ordinariis locorum collatoribus non reliquerit; præsertim cum ante Joannem XXII, seu ante scriptas cancellariæ regulas, hujusmodi generales reservationes, excepta prima, constet in tota retro antiquitate in usu non fuisse.

De quo si a protestantibus, jansenistis, et pluribus gallicani systematis sequacibus rationem sciscitabitur, eloquentissimo atque immensam librorum molem replente sermone reperiet declamatum : deploranda id novitate atque intolerando abusu, faventibus falsis decretalibus, fuisse a Romanorum Pontificum ambitione et avaritia inductum; atque generales hujusmodi beneficiorum reservationes procul dubio pontificiam potestatem excedere.

Nos cum omnibus probatæ doctrinæ scriptoribus catholicis, monemus tam acres illos contra reservationes pontificias clamores atque tumultus, non alio quam egregii multiplicisque mendacii fundamento niti. Quod antequam palam faciamus, aliquod querelarum de quibus agimus specimen exhibeamus.

Sic e lutherana secta Bœhmerus (*Jus ecclesiasticum protest.*, l. III, t. 5, p. 338) : « Neque enim usque ad sæculum XII eo » processerat præsulum Romanorum conatus, ut collationes » ordinarias directe turbarent et beneficia vacantia confer- » rent. » Loquens postea de mandatis apostolicis (1), subjungit :

(1) Mandata nempe quibus summi Pontifices Episcopo vel capitulo injun-

« Etiam hæc fuere *preces*, et quidem olim semel tantum ad » singula capitula directæ, ab initio tantum obligationem » imperfectam continentes. » Ad cujus probationem citat Bœhmerus epistolam 13 Hadriani IV ad Episcopum Parisiensem, « Ubi, inquit, non mandat Papa, sed orat; vocat » litteras suas preces... Ejus successor Alexander III *preces* » *armatas* admiscuit et mandando rogavit... Hoc modo preci- » bus plenum tributum est robur. »

Episcopum de Hontheim non puduit lutherani Bœhmeri, non sententiam tantum, sed et verba fere sectari : sic enim ille sub nomine Febronii (t. I, append. 1, § 16, pag. 798) : « Collationibus beneficiorum successive, leniter et pedeten- » tim se ingesserunt (Romani Pontifices); quin illa statim » immediate ipsi conferrent, sibique privative reservarent. » Sæculum duodecimum medium erat, quo *preces* dumtaxat » interposuit Hadrianus quartus, rogando per litteras recom- » mendatitias Episcopum Parisiensem, ut certo cuidam cle- » rico pauperi, de ecclesia bene merito et eminenter digno, » beneficium primo vacans conferre vellet... Sed Pontifices » mox ultra progressi, suis precibus *monita* et *mandata* ad- » diderant. Alexandri enim tertii, qui immediatus Hadriani » successor erat, jam *armatæ preces* fuerant; *monendo* enim » et *mandando* rogavit; idque forsan ideo quia preces ejus non » ita passim et semper admitterentur. Ast et monitionibus » mandatisque haud amplius proficientibus, successores » Pontifices *executoriales litteras* adjunxerunt, una et *execu-* » *tores* constituerunt, qui censuris aliisque pœnis ecclesiasti- » cis ordinarios compellerent ut clericis ab se commendatis » de beneficiis vacantibus providerent... Successerunt *reser-* » *vationes*, primitus speciales et particulares, a quibus pede- » tentim ad ampliores et *generales* progressus fiebat; am-

gebant, ut vacantem vel primo-vacaturam præbendam tali et non alteri conferrent.

» plissimo demum et excessivo earumdem numero per regu-
» las cancellariæ pontificiæ introducto. » Concludit Febronius (t. II, pag. 484) *prætensum* jus Romanorum Pontificum ad collationes beneficiorum esse figmentum, transgressionem terminorum rationis et justitiæ, fructum ambitionis et avaritiæ, rapinam jurium episcopalium, et hujusmodi similia.

Quæ eadem passim recantata reperies apud quamplures gallicano systemati addictos scriptores, at plerumque sub prudenti quadam verborum moderatione, et solita suæ erga sanctam Sedem venerationis protestatione.

Horum scriptorum asserta ad tria capita referri possunt. 1° Nempe potestatem, qua usi sunt Romani Pontifices dum beneficiorum collationes sibi reservarunt, novitatem fuisse in Ecclesia, post falsas scilicet decretales fraudulenter introductam. 2° Nullum Romano Pontifici jus competere sibi hujusmodi collationes reservandi. 3° Exitiale ecclesiis semper fore talis potestatis exercitium. Porro hæc tria omnino falsa esse, atque a quocumque catholico, si catholice sentire velit, prorsus abjicienda, facili negotio probari potest.

§ I.

Falsum est potestatem qua usi sunt Romani Pontifices, beneficiorum collationem sibi reservando, novitatem fuisse post falsas decretales fraudulenter introductam.

I. Evertamus ante omnia mendacem hypothesim qua Bœhmerus totum ratiocinii sui ædificium superexstruxit. *Neque ante sæculum XII*, ait, *eo processerat Romanorum Pontificum conatus ut beneficia vacantia conferrent.* Supponit nempe Lutheranus scriptor ante XII sæculum extitisse *beneficia* quæ *vacare possent*, et ideo novitatem concludit, quia, licet exstarent talia beneficia, nunquam præcedentes Ponti-

fices eorum collationem suam fecerant. Porro hoc ipsum, quod ante undecimum vel duodecimum sæculum exstiterint *beneficia quæ vacare possent,* qualia postea exstitere, est omnino gratuitum, imo omnino falsum.

« Neque enim habere vim aliquam potest Bœhmeri argu-
» mentatio, nisi supponatur prioribus duodecim sæculis aut
» magna eorum parte, obtinuisse beneficia ecclesiastica, quæ a
» suis collatoribus cum vacarent distribuerentur. Ecquod
» enim esset impotentiæ argumentum in Romano Pontifice,
» non ea contulisse beneficia pro sua auctoritate, quæ cum non
» essent, dari nequaquam poterant? Atqui nullo certo docu-
» mento constat ante sæculum duodecimum, vel ante unde-
» cimi finem erecta fuisse ecclesiastica beneficia in titulos
» distinctos et perpetuos, et vacationis capaces, ut hodierni
» moris est. Antea enim vel clericis distributiones dabantur
» de manu Episcopi ejusque ministrorum immediate, quod
» fere obtinuit prioribus quinque sæculis; vel saltem ex certa
» bonorum massa clericis in commune attributa, quod con-
» suevit fieri sexto, septimo, octavo sæculo; vel ex certis
» fundis ac prædiis quæ singularibus clericis concedebantur,
» post obitum in massam communem restituendis, quod
» satis frequens fuit sæculis nono, decimo et undecimo. No-
» men *præbendæ* hodierna usurpatione primum occurrere
» in concilio Melphitano anni 1089 observavit Fleury (*Insti-*
» *tutiones juris canonici,* t. I, c. 2) : *Præposituras Ecclesiæ,*
» *sive canonicas, præbendas etiam quæ canonicatus dicuntur,*
» *Episcopus sine venalitate distribuat.* At hæc et similia ex
» monumentis undecimi sæculi, minime probant fundos
» præbendarum perpetuo a reliqua massa separatos et ite-
» rum in communem massam non restituendos; quamvis ex
» sæculi XII monumentis plura suppetant testimonia præ-
» bendarum perpetuo separatarum. » Ita auctor dissertationis *De jure regaliæ et primarum precum* (pag. LIV, edit. Romæ, 1753). Unde ratiocinium Bœhmeri et Episcopi de

Hontheim simile est huic : *Ante repertam Americam nullus Romanorum Pontificum potestatem ullam exercuit in populos catholicos Americæ; ergo novitas est potestas quam nunc sancta Sedes in illos populos exercet.* Non utique exercuit antiquitus potestatem suam sancta Sedes in populos catholicos Americæ, quia non exstabant hujusmodi populi. Pariter non contulit antiquitus beneficia ecclesiastica in titulum separatum erecta, quia non exstabant hujusmodi beneficia. Nova beneficia hæc, non nova Sedis Apostolicæ potestas.

Ergo quæstio historica vel fraudulenter vel inepte ponitur, dum quæritur utrum olim Apostolica Sedes *beneficia vacantia* contulerit. Si quis autem sincere expendere velit an revera potestas Romanæ Sedis, qua beneficiorum collationes sibi a duodecimo sæculo attribuit, dicenda sit necne novitas post falsas decretales introducta, exquirere debet utrum potestatem in beneficia qualia antiquitus exstabant, id est, in bona ecclesiastica olim clericis sustentandis attributa, Romani Pontifices exercuerint. Si reseratis historiæ monumentis hujusmodi potestatis exercitium ante falsas Isidori decretales reperiamus, gallicani systematis de prætensa novitate declamationibus valedicendum est. Porro :

II. Certum est Romanos Pontifices potestatem in beneficia, qualia pro tempore exstabant, ante falsas decretales exercuisse : « Paullinus, Episcopus civitatis Permodicæ in pro-
» vincia Brutiorum sive in Calabria, post civitatis suæ eccle-
» siæque et monasterii eversionem a barbaris factam, in
» Siciliam secessit, donatusque est a Gregorio Magno abbatia
» et regimine monasterii sancti Theodori in civitate Messi-
» nensi. Collator hujus beneficii erat Episcopus Messinensis;
» ideo et illum certiorem rei totius fecit Gregorius, ut ne ad-
» flictaret sese, quasi se inscio aliquid in episcopatu suo
» novaretur : *Quam rem,* inquit (in epistola ad Felicem
» Episc. Messin., l. I, epist. 38), *venerationi tuæ innotescen-*
» *dam providimus, ne te omisso, aliquid ordinatum in tua*

» *diœcesi contristeris.* » (Thomassinus, parte II, l. I, c. 41.) Ubi videtur sanctum Gregorium Magnum Episcopi Messinensis consensum nec petiisse nec præstolatum esse, dum Apostolica auctoritate conferebat beneficium, cujus Episcopus ille collator ordinarius erat. Ergo pro hac vice saltem Romanus Pontifex collationem dicti beneficii privative ad collatorem ordinarium sibi reservavit.

Idem Pontifex ad Episcopum Importunum misit presbyterum quemdam, nomine Dominicum, ut illi vacantem ecclesiam committeret, addito mandato, ut eidem presbytero et fructus refunderentur ejus temporis quo ecclesia vacaverat. En Pontificis verba (lib. II, epist. 10) : *Ea quæ provide disponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia ecclesiam Sanctæ Mariæ quondam Campisonis, in tua parochia* (1) *positam, presbytero vacare cognovimus, præsentem portitorem Dominicum presbyterum in eadem ecclesia ut præesse debeat, Nos scito deputasse. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejusdem ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari et decimæ fructus indictionis qui jam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui; quatenus ejusdem ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, Deo adjuvante, valeat procurare.* Si hodie summus Pontifex Pius IX aliquem presbyterum cum simili epistola deputaret ad Archiepiscopum Parisiensem, eique præsuli injungeret ut in canonicatus vel parochiæ alicujus vacantis possessionem hunc presbyterum immitteret, numquid non tali actu potestatem in beneficia diœcesis Parisinæ exerceret? Id tamen multo ante falsas decretales a sancto Gregorio Magno factum est; quod forte si nostris diebus fieret, stuperent Gallicani systematis sequaces, adeo sunt memorato decepti mendacio, Romanos scilicet Pontifices antiquitus nunquam hujusmodi potestatem exercuisse.

(1) Vox *parochia* tunc temporis diœcesim designabat.

Idem Pontifex (lib. III, epist. 14) ad Syracusanum Episcopum scribit hoc modo de quodam diacono, *Felice* dicto: *Imbecillitati ejus atque necessitatibus consulentes, maximeque intuitu pietatis sustentationi ejus providentes, in tua Ecclesia Syracusana eum providimus cardinandum : sive ut officium diaconatus expleat, seu certe ut sola ejusdem officii, pro sustentanda paupertate sua, commoda consequatur : in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere judicio. Quod hortamur ut tua fraternitas implere festinet... Ne vel nostræ commendationis inveniaris tramitem neglexisse, vel minus exhibuisse quam tuus exigit ordo pauperibus.* Ubi notandum, liberum relinqui Episcopo, non ut dictus diaconus incardinetur vel non; sed tantum ut expleat officium diaconi, vel emolumentis solummodo gaudeat.

Solebat præterea S. Gregorius Magnus ecclesiis episcopalibus opimioribus imponere pensiones solvendas, ad sustentandos Episcopos a sede sua expulsos. Quod his terminis refert Joannes diaconus (in Vita S. Greg., l. III, c. 15) : *Sed et expulsos Episcopos, quos tam cito Gregorius incardinare non poterat, vel quorum reditum ad sedes proprias contingere posse sperabat, aliis Episcopis, qui tunc videlicet suis locis degebant, interim pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ jungebat.* Profecto, si hodie Episcopum Taurinensem (qui, quod tam laudabiliter pro officio suo jura Ecclesiæ tuitus sit, a sede sua nunc exulare cogitur) (1), Pius IX auctoritate Apostolica adjungeret alicui Episcopo pensione aliqua præscripta sustentandum, numquid non exerceret in beneficia ecclesiastica potestatem?

Vide ejusdem Gregorii Magni epistolam 15, libri III, qua omnes in posterum Dalmatiæ episcopatus sibi reservat.

Martinus I, in provinciis Orientis, in quibus tunc temporis

(1) Non sine summo atque in historia perenniter permansuro virorum catholicorum qui huic regno præsunt dedecore.

grassabatur Monothelitarum hæresis, legatum suum fecit Johannem Philadelphiæ Episcopum, eique præcepit ut per *omnes civitates* constitueret tum Episcopos, tum presbyteros et diaconos : *Ut sic*, inquit, *prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas, et constituas per omnes civitates, earum quæ sedi tum Hierosolymitanæ tum Antiochenæ subsunt, Episcopos et presbyteros et diaconos : hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex apostolica auctoritate, quæ data est Nobis a Domino per Petrum sanctissimum et principem apostolorum* (Epistola 5). Porro sic constituere presbyteros et diaconos in ecclesiis civitatum, erat illis conferre jus ad bona illarum ecclesiarum sustentando clero deputata, seu, quod idem est, erat conferre beneficia, prout tunc temporis exstabant.

« Vitalianus quoque Pontifex (ait Zaccaria, *Antifebronius* » *Vindicatus*, t. III, p. 279, edit. Cesenæ, 1771) eadem usus » est auctoritate. Dedisse enim in mandatis S. Theodoro Can- » tuariensi archiepiscopo, ut Anglicano cuidam cœnobio ab- » batem præficeret Hadrianum Africanum, fertur a Beda. » (Historia Anglorum, lib. IV, c. I.)

« Exstat et Paulli I jussio, qua Ulchario Senonensi præcepe- » rat ut *Marinum* presbyterum in aliqua quæ primum vaca- » ret Galliarum ecclesia Episcopum consecraret. »

Joannes VIII ad Romanum Ravenne Archiepiscopum scripsit hoc modo : *Defuncto ecclesiæ Faventinæ Episcopo providimus hunc Dominicum, venerabilem archidiaconum sedis ipsius, honore episcopali dignum existere. Hoc auctoritatis nostræ statuto præsenti dilectioni tuæ præcipimus, ut absque omni mora vel prolatione, eumdem archidiaconum studeas secundum morem Episcopum consecrare* (Epistolæ 39, in codice Carolino, apud Duchesne, t. III, pag. 756).

Ex his et aliis quæ addi possent monumentis, invicte patet Romanos Pontifices, longe ante confictas ab Isidoro famosas decretales, sese ingessisse in collationes beneficiorum; non quidem proprie *vacantium*, quæ tunc non exstabant; sed

qualia exstabant pro tempore. Si autem poterat Romanus Pontifex, quando volebat, de beneficio quolibet privative ad ordinarium collatorem disponere, poterat et aliquas species beneficiorum statuto generali sibi reservare. Cum ergo postea Romani Pontifices, generalibus regulis sibi aliquorum beneficiorum collationem reservarunt, non novam et inauditam, sed antiquam et solitam, licet forte antea non tam frequenter et tam generaliter adhibitam, exercuere potestatem. Prætensa ergo novitas quæ objicitur, merum figmentum est, in odium Romanæ Sedis excogitatum.

III. Hinc satis mendacii convinceretur calumnia Episcopi de Hontheim, qua affirmat duodecimo sæculo Romanos Pontifices prudenti dolositate, *leniter* scilicet, *successive* et *pedetentim*, reservationes induxisse.

At directis etiam documentis mendacium illud explodamus.

1° Asserit ab Hadriano IV adhibitas fuisse *preces duntaxat*. Quam aperto mendacio, concludat lector ex illius Pontificis epistola ad capitulum Parisiense : *Universitati vestræ præcipiendo per Apostolica scripta mandamus et mandando præcipimus, quatenus Præposituram quæ in Parisiensi ecclesia, et domos quæ in claustro ejusdem ecclesiæ dehinc primum vacaverint... ei* (Hugoni Cancellario) *omni contentione et appellatione seposita concedatis*. (Epist. 24, Concilia Harduini, t. VI, parte 2, col. 1351.) Cum Febronius citaverit præcedentem epistolam, in qua preces tantum adhibentur (1), cur non citavit sequentem in qua tam aperte præceptiva forma occurrit? Præsertim cum Thomassinus, quem tam frequenter Febronius allegat, ambas eodem loco exhibeat?

2° Addit postea heterodoxus de Hontheim, non profecisse

(1) Verisimile est ab Hadriano in hac ad Episcopum Parisiensem epistola, preces tantum adhibitas fuisse, comitatis et honoris gratia, et quia sciebat preces sufficere.

mandata ab Alexandro III, Hadriani successore, precibus addita; nec persuasisse talem inesse Romanæ Sedi potestatem. Et hoc mendacium est. Tanquam certam habitam fuisse illam Romani Pontificis in beneficia potestatem, Alexandri III tempore, testantur hujus ævi monumenta. Satis sit ad Stephani Tornacensis Episcopi epistolas appellare. Mandaverat Alexander III beneficium quoddam, cujus ordinaria collatio ad Episcopum Aurelianensem pertinebat, cuidam Guillelmo conferri, et mandatum illud exsequendum Episcopo Tornacensi Stephano commiserat. Quod cum perfecisset Stephanus, sic de re illa meminit (epist. 3) : *Subsequenter et constanter auctoritate mandati mihi injuncti, eidem* (nempe Aurelianensi Episcopo coram canonicis) *prohibui ne alii antequam tibi, beneficium in ecclesia Magdunensi conferret; et canonicis, ne alium quam te canonicum reciperent... Homo ille obedienter, ut solet, respondit, et mandatum Domini Papæ sese completurum promisit.*

Eidem Tornacensi Episcopo præceperat Alexander III ut filio cujusdam *Laxii de Archerio* conferret certam de bonis Ecclesiæ portionem; quam postea voluit idem summus Pontifex in determinatam pecuniæ summam commutari. De quo Tornacensis Episcopus ad Romanum Præsulem rescripsit hoc modo: *Ad unius jussionis vocem vestræ, Pater, obtemperans, filio Laxii de Archerio, sicut præsens coram vobis promiseram, absens exhibere curavi, quamvis sit vobis aliter per ejus vicinos intimos intimatum. Frumento et vino stabilivi eum, ut altero confirmaretur cor hominis, altero lætificationem sentiret. Mutatum est mandatum et aggravatum præcepto, ut quotidianum victum in immensam pecuniæ summam converterem, et decem solidos Parisienses per singulos menses puero numerarem. Factum ut imperasti; cum et hæc et alia quæcumque jusseritis, ego et fratres nostri parati simus et libenter suscipere et liberaliter adimplere. Sciat interim Paternitas vestra nos in quibusdam clericis exhibendis per aliquos Dominos meos Cardinales consi-*

milia onera sustinere. « Ex ea epistola (quæ est 62) duo constant ad historiæ lucem diligenter animadvertenda : 1° consuetum fuisse sub Hadriani IV et Alexandri III tempora, ut Romana curia mandata ad Episcopos expediret, non modo de beneficiis cum perpetuo titulo, seu de præbendis conferendis, verum etiam de certis eleemosynis vel manualibus pensionibus ex episcopalis ecclesiæ mensa in clericum erogandis. 2° Ejusdem facultatis participationem in aliquot Cardinales redundasse..., concedente Pontifice. » (Auctor supra citatæ *Dissertationis polemicæ*, p. 11).

In epistola vero 22, Alexandro III scribens de quodam clerico, sic habet idem Tornacensis Episcopus : *Credimus eum idoneum qui vel in Aurelianensi, vel in alia Ecclesia stipendia canonica mereatur.* Quæ profecto verba supponunt generalem hujus temporis persuasionem de potestate Romani Pontificis beneficia conferendi.

Nec dicatur hujusmodi testimonia tribui posse ignorantiæ hujus ævi, aut adulandi studio. Nam in aliis ejusdem Tornacensis Episcopi epistolis (126,127,128) ob aliqua a Pontificibus Romanis in Turonensi metropoli innovata, reperiuntur non pauca, non libere tantum, sed etiam ferociter scripta. Et idem videre est in 238 Ivonis ad Paschalem II epistola.

Quam generalis et certa esset dicta persuasio, ostendunt præterea principum ipsorum ad Romanum Pontificem recursus, ut ille imperaret tale vel tale beneficium huic aut isti conferri. Certe Alexander III, instantibus rege Galliarum Ludovico VII, et Regina aliisque magnatibus, capitulo Parisiensi præcepit præbendam quamdam Meldensis Episcopi nepoti conferri, ut videre est in ipsius epistola 106. Scribebat ad Angliæ Regem Clemens VI : *Magnitudinem tuam latere non credimus, nec a tua memoria excidisse, quod nobis pro reservationibus inibi faciendis aliquibus feceris supplicari* (Apud Raynaldum ad ann. 1344, n. 7). Joanni II Galliarum Regi petenti concessit Innocentius IV *indultum ad vacatura*

in 25 regni sui cathedralibus et collegiatis ecclesiis (Vide indultum apud Glossatorem pragmaticæ sanctionis). Joannes XXIII ad 50 beneficia jus nominandi Carlo VI attribuit (Bullam recitat du Tillet, parte I, p. 454). Hæc, ex plurimis pauca, plene sufficiunt ad probandam de potestate pontificia præbendas conferendi persuasionem. Reges enim quando voluerunt et ipsi beneficia conferre, cur ad indultum obtinendum, Romanum Pontificem, et non Episcopos, adierunt, nisi quia minime dubitabant sanctam Sedem posse de beneficiis disponere?

Objicitur non paucos, Anglos præsertim, huic pontificiæ auctoritatis exercitio obstitisse. — At numquid sæpe et Episcoporum et sanctæ Sedis certissimo juri non resistitur? An inde jus illud nullum esse concludi æquum est? Genuina historiæ monumenta qui perpenderit videbit, non ipsam potestatem beneficia conferendi ad resistendum provocasse, sed abusus quosdam, qui, ob humanarum rerum fragilitatem, irrepserant in concedendis præsertim *expectativis*. « Pontificiis » hisce reservationibus, inquit Riganti (In reg. I, § I, n. 12), » obsecutæ sunt nationes omnes, quandiu, servata regula » boni et æqui, aut pauperibus aut indigenis beneficia distri- » buebantur. Sed restitere Angli, dum earum provinciarum » opes deferri videbant in Italiam; et rursus obstitere tum » Angli tum Hispani, cum a Pontificibus Avenione residenti- » bus, hominibus Gallis sua sacerdotia conferri viderent. » Exspectativas sustulit concilium Tridentinum.

Porro centum fere annis ante illam synodum Pius II, de iisdem cum reliquis abusibus tollendis, in consistorio deliberaverat. (Cardin. Papiensis, epist. 92, et Raynaldus, ad ann. 1464). Ad objectiones hujusmodi præsto semper est præclarum Pii VI dictum : *Potestatem defendimus, non abusum.* Porro, in quæstione de potestate ipsa, certissimum mendacium est, sæculo duodecimo introductam fraudulenter fuisse doctrinam de jure pontificio in conferendis beneficiis eccle-

siasticis, nec jus illud antea Romanos Pontifices exercuisse.

Sed etiamsi verum esset ante duodecim sæculum Romanos Pontifices potestatem hanc non exercuisse, non inde sequeretur illam esse eis denegandam. Quocumque enim tempore dictum jus exercere opportunum duxerint, invictis argumentis jus illud certo eis vindicatur. Quæ argumenta nunc exponenda veniunt.

§ II.

Nullum est beneficium ecclesiasticum quod non possit summus Pontifex conferre, si id Ecclesiæ utile reputaverit : ita ut jus ordinariorum electorum et collatorum remaneat semper potestati Romanæ Sedis subordinatum.

Prænotandum. — 1° Moveri solet inter doctores quæstio utrum Papa sit beneficiorum omnium *dominus*, an vero universalis tantummodo *administrator*. Asseruit quidem Episcopus de Hontheim id esse principium *Romanorum, quod Papa dominus sit omnium beneficiorum* (t. I, c. 7, § 4, pag. 569). At vero ita affirmando auctor ille pro more suo mentitus est. Licet enim Papam esse beneficiorum *dominum* docuerint aliqui ex Romanis theologis et canonistis, inter quos Merlinius, Seraphinus, Menochius, et cardinalis Petra; plerique tamen cum sancto Thoma id negant, et sustinent Romanum Pontificem esse tantum beneficiorum *administratorem. Quamvis res Ecclesiæ,* ait doctor Angelicus (2. 2. q. 100 a I ad 7), *sint Papæ ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini et possessoris.* Quam doctrinam tenet Suarez (*Defensio fidei*, lib. IV, c. 18, n. 8), Lotterus (*De re benef.*, l. I, q. 4, n. 57,—et l. II, q. 22, n. 10), Fagnanus (in I decretalium, De transl. episcop., c. *Quanto*, n. 81 et seq.), atque eamdem tot alii defendunt, ut pro communi doctorum etiam

Romanorum sententia haberi possit; quod sic advertit Braschius (*De libert. eccles. in conferendo beneficia eccles.*, t. III, c. XVI, n. 10, p. 311) : « Eamdem fuisse mentem canonis-
» tarum quotquot de hac re scripserunt, nullatenus est am-
» bigendum. Quum enim in capite *Licet* (2, De præbendis in
» *sexto*), et in Clementina 1ª *ut lite pendente,* non aliud dica-
» tur, nisi quod summo Pontifici omnium beneficiorum
» plenaria competit dispositio, dominium excluditur; et sic
» plenitudo potestatis Papæ in beneficialibus non illum *do-*
» *minum* constituit, sed simpliciter *dispensatorem.* Nec alia
» mens inesse potuit interpretibus canonum, si canones tex-
» tualiter hoc indigitant... Quod si aliqui minus forte cir-
» cumspecta voce dictitarunt Papam esse dominum omnium
» ecclesiarum omniumque beneficiorum, uti aliqui fecerunt,
» horum videntur castiganda utiliter verba...; et ideo dicen-
» dum est locutos esse quoad dominium respiciens jus colla-
» tionis, ut eos interpretatur Joannes Petrus Moneta (De
» commut. ult. vol., c. 5, n. 100); vel quoad dominium res-
» pectu tituli beneficialis, qui sicuti per Papam creatur, ita
» et per ipsum potest annihilari...; vel demum reducendi
» sunt ad sensum quem de his habet Azorius dicens (1) : *Ro-*
» *manus Pontifex plene et libere potest de beneficiis statuere;*
» *non quia dominium beneficiorum aut rerum ecclesiasticarum*
» *habeat, sed quia quatenus supremam obtinet in Ecclesia po-*
» *testatem, ut summus Christi vicarius et Petri successor, am-*
» *plissimam habet omnium bonorum ecclesiasticorum admi-*
» *nistrationem. Quare cum dicitur Pontifex plenam et liberam*
» *in beneficiis dispositionem habere, posseque jus ipsum rela-*
» *xare in his quæ ad beneficia pertinent, non intelligitur posse*
» *jus naturale, vel divinum, si quod est, in beneficiis dissolvere,*
» *abrogare vel mutare. Sed quia fere innumera sunt de bene-*
» *ficiis jure scripto canonico constituta, ideo dicitur Papa*

(1) Institut. moral., p. 2, l. VI, c. 26, q. 1.

» *plene et libere posse de beneficiis statuere, scilicet in his omnibus quæ jus canonicum circa beneficia constituit.* »

2° Ad quem ergo pertinebit *dominium* bonorum ecclesiasticorum, cum, ex modo dictis, ad Papam non pertineat? — Respondeo, rem esse adhuc in scholis catholicis disputatam, in duplicem abeuntibus sententiam orthodoxis doctoribus. Alii nempe dominium illud Ecclesiæ attribuunt; alii neque Ecclesiæ, sed soli Deo vel Christo dominium proprie dictum vindicant.

3° A duobus prædictis quæstionibus omnino independens est ea quam nunc tractandam habemus : utrum nempe Romanus Pontifex jus habeat conferendi quodcumque beneficium ecclesiasticum, ubivis terrarum beneficium illud existat. Sive enim Papa dici debeat omnium beneficiorum *dominus*, sive tantum supremus *administrator;* et sive dominium proprie dictum penes Ecclesiam resideat, sive penes solum Christum et Deum; dicimus ad Sedem Apostolicam pertinere supremum jus beneficia conferendi. Quod sequentibus argumentis evincitur.

Probatur 1° — *Ex eo quod summus Pontifex universalem Ecclesiam regendi* plenam potestatem *habeat.* — Hæc plena regiminis potestas de fide est, utpote a concilio œcumenico Florentino expressis terminis definita, et tanquam dogma catholicum aliis peremptoriis auctoritatibus asserta. Porro plena non esset illa potestas, si potestatem beneficia conferendi non includeret : illa enim potestas plena non est qua concipitur major; et major certe concipitur et est potestas ad quam etiam pertineret supremum jus beneficia ecclesiastica conferendi.

Probatur 2° — *Ex eo quod repugnet Romanum Pontificem non esse supremum bonorum ecclesiasticorum administratorem.* — Nam certum est Ecclesiam esse societatem per se stantem et completam; atque eam constituere statum seu regnum proprie dictum; ita ut etiam tenendum sit illam

esse veram monarchiam. Licet autem regnum illud ratione finis spirituale sit, et non temporale, hoc non impedit quin strictum et independens jus habeat ad multa corporalia et temporalia; qualia sunt corpora ipsa fidelium, materiæ sacramentorum, ecclesiarum ædificia, et bona alia materialia, ab ipsa acquisita, ad impensas cultus sacri et ministrorum sustentationem dicata. Unde, sicut in regno civili, ita et in Ecclesia multæ exstant res temporales et materiales, licet ad finem diversum, spiritualem nempe, dirigendæ et gubernandæ. Jam vero hoc posito, bona temporalia Ecclesiæ vel nulli supremo administratori subjacebunt, vel subjacebunt alicui a Papa diverso, vel tandem subjacebunt Romano Pontifici : atqui duo priora admitti nequeunt. 1° Repugnat nullam in Ecclesia Christi exstare potestatem, a qua ultimatim pendeat bonorum temporalium administratio. Quia tunc a nulla potestate posset ullum beneficium conferri : nullum proinde exstaret jus collationis. Qui enim vel per electionem vel per collationem beneficia tradunt, illud agerent vel jure independenti (et tunc ipsi essent suprema potestas administrativa illorum bonorum), vel jure subordinato, et tunc alicui alteri superiori et supremæ potestati administrativæ subjacerent. Unde supponere nullum exstare supremum beneficiorum administratorem, est ipsummet jus beneficia conferendi tollere, ac ipsa beneficia inutilia decernere, utpote quæ nulli conferri legitime possent. 2° Neque supponi potest supremus administrator a summo Pontifice diversus. Ille enim administrator supremus esset vel concilium œcumenicum, vel quilibet Episcopus in diœcesi sua, vel alius; atqui nullum ex his dici potest. Non concilium œcumenicum : nam eo sensu tantum admitti posset synodum œcumenicam suprema pollere bona Ecclesiæ administrandi potestate, quod posset legibus statuere et determinare personas per quas variæ beneficiorum species essent conferendæ. Porro decreta hujusmodi non vigebunt nisi quatenus a summo Pontifice

confirmata; quæ confirmatio si desit, jus non facient cujuslibet synodi leges. Et præterea Romano Pontifici, etiam postquam decreta synodi œcumenicæ confirmavit, remanet inconcussa potestas ea pro temporum et circumstantiarum ratione relaxandi et mutandi. Ergo legislatio de beneficiorum collatione et generatim de bonorum Ecclesiæ administratione ultimatim adhuc penderet a Romano Pontifice, et non a concilio œcumenico, quatenus a Papa sejuncto. Nec tribui potest supremum jus beneficia conferendi cuilibet in diœcesi sua Episcopo : nam jus illud non est inhærens et essentiale potestati ordinis episcopalis, cum possit aliquis in Episcopum consecratus nullum habere jus in ulla mundi diœcesi, ut notum est. Non magis est inhærens et essentiale jurisdictioni episcopali, ut tenent communiter auctores; quod nos alibi probabimus, et quod inde satis patet, quod jus collationis pertinere possit non solum ad capitula, sed et ad laicos; qui certe ob talem facultatem jurisdictionis episcopalis essentialia habere minime dici possunt. Præterea si jus collationis haberet Episcopus ex ipsa sua jurisdictione episcopali, cum ista jurisdictio possit a Papa restringi, imo et tolli, posset et a summo Pontifice privari Episcopus omni jure quoad beneficiorum collationem. Si autem nequeat Episcopus sibi vindicare jus ullum independens beneficia conferendi, sed tantum jus sibi a lege et a suprema Ecclesiæ potestate concessum et statutum, a fortiori neque id poterit ullus alius clericus vel laicus. Ergo tandem, nisi admittatur summus Pontifex tanquam supremus bonorum ecclesiasticorum administrator, nullus erit supremus aut legitimus hujusmodi bonorum administrator in Ecclesia. Quod consectarium cum omnino repugnet, summo Pontifici necessario tribuenda est illa de qua loquimur potestas.

Probatur 3° -- *Ex eo quod summus Pontifex sit Ecclesiæ monarcha.* — Diligenter est advertendum bona Ecclesiæ ad nullius hominis *dominium* pertinere : sunt enim bona Deo

dicata, et Ecclesiæ data; nec dicerentur ecclesiastica, si in dominium alicujus hominis transissent. Dixerunt equidem nonnulli theologi summum Pontificem esse horum bonorum *dominum;* sed dictum illud non esse stricto sensu admittendum supra vidimus. A fortiori autem nullus alius præter Papam poterit dominium horum bonorum sibi vindicare. Unde bona illa aliquo sensu ejusdem sunt conditionis ac bona quæ in aliquo regno ad nullum determinatum hominem pertinerent, sed in hunc finem data fuissent, ut eorum reditus ad utilitates publicas, verbi gratia, ad sustentandos reipublicæ ministros, inservirent. Porro si in aliquo regno exstaret monarcha cum *suprema* et *plena* totum regnum gubernandi potestate, ad quemnam, oro, pertineret suprema horum bonorum administratio? Nonne ad monarcham ipsum? Si vero permisisset monarcha, a primo cujuslibet districtus magistratu nominari magistratus et ministros inferiores qui in hoc districtu certis horum bonorum portionibus donarentur, an id impediret quin princeps ipse, quando vellet, posset aliquem hujusmodi ministrum inferiorem in dicto districtu nominare aut nominandum præcipere? An impediret quin posset sibi statuto generali aliquas hujusmodi nominationum categorias reservare? Porro certum omnino est, et ab omnibus catholicis tenendum, Ecclesiam a Christo in forma monarchica fuisse institutam; nec minus certum est ipsi præfecisse monarcham cum *suprema* et *plena* universalem Ecclesiam regendi potestate. Ergo talis monarchæ erit bona Ecclesiæ suprema auctoritate administrare. Ergo, licet ex legibus, tum a summo ipso Pontifice, tum a conciliis per summum Pontificem confirmatis, possint Episcopi, et etiam alii, beneficia quædam conferre, remanet semper superior in vicario Christi facultas, qua potest in particularibus casibus his legibus derogare, et quasdam beneficiorum species ipse sibi reservare.

4° *Confirmatur — Ex Gallicani systematis contradictione.*

—Cum superiore sæculo magna illa excitata est controversia, Innocentium XI inter et Ludovicum XIV, Natalis Alexander et alii, qui a rege stabant, numquid asseruerunt nullum esse qui possit beneficiorum vacantium collationem sibi vindicare, remoto collatorum ordinariorum jure? Minime. At sustinuerunt hoc supremum jus ad regem pertinere! Quonam autem titulo? Quia, aiebant, rex est Ecclesiæ advocatus et defensor. At, quæso, Papa cui non tantum universæ Ecclesiæ defensio, sed et suprema gubernatio a Christo commissa est, cur eodem defensoris titulo (quoad ipsum quidem vero et certissimo, quoad regem, prout intelligebant, mendaci et fictitio), non poterit pariter sibi beneficiorum collationem vindicare? Cur, dum regi jus annatarum, id est, ex beneficiis ecclesiasticis taxam aliquam absque ulla Ecclesiæ concessione surripiendi concedebatis, idem jus Christi in terris vicario, id est, aliquid ex beneficiis pro communibus totius Ecclesiæ regiminis necessitatibus prælibandi facultatem tanto zelo negabatis? Vestro ergo adulante, fallente, alliciente Gallicano systemate, in id tantum nefas Rex Galliæ adductus est, ut bona Ecclesiæ, nullo titulo ipsi debita, invaderet; exemplo, ut rescribebat Innocentius XI, et ut probavit exitus, funestissimo : janua enim tunc aperta, quam postea ingressa multa Europæ gubernia, apertissimo furto simul et sacrilegio, inchoatam a Ludovico XIV bonorum Ecclesiæ direptionem complevere. Contradictio autem illa, æternum Gallicani systematis probrum, nullo potest sophismatis velo dissimulari : si enim Papa nequeat collatorum ordinariorum, Episcoporum præsertim, jus impedire, a fortiori id neque rex neque ullus alter poterit. Nec potest pariter sine contradictione Gallicanismus dictum jus tribuere sæculari principi, cum simul sartos tectosque velit priscos canones, quibus id gravissimis censuris prohibetur. Quæ per transennam hic adnotata, suo loco, agendo de *immunitatibus*, fuse discutientur.

Probatur 5° — *Ex eo quod summo Pontifici competat suprema in universalem Ecclesiam leges ferendi potestas.* — Certam esse legislativam hanc Romani Pontificis potestatem supra demonstravimus. Vi autem hujus potestatis, ad successorem Petri pertinet omnia quæ ad disciplinam universalem spectant ordinare. Ergo etiam poterit Romanus Pontifex ea ordinare quæ materiam beneficiariam respiciunt. Ergo et statuere ad quosnam pertinebit electores vel collatores varia beneficia in usumfructum tradere. Ergo et per se ipsum conferenda quædam hujusmodi beneficia reservare.

Probatur 6° — *Ex potestate et officio abusus ab Ecclesia eliminandi.* — Accidere potest ut ordinarii electores vel collatores, jure suo abutendo, indignis aut in fide suspectis clericis beneficia committant, summo cum animarum et rei catholicæ discrimine. Tunc vero ille cui a Christo universalem Ecclesiam pascendi et regendi tradita est potestas, procul dubio poterit a dictis electoribus et collatoribus jus ipsis a lege datum auferre, et ad alios transferre, vel sibi reservare.

Possent alia multa hujusmodi argumenta ex primatu Romani Pontificis facile confici. Eorum autem vis hoc duplici fundamento nititur : 1° Talis est natura boni cujuscumque ecclesiastici, ut statim ac fit ecclesiasticum seu Ecclesiæ et Deo consecratum, a dominio cujuscumque hominis hoc ipso exeant. Et tamen administrari et fini suo applicari ab aliqua potestate debent. 2° Potestas quælibet gubernandi et administrandi in Ecclesia est ex institutione Christi summo alicui pastori, principi et monarchæ, id est, Romano Pontifici, subordinata. Unde fit ut nullum possit exsistere in Ecclesia jus de bonis Ecclesiæ et Deo dicatis aliquo modo disponendi, quod primario juri supremæ administrationis non subjiciatur.

Probatur 7° — *Ecclesiæ praxi.* — Jam in præcedenti paragrapho ostendimus ante falsas Isidori decretales solitam

fuisse Apostolicam Sedem beneficia libere conferre seu conferenda præcipere personis a se electis, licet ex jure ordinario collatio hæc ad alios pertineret. Sed potestatem hanc supremæ beneficiorum administrationis, multis aliis modis Romani Pontifices in Ecclesia exercuerunt. 1° Quidem legibus quæ ad vigilantiam spectant. Multi scilicet Pontifices prohibuerunt ne absque Romanæ Sedis consensu bona ecclesiastica alienarentur. Celebria hac in re sunt S. Leonis Magni, Hilari, et Symmachi decreta : *Sine exceptione decernimus ut ne quis Episcopus de ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere, nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu* (S. Leonis epist. 17, editio Ballerinorum). Hilarus Papa res Ecclesiæ in *alienum jus* transferri vetuit, *nisi prius apud concilium alienationis ipsius caussa doceatur, aut quid fieri debeat communi omnium deliberatione tractetur*. Symmachus vero ad Cesarium Arelatensem sic scribebat : *Possessiones igitur quas unusquisque Ecclesiæ proprio dedit ac reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque contractibus, vel sub quocumque argumento non patimur*. Similia reperimus statuta ab Agapeto (ad eumdem Cæsarium epist.), et S. Gregorio Magno (in epist. ad Siciliæ Episcopos). Videatur formula juramenti, qua spondebant Episcopi se non alienaturos bona Ecclesiæ *inconsulto Romano Pontifice* (Muratori, Antich. ital. t. III, diss. 72, p. 459, edit. 1766). Anno 972 imperatores Otto I et II dum prohibent alienari quædam bona ecclesiastica, declarant se id facere *de consensu domini Joannis summi Pontificis, nostrique spiritualis Patris*. (Vide diploma apud Muratori, loco cit., p. 446.) 2° Suam in beneficia potestatem exercuerunt Romani Pontifices legibus quibus de istis bonis sua auctoritate disponebant. Et primo confirmabant sua ecclesiis et monasteriis bona. Plena Pontificiis ejusmodi diplomatibus est *Ughelli Italia sacra;* plenæ *Muratorii Antiquitates Italicæ;* pleni annales tum Benedic-

tini tum Camaldulenses. Item uniebant duas episcopales sedes, quo actu bona unius ad alteram transferebant (Vide S. Greg. Magni lib. 1, epist. 8, et lib. 2, epist. 31). Tertio, concedebant facultatem alienandi bona ecclesiastica. Id concessit v. g. Innocentius III Pagano Vulterrano Episcopo, *non obstante,* inquit ille Pontifex, *vinculo juramenti quod nobis et Apostolicæ Sedi fecistis de non concedendis alicui bonis Ecclesiæ absque licentia et mandato* (Apud *Antifebr. Vind.*, t. III, p. 257, edit. Cesenæ, 1771). Quarto, usurpatores cogebant ad restitutionem, et initos contractus rescindebant (Vide monumenta in probationem apud *Antifebronium Vindicatum,* loco cit., p. 258). Quinto, concedebant vel abrogabant onera interdum a potestate civili bonis ecclesiasticis imposita. Concilium Lateranense III sub *anathematis districtione* vetat imponi a potestate civili hujusmodi onera, *nisi Episcopus et clerus tantam necessitatem vel utilitatem adspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes necessitates vel utilitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda.* Concilium autem Lateranense IV (can. 46) voluit totum hac de re judicium a Romano Pontifice pendere : *Propter imprudentiam tamen quorumdam, Romanus Pontifex consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere.* Hinc cum Eduardus Angliæ rex, anno 1297, taxam bonis ecclesiasticis ob belli impensas imposuit, *clerus* (ait Thomas Valsinghamensis) *ob constitutionem Papæ, hoc anno editam, quæ prohibet sub pœna excommunicationis ne talliæ vel exactiones a clero per sæculares principes quoquomodo exigantur, vel eis solvantur de rebus Ecclesiæ, Regi pro guerra sua petenti subsidium denegavit.* Quod profecto ostendit quam pro certa Angliæ clerus haberet Romani Pontificis potestatem talia interdicendi. 3° De reditibus beneficiorum plena auctoritate disposuerunt Romani Pontifices. Horum redituum celebrem distinctionem in quatuor partes, quarum prima Episcopo, secunda clero, tertia pauperibus, quarta

fabricæ concedebatur, solet ab eruditis tribui Simplicio Papæ (Vide ejus epist. 3). Eamdem partitionem Gelasius deinde confirmavit (Epist. 9 et 10). Sanctus vero Gregorius Magnus decrevit visitatores eam portionem percepturos quæ defuncto Episcopo si viveret obveniret (L. 9, epist. ad Petrum Tricalit.; et l. 7, epist. 75 ad Constant). Alexander III præcepit ut *reditus et proventus præbendæ* quam Cluniacensis abbas habebat in Ecclesia Carnutensi, et quos aliqui abbates Cluniacenses clericis sæcularibus aliquoties concesserant, nemini deinceps concederentur, sed inservirent ad alendum luminare sanctorum Petri et Pauli in Cluniacensi monasterio (Apud Thomassinum, part. 3, c. 25, n. 3). Notum est multoties a Romana Sede solvendum subsidium clero Angliæ, Galliæ, Hispaniæ aliarumque gentium indictum fuisse (Thomassin., part. 3, l. 1, c. 12). De annuis pensionibus ex bonis Ecclesiæ sæpe Romani Pontifices decreverunt (Vide Thomassinum, p. 3, l. 3, c. 29 et seq., et Muratori, Antichità ital., t. III, diss. 70, p. 421). Et videmus a concilio Toletano anni 1566, Rothomagensi anni 1581, Bituricensi anni 1584, et Tolosano anni 1590, irritas sanciri eas pensiones quæ ab Apostolica Sede minime probarentur.

Post talem in Ecclesia praxim quis miretur Clementis III effatum, *omnium beneficiorum ecclesiasticorum plenariam dispositionem ad Romanum Pontificem pertinere* (c. 2 de Præbendis, in *sexto*). Dicet forte quis, hac quidem praxi satis patere Romanos Pontifices aliquo jure supremæ administrationis in bona ecclesiastica usos fuisse; non tamen ab eis antiquitus sancitas reperiri, ut in regulis cancellariæ, generales beneficiorum reservationes. At tali animadversione minime solvitur vis argumenti ex praxi Ecclesiæ deducti. Nam, licet praxis hæc non exhibeat generales reservationes, exhibet tamen supremum jus administrationis in beneficia; et ex isto supremo administrationis jure evidenter sequitur jus reservationum generalium. Quod clarius exhibebit forma

syllogistica : praxis Ecclesiæ probat generatim supremum jus administrationis in bona ecclesiastica Romano Pontifici competere; atqui hoc ipso probat eidem competere jus reservationum generalium : nam qui habet supremum jus administrandi beneficia, habet et hoc ipso jus illa per se ipsum, si voluerit, conferendi, seu, quod idem est, eorum collationem sibi reservandi.

Probatur 8° — *Ex communi probatorum auctorum consensu.* — Ita sanctus Thomas : *Quamvis res Ecclesiæ sint Papæ ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini et possessoris* (2, 2, q. 100, a 1 ad 7). Porro Doctorem Angelicum adducendo, totam fere scholam citavimus. Immensam illam canonistarum idem concinentium nubem hic exhibere neque possibile, neque necessarium est. Aliqua tantum testimonia de doctrina in Galliis, etiam tempore Constantiensis concilii obtinente, subjiciemus.

Sic Cameracensis Archiepiscopus Petrus d'Ailly (quem totius suæ doctrinæ patronum Gallicani in medium adducunt), in opusculo, anno 1416 lecto et publicato in ipsamet Constantiensi synodo : *Papa jure potuit ordinationes majorum et electivarum dignitatum ac collationes aliorum beneficiorum sibi et Apostolicæ Sedi reservare, quia hæc antiquissimo jure sibi competebant. Hæc etiam non solum jure universalis administrationis papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materiæ subjectæ, utpote quia inferiores in suis electionibus, et ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem sæpe jure suo non libere uti permittebantur, seu aliqua speciali ratione* (apud Von der Hardt, Conc. Const., t. VI, p. 50). Unde Gallicanus ille Præsul, quem nullus certe inter assentatores et aulicos Papæ numerabit, jus reservandorum beneficiorum triplici titulo Romanæ Sedi tribuendum fatebatur : titulo nempe universalis administrationis, ratione materiæ subjectæ, et quod jus illud Papæ esset antiquissimum.

Alterum doctrinæ in Gallia vigentis testem, præclarum Rebuffum, audiamus : *Papa jure præventionis omnia beneficia potest conferre, cum totus mundus sit diœcesis Papæ. Unde non est mirum, si in sua diœcesi, et sic per totum mundum conferre possit* (in concord., tit. *de mandatis apostolicis*, ad verbum *gravare*, paragraph. 1, p. 686, edit. Lugduni, 1609).

Universitas ipsa Parisiensis, quæ aliquando devia tanta contentione studuit beneficiorum collationem e manibus Romani Pontificis eripere, illam Papæ potestatem non tantum agnoverat, sed et sæpe imploraverat : inter multa exempla hujusmodi recursus quo Parisiensis Universitas membris suis a Papa conferri beneficia procuravit, unum citabimus. Porrecti sunt Martino V a dicta Universitate varii articuli, inter quos sic legere erat : *Item, cum nonnulli doctores et magistri infrascripti a Sanctitate vestra gratias exspectavivas obtinuerint, in primo et principali rotulo dictæ Universitatis per Sanctitatem vestram sub data 4 kalendas februarii anno primo signato, quibus vigore earumdem gratiarum de beneficiis ecclesiasticis minime provisum exstitit, dignetur Sanctitas vestra eisdem concedere, quod dictis gratiis uti et gaudere valeant una cum gratiis in præsenti rotulo per Sanctitatem vestram, ut speramus, faciendis.* Cui articulo Papa respondit : *Fiat pro omnibus, et quibus non est provisum. — Datum Romæ, anno 1424, 25 maii, Pontificatus præfati Domini nostri Papæ anno septimo* (Historia Universitatis Parisiensis, t. V, circa annum 1424).

Jus illud Romani Pontificis ipsummet Basileense conciliabulum negare aut impedire non est ausum : *Non tamen intendit prohibere hæc sancta synodus hoc præsenti decreto, quominus futuri Romani Pontifices tempore pontificatus sui modo honesto et conveniente de uno beneficio ad collationem in qua fuerint decem beneficia, et de duobus ubi fuerint quinquaginta et ultra, disponant... Neque etiam collationes per præventionem fiendas intendit impedire* (Sess. 31, decret. de

collatione benefic.). Acribus quidem et justam moderationem minime redolentibus verbis in gratias apostolicas quæ *exspectativæ* dicebantur insectatus est celebris Gerson, vir doctrinæ, ut notum est, non levibus erroribus maculatæ. At vero quid de supremo jure Romani Pontificis in beneficia et de ejus potestate eadem dispensandi senserit, ipse expressit his verbis : *Omnia beneficia subsunt Papæ, tanquam ordinatori supremo, non tanquam domino aut possessori : immo nec tanquam immediato dispensatori, nisi prælatorum inferiorum iniquitas aut manifesta Ecclesiæ utilitas casibus certis istud exigeret* (t. II Operum veteris edit., p. 22). Dum autem vult Papam, extra casum utilitatis aut abusus ex parte collatorum inferiorum, esse tantum *dispensatorem mediatum*, parum accurate locutus est : nam, extra prædictos casus, vel poterit Papa cogere prælatos inferiores ad conferendum beneficium personæ quam ipse eis designabit, vel non. Si nequeat, neque est *dispensator mediatus :* si possit, ergo in re ipse erit verus dispensator immediatus, cum prælati inferiores ad formalitatem tantum interveniant et designatæ a Papa personæ beneficium tradere cogantur. Si voluerit tantum dicere Gersonius, *in foro conscientiæ* teneri Romanum Pontificem ad relinquendam collatoribus ordinariis beneficiorum dispensationem, quando nulla Ecclesiæ utilitas suadet ut ipse immediate per seipsum conferat, a communi canonistarum sensu non discrepat. Id enim bonum generale Ecclesiæ suadet, ut extra utilitatis aut tollendorum abusuum causam, permittantur prælati inferiores et collatores uti ordinario suo jure. At vero quandonam adsit justa illa utilitatis causa, id ad Papam ipsum judicare pertinet, qui, ex regula in jure canonico admissa, quidquid facit, ex utilitatis causa facere voluisse censendus est. Ita scilicet, quod valeat collatio a Papa immediate facta, etiamsi forte aliquando talis collatio, quam utilem reputat, noxia potius in re exsisteret.

Doctorum ergo catholicorum unanimis consensus est om-

nia mundi beneficia ecclesiastica *subesse Papæ tanquam ordinatori supremo.* Necessaria autem hujus principii conclusio est, posse quodlibet beneficium a Papa conferri, et conferendum reservari. Quæ conclusio communiter etiam a scholæ doctoribus per plura sæcula tanquam indubitata habita est. Ita etiam ut jus illud pontificium circa beneficia, ante exortas protestantismi et jansenismi sectas, a catholico auctore negatum vix reperiri queat.

Porro unanimi doctorum scholæ consensui in re ad dogma pertinente contraire quam temerarium sit, notum omnibus est, et docet Melchior Canus in suo locorum theologicorum libro.

9° *Confirmatur ex juris canonici textibus.* — Sic decrevit Clemens III anno 1190 : *Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa cum vacant potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis; collationem tamen ecclesiarum, personatuum, dignitatum et beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, specialius cæteris antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit. Nos itaque laudabilem reputantes hujusmodi consuetudinem, et eam auctoritate Apostolica approbantes,... statuimus ut... beneficia quæ apud Sedem ipsam deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem... conferre alicui non præsumat. Nos enim, si secus attentatum fuerit, decernimus irritum et inane.* (C. *Licet,* de Præbendis, in *sexto.*)

Decretum autem illud an erroneum in doctrina visum fuit concilio generali Lugdunensi anni 1273? Nequaquam; sed illud in aliquo immutans, in reliquis confirmatum voluit. Sic enim Gregorius X in dicta œcumenica synodo : *Statutum felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri de dignitatibus et beneficiis in curia Romana vacantibus... decernimus taliter moderandum : ut ii, ad quos eorumdem benefi-*

ciorum et dignitatum spectat collatio..., post mensem a die quo vacaverint numerandum, ea conferre valeant (C. *Statutum*, de Præbendis, in *sexto*). Si hodierni Gallicani nostri concilio illi œcumenico interfuissent, petivissent profecto deleri ante omnia, tanquam in dogmate erroneum, citatum Clementis effatum, quod nempe *beneficiorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere*. Sed natus nondum erat tunc temporis gallicanismus. Audiamus et Bonifacium VIII :

Si alicui usque ad certam summam provideri mandamus, ei non in pensione, sed in beneficiis ecclesiasticis tantum volumus provideri : nisi de pensione in nostris litteris mentio habeatur expressa. Quanquam sub nomine ecclesiarum civitatis comprehendatur alias ecclesia cathedralis, cum tamen alicui de beneficio mandamus in aliqua ecclesiarum civitatis vel diœcesis provideri, ad cathedralem ecclesiam se mandatum hujusmodi non extendit. Secus autem cum mandamus in aliqua ecclesiarum provinciæ provideri : tunc enim et metropolitana et cœteræ cathedrales ecclesiæ includuntur sub tali mandato, cum uberiorem hoc casu impetranti gratiam facere videamur. (C. *Quamvis*, de Præbendis, in *sexto*.)

In Viennensi œcumenica synodo, postquam quædam de beneficiorum collatione statuta sunt, sic decretum clauditur : *Salva tamen in præmissis omnibus Romani Pontificis potestate, ad quem ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plena et libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere* (Clementina, *Ut lite pendente*).

Concilium vero Tridentinum, *exspectativas* quidem sustulit, non vero reservationes generales in cancellariæ regulis sancitas. Si autem, ut tanta cum temeritate inclamant Gallicani, per dictas regulas Romani Pontifices potestatis suæ fines excessissent, an tacuisset Tridentina synodus? An tantum malum et scandalum in Ecclesia reliquisset?

Probatur 10° *indirecte.* — Ad summum id contendere pos-

sent Gallicani, rem esse controversam; reperiri scilicet gallicanos auctores recentiorum saltem temporum qui dictam potestatem Romano Pontifici denegent. Permittamus rem dici controversam : ergo, inquam, controversiarum in Ecclesia judicem adeamus, et si tulerit sententiam, causam pro finita habeatis. Judex ille supremus non potest esse concilium œcumenicum independenter a Papa; quia decretum synodi œcumenicæ nisi a Papa confirmetur vim non habet; et saltem dubiam remanere vim illam utpote controversam vos ipsi confitemini. Ergo judex ille supremus est Papa, etiam solus (ut dico ego), cum concilio œcumenico aut silentio Ecclesiæ dispersæ, ut vos fingitis. Porro per suam agendi rationem et decreta multa Romani Pontifices sibi vindicarunt et certum declararunt jus suum de conferendis beneficiis, et hæc doctrina et praxis per plura sæcula universaliter recepta est; et in concilio œcumenico Viennensi expressam supra retulimus. Finitam esse causam cur non concluditis?

§ III.

An exitiales reputandæ sint pontificiæ beneficiorum reservationes.

Quando de reservatis Sedi Apostolicæ beneficiorum collationibus quæstionem attingunt janseniani auctores, atque etiam gallicani systematis non pauci, eos statim videre est non disserere, sed debacchari. Adeo eis pestiferum monstrum est disciplina illa, ut non tantum abusus, sed rem ipsam de medio in æternum tollendam inclament. Ex quo ingenti æstu, jam viro catholico subodorare licet, aliquid non parvæ utilitatis et efficaciæ sub re, systematibus erroneis tam exosæ, latere. Abusus quidem pro rerum omnium humanarum fragilitate aliquando irrepsisse negat nullus. Quanti vero fuerint, caveas a memoratis auctoribus sciscitari; veritatemque potius ab ipsis monumentis haurias.

Rem ipsam esse in se bonam et Ecclesiæ summe utilem, suadent rationes validissimæ.

Ecclesiæ summopere interest ut omnia cleri membra centro unitatis fortiter devinciantur. Dum enim de qualibet mundi parte unusquisque clericus summo pastori invincibiliter adhæret, clausa hoc ipso manet hæresibus janua, clausa schismatibus, clausa erroneis systematibus. Nullus scilicet unquam error alte radices egit, nisi divulsis a Romano Pontifice aliquibus clericalis militiæ turmis. Jam vero si Romana Sedes in omnibus mundi ecclesiis sua quibus sustententur beneficia non paucis clericis ipsa dispenset, quis non videt hujusmodi viros ex naturali etiam cordis humani impulsu, magis fore addictos, atque ad obaudiendum, ad obtemperandum, ad consentiendum, ad resistendum contrariis moliminibus propensos? Id autem contraria hypothesi clarius adhuc patet. Sit regio in qua sæcularis princeps episcopatus nominando seu præsentando dispenset, et beneficia inferiora plurima conferat; reliqua vero beneficia ab Episcopis pendeant, nulla a Romano Pontifice. Ibi profecto imminebit minime chimericum erroris et schismatis periculum : si enim sæcularis potestas in schisma propendeat, in idem tendentes nominabit Episcopos, in idem tendentes beneficiarios, in idem tendentes et ipsi vicissim alios nominabunt Episcopi. Removebuntur qui zelo unitatis et sanæ doctrinæ generali huic tendentiæ obnituntur; qui et rariores in dies reperientur, cum et in seminariis tradita junioribus doctrina tunc ad gubernii placitum inflecti soleat. Multa dissimulare cogetur gemebundus Ecclesiæ universæ pastor, ne forte et in deterius res prolabantur; atque omnis fere vigor apostolicus ad talia obstacula elisus prosternetur. Quanto cum ecclesiarum hujus regionis detrimento et periculo, quis non videat? Atque utinam descriptam hypothesim experientia et historiæ monumenta non comprobarent! Ex illa ergo ratione, viris catholicis semper videbitur summa sapientia inductam fuisse reservationum apostolicarum dis-

ciplinam. Quod autem evenire possit ut Romanus Pontifex immeritis et non sat delectis viris conferat, id in contraria praxi, non tantum æque, sed et facilius contingere potest; neque ex abusuum possibilitate res ipsæ optimæ sunt de medio tollendæ.

Alias rationes adducere solent auctores, quæ si libero a præjudiciis animo perpendantur, non parvi momenti etiam videbuntur : eas sic enumerat Riganti :

« Rationes et causæ quibus Pontifices moti sunt ad reser-
» vationes sive generales, sive speciales faciendas, multipli-
» ces fuere, juxta glossam in extravagantem *Ad regimen de*
» *præbendis*. *Prima*, quod cum sollicitudo pastoralis officii
» multis indigeat ministris, vocandi sunt plures, qui pro ser-
» vitio Ecclesiæ universalis laborent, et quos remunerare
» oportet (1). *Secunda*, quod ad Sedem Apostolicam confluunt
» clerici indigentes quibus subvenire tenetur; ideo non alie-
» num ab æquitate fuit invenire modum quo summi Ponti-
» fices possent illorum paupertati consulere. Ad Clemen-
» tem VI Avenione degentem, centum millia pauperum
» clericorum confluxisse ad necessaria ex beneficiis subsidia
» comparanda, refert Thomassinus (T. II, l. 1, c. 44, n° 4).
» *Tertia*, ut provideri possit viris litteratis et virtute præs-
» tantibus, quibus Ecclesia plurimum indiget. Et hunc fuisse
» Pontificum scopum in reservando beneficia, ut consulere

(1) Non parvi ponderis est ratio illa. Audiuntur nonnunquam querelæ quod summus Pontifex in Ecclesiæ regimine non ea qua deceret virorum doctrina et pietate insignium copia stipatus sit. Et utique justo paucior est virorum illorum numerus; sed cresceret profecto, si præsto essent aliqua in singulis diœcesibus beneficia quæ Papa posset eis, postquam de Ecclesia universali benemeriti sunt, libere conferre. Si penuriam illam ex sincero Ecclesiæ zelo lugetis, cur contra pontificias beneficiorum reservationes tam infenso ore declamatis? Nec objiciatur principatus temporalis statuum pontificalium : neque enim æquum est populum illum tributis obrui, ut consulatur totius mundi necessitatibus.

» valerent benemeritis de Ecclesia et catholica fide, de curia, » de seipsis, notat Paulutius. *Quarta* demum causa reservandi » beneficia fuit magnus abusus Ordinariorum, qui aut suis » consanguineis, amicis et familiaribus providebant, aut si » aliis, id ex suasionibus et favoribus laïcorum. » (In Rubricam reg. 1, cancellariæ, § 1, n° 9.)

CAPUT III.

AN VIM LEGIS UNIVERSALIS HABEANT CANCELLARIÆ REGULÆ, ET SINT JURIS CANONICI FONTIBUS ANNUMERANDÆ ?

Probatum est supra constitutiones Romanorum Pontificum, etiam Romæ duntaxat publicatas, vim legis habere; atqui regulæ cancellariæ nihil aliud sunt quam quædam pontificia decreta Romæ publicata, et circa disciplinam universalem statuentia; ergo et illæ regulæ vim universalis legis obtinere dicendæ sunt. Quod autem ab unoquoque Pontifice non decernantur nisi pro pontificatus sui tempore, hoc quidem probat vim earum cessare eo momento quo e vivis migrat quilibet Papa, sed minime impedit quin iterum vigere incipiant statim ac successor eas iterum firmas voluit ac declaravit. Ergo regulæ illæ tanquam pars juris communis habendæ sunt, non minus ac cætera pontificia decreta quæ de disciplina universali disponunt. Et ita tenent doctores communiter : *Hæ regulæ vim habent quandiu vivit Pontifex.* (Devoti, Proleg., in jus can. cap. 20, § 7.) *Hujusmodi constitutiones et regulæ vim legis habent* (Riganti, in Proœm. regularum canc., n. 26); qui auctor addit eas esse *ad instar constitutionum,* atque hodie *ad stabilem legem edictumque perpetuum* pervenisse. Ita etiam docent Gonzales, Barbosa, Zipæus, quos vide cum multis aliis citatos apud Riganti, citato loco.

Quemadmodum vero constitutiones pontificiæ, licet ad jus commune pertinentes, possunt in aliqua regione non vigere, tum quia ipsis in illa regione per aliquod concordatum derogatum est, tum quia contra ipsas prævaluit contraria consuetudo legitime præscripta, ita ex iisdem causis contingere potuit, et de facto contigit, ut in multis locis quædam cancellariæ regulæ vim habere cessaverint. « His vero, ait Devoti (loco » supra citato) derogatum in multis est per pacta conventa » inter summos Pontifices et potentissimos Europæ Princi- » pes. » At vero in se consideratæ, et seclusa derogationis hypothesi, non minus quam cætera Sedis Apostolicæ decreta dicendæ sunt legum universalium vim habere, et fontem proinde juris canonici constituere.

Et vero, ideo tantum dici posset eas vim legis non habere, sicut alias pontificias constitutiones, quia in eis condendis Romani Pontifices excessissent potestatis suæ limites, in materia scilicet beneficiali ordinanda; ita ut nullitatis vitio in radice laborare censendæ forent. Atqui temeraria opinio illa omnino falsa est, ut præcedenti capite probavimus; ergo regulæ cancellariæ pro veris legibus pontificiis habendæ sunt, et fontibus juris ecclesiastici annumerandæ.

CAPUT IV.

AN CANCELLARIÆ REGULÆ ADHUC VIGERE CENSENDÆ SINT IN GALLIA?

Cum ex antea probatis, hujusmodi regulæ tanquam veræ Ecclesiæ leges sicut et cætera sanctæ Sedis decreta habendæ sint, sequitur illas etiamnum vigere et obligare in omnibus regionibus, ubi neque per leges contrarias aut concordata,

neque per contrariam legitimam consuetudinem eis derogatum fuit.

Præsens ergo quæstio tota pendet ab hac exploratione, utrum supervenerit necne legitima derogatio. Quam explorationem licet prosequamur tantum quoad Galliam, facile poterit quisque eadem methodo a'iis etiam regionibus applicare.

§ I.

An et quomodo ante concordatum anni 1801 viguerint in Gallia Cancellariæ regulæ.

Regiones in quibus vigebant Cancellariæ regulæ, sic recensebat suo tempore clarissimus Riganti, e vivis sublatus anno 1718 : « In tota Italia insulisque adjacentibus » cancellariæ apostolicæ regulæ servantur; servandasque » etiam in Dalmatia resolutum fuit a sacra congregatione » Episcoporum; servantur itidem in regnis Hispaniarum, » in Lusitana et in Polonia... Galliam quod respicit, si » loquimur de ea parte quæ *Patria reducta* appellatur, » quia nempe ibi *taxa* ad medietatem reducta est, et in » qua olim viguit Pragmatica sanctio, cujus loco subro- » gata fuerunt concordata inita inter Leonem X et Fran- » ciscum I Galliarum regem, regulæ cancellariæ locum » non habent, præter infra scriptas, nempe : *de annali pos-* » *sessore, de triannali, de verosimili notitia, de idiomate, et de* » *publicandis resignationibus.* In iis vero regionibus *Patria* » *obedientiæ* nuncupatis, quæ Pragmaticam nunquam reco- » gnovere, quæque post concordata Coronæ accesserunt, vi- » gent regulæ cancellariæ. Et pro provincia *Provinciæ* (la » Provence) et *Britannia,* adsunt celebres declarationes Hen- » rici II, Francisci II, et Caroli IX Galliarum regum... Subja- » cent cancellariæ regulis *Comitatus Rossilionis* et vicinæ

» ditiones, quæ a Carolo II Hispaniarum rege Ludovicus XIV » acquisivit. In indulto enim nominandi ad beneficia majora » in dictis regionibus existentia, quod eidem Christianissimo » regi Clemens IX impertitus fuit, expresse præservantur » jura Sedi Apostolicæ in regionibus ipsis competentia, et » singillatim circa reservationes mensium Apostolicorum, » aliasque omnes tam generales quam speciales apostolicas » beneficiorum provisiones, et pensionum super ipsis impo- » sitiones. » (Riganti, t. I, p. 8.) Idem tradit citatus auctor quoad regiones quæ dicebantur *la Bresse, Bugey, Valromay,* et *Gex*. (T. II, p. 111.) « In Belgio locum etiam sibi vindicant » regulæ cancellariæ...; quemadmodum in comitatu Burgun- » diæ. Sed quod attinet ad beneficia, in Metensi, Tullensi et » Virdunensi civitatibus earumque territoriis consistentia, et » extra Romanam curiam vacantia, Clemens IX Ludovico XIV » indulsit ut ad beneficia præfata libere nominare posset cum » nonnullis tamen conditionibus. » (Riganti, t. I, p. 9, edit. Romæ, 1744.) Vigebant etiam dictæ regulæ in Comitatu Avenionensi.

Quamvis autem dicatur regulas cancellariæ non viguisse in iis partibus Galliæ ubi vigebat concordatum Francisci I cum Leone X, id non ita intelligendum est, quasi jus pontificium in beneficia nullum ibi agnosceretur aut exerceretur. Exercebatur jus illud, non quidem in omnibus ad normam dictarum regularum, sed juxta textum concordati, ab iisdem regulis in quibusdam, non in omnibus, diversum. Nam 1° collatio beneficiorum omnium vacantium in *curia Romana* (1), non minus ex concordato Francisci I quam ex regulis cancellariæ pertinebat ad Papam. 2° Non minus juxta dictum concordatum quam juxta regulas cancellariæ, poterat Papa

(1) Dicitur beneficium vacare in *curia Romana* seu apud Sedem, quando beneficiarius moritur Romæ, vel amittit suum beneficium per aliquem Pontificiæ auctoritatis actum.

beneficia vacantia quælibet *jure præventionis* conferre. En textum concordati : *Declarantes... Nos et successores nostros jure præventionis dignitates, personatus, administrationes et officia, cæteraque beneficia ecclesiastica sæcularia et quorumvis ordinum regularia vacantia libere conferre.* (Apud Rebuffum reperies textum concordati cum commentariis.) 3° *Mandata apostolica* (id est litteræ quibus Papa jubebat tali personæ conferri beneficium, in tali ecclesia vel in tali diœcesi aut provincia ecclesiastica vacans, aut primo vacaturum), quæ postea a concilio Tridentino sublata sunt, in concordato Francisci I non omnino supprimebantur, sed tantum restringebantur. Quando nempe Episcopus vel quivis alter erat collator ordinarius decem beneficiorum, poterat Papa de uno ex illis decem beneficiis per mandatum apostolicum disponere; si quis autem esset collator ordinarius quinquaginta et ultra beneficiorum, poterat Papa per mandatum disponere de duobus : *Statuimus et ordinamus quod quilibet Romanus Pontifex (semel dumtaxat tempore sui pontificatus), litteras in forma mandati, juxta formam inferius notatam dare possit, hoc modo videlicet : unum collatorem habentem collationem decem beneficiorum, in uno; habentem autem* 50 *beneficiorum et ultra, in duobus beneficiis dumtaxat, gravare possit.* Præcipua derogatio cancellariæ regulis erat reservationum tum specialium tum generalium sublatio in *Patria reducta.* « Volumus quoque et » ordinamus, quod in regno, Delphinatu et Comitatu prædic- » tis, de cætero non dentur aliquæ gratiæ exspectativæ, ac spe- » ciales vel generales reservationes ad vacatura beneficia, per » Nos et Sedem prædictam non fiant. » (Apud Rebuffum, in concordata, folio 586, edit. Lugduni, 1609.)

Unde ad quæstionem propositam, quomodo nempe viguerint in Gallia cancellariæ regulæ usque ad concordatum anni 1801, responderi potest : eas viguisse in integrum in magna Galliarum parte; in reliquis vero ejusdem regni ditionibus, fuisse eis a Leone X in nonnullis derogatum. At in

ipsomet concordato quo derogationes illæ sanciebantur, agnoscebatur principium supremi juris pontificii in beneficia; siquidem quoad beneficia vacantia in curia, et quoad potestatem pontificiam conferendi *jure præventionis*, Romani Pontificis prærogativa intacta relinquebatur. Quod identidem parlamenta aut alii, sancita in concordato explere recusaverint, ad quæstionem non facit: attendenda lex regni, non violationes legis aut inducti abusus. Unde immerito quis ad probandum nullo modo viguisse in Gallia cancellariæ regulas, adduceret quædam parlamentorum arresta aliaque hujusmodi ultimis temporibus attentata; quamquam neque etiam sic reperirentur in praxi obliteratæ in Gallia cancellariæ regulæ, sed potius usque ad perturbationem anni 1793 in usu fuisse.

§ II.

Quid evaserint regulæ Cancellariæ vi concordati anni 1801.

Propositio 1ª. — *Attenta dumtaxat vi hujus concordati, regulæ cancellariæ vigere hodie in Gallia censendæ forent.* — Probavimus supra per bullam Pii VII, qua omnes Galliarum ecclesias omnino suppressit et exstinxit cum omnibus earum juribus, titulis, atque prærogativis, exstinctum pariter fuisse jus quodlibet Gallicanum antea vigens, id est, omne jus a jure communi diversum et gallicanis ecclesiis proprium; ita ut novæ postea erectæ ecclesiæ, sub communibus Ecclesiæ juribus ortæ fuerint. Excipiendæ tantum illæ dispositiones quibus per concordatum ipsum, aut subsecuta decreta, aut consuetudinem aliquam ab hoc tempore legitime introductam reperitur derogatum. Porro cancellariæ regulæ, ex supra dictis, universales sunt Ecclesiæ leges seu pars juris communis, et eas leges quilibet summus Pontifex a tempore concor-

dati ratas et firmas declaravit; ergo, attenta tantum nova ecclesiarum Galliæ constitutione, regulæ illæ vigere censendæ forent in omnibus, in quibus præfato modo eis a tempore concordati non reperitur derogatum.

Propositio 2ª. — *Concordatum regulis cancellariæ derogat quoad nominationem parochorum, non quoad aliorum beneficiorum collationem.* — Ex regulis cancellariæ tam beneficia curata quam cætera reservantur Papæ octo anni mensibus, ita ut collatores ordinarii conferre possint tantum quæ quatuor aliis mensibus vacant. At vero in concordato anni 1801 expresse statuitur Episcopos ad parochias *nominaturos;* qua voce intelligendum videtur jus conferendi, cum regulas cancellariæ in materia reservationum esse stricte interpretandas tradant communiter canonistæ. Ergo quoad beneficia parochialia non vigent nunc in Gallia illæ regulæ. Sed quoad alia beneficia, verbi gratia, quoad collationem canonicatuum, nulla in textu concordati reperitur derogatio. Unde attento solum concordato, concludendum primam post Episcopum dignitatem in cathedralibus esse juxta regulas cancellariæ Sedi Apostolicæ ubique in Gallia reservatam; et item reservatos canonicatus quoties in curia Romana vacant; et item cæteros canonicatus qui vacant octo papalibus mensibus. Neque ullum intervenisse novimus pontificium decretum a tempore concordati, per quod derogatio cancellariæ regulis quoad id induceretur.

Propositio 3ª. — *Praxis a tempore concordati in Gallia obtinens dubitandi causa esse potest utrum ibi vigeant hodie cancellariæ regulæ.* — A tempore concordati nominatio non tantum ad parochias, sed etiam ad dignitates et canonicatus omnes, ab Episcopis fieri solet; quæ praxis non tantum cancellariæ regulis contraria est, sed et juri communi *collationis simultaneæ,* id est, per Episcopum simul et capitulum peragendæ (de quo fuse agimus in tractatu de Capitulis), imo et veteri gallicano juri. Porro per talem praxim inductam

fuisse regulis cancellariæ derogationem suadent sequentes rationes :

1° Illa praxis jam quadragenaria est; porro ad præscribendum contra legem universalem Ecclesiæ in materia disciplinari præscriptibili sufficere 40 annos communiter doctores admittunt.

2° Novit hanc praxim Romanus Pontifex, et non tantum silet, sed et ex multis actis Romanæ curiæ prædictas collationes tanquam validas ab ipso haberi supponi potest. Verbi gratia, quando canonicus aliquis ad episcopatum evehitur, ipsamet sancta Sedes eum canonici nuncupatione designat, licet juxta dictam praxim canonicatum obtinuerit.

3° Ob leges civiles et necessarias cum gubernio relationes incumbit ita agendi necessitas.

Illis tamen rationibus aliæ opponi posse videntur : 1° dicta praxis nondum est quadragenaria in diœcesibus anno 1822 erectis.

2° Etiam ubi est quadragenaria, non videtur vestiri conditionibus ad legitime præscribendum requisitis. Nam præterquam quod regulæ cancellariæ muniuntur decreto irritante contrarias quæ in futurum introducerentur consuetudines, certum est et ab omnibus admissum principium illud generale, consuetudinem nempe legi prævalere non posse nisi Princeps aliquo modo, tacite saltem, consentiat. Porro consensus Romani Pontificis in præsenti re non videtur adeo certus. Verum est ipsum bene conscium tacere et non reclamare; at (sicut infra fusius exponimus tractando de consuetudine), aliud est silentium Papæ cum libertate reclamandi, aliud idem silentium ex prudenti œconomia servatum, donec opportuna redeat reclamandi facilitas. Prioris quidem generis silentium, tacitum consensum merito secum ferre censetur : posterioris non item. Deficiente reclamandi facilitate, violentiam papitur Papa; nec consentire eum ex hoc solo

concludi potest. Porro generalem novarum ecclesiarum Galliæ statum qui vel tantisper noverit, facile intelliget Romanum Pontificem, ne pejora exurgerent mala, et ne ad deteriora procederet gubernium (a tempore concordati Ecclesiæ fere semper, ut notum est, infensum), potuisse et debuisse prudenti silentio multa dissimulare. Ergo consensus, nisi aliunde constet, legitime præsumi nequit. Quo deficiente consensu, non valet etiam quadragenaria praxis.

3° Nec convincit ratio ex impossibilitate regulas cancellariæ servandi ob necessarias cum gubernio relationes : gubernium enim non aliter sese canonicatuum collationi immiscet, quam postulando ab Episcopo testimonium quo fidem faciat talem fuisse ad canonicatum canonice nominatum; quo posito solvitur eidem nominato pensio gubernii, quæ veræ præbendæ rationem habet (ut in tractatu de Capitulis ostenditur). Episcopus autem tam facile prædictum testimonium gubernio transmittere potest, quando juxta cancellariæ regulas nominatio per Papam peragitur, quam in casu quo ipsemet nominat.

Quibus hinc inde libratis rationibus, fatemur nobis minime certam esse dictæ praxeos legitimitatem. Et cum tam facile sit adeo gravis quæstionis solutionem a Sede Apostolica expostulare et obtinere, non videmus cur, nullo facto cum Romano Pontifice verbo, tanta fiducia assereretur pro nullis haberi posse nunc in Gallia cancellariæ regulas. Si jam sancta Sedes mentem suam declaraverit, quod nos omnino fugit, causa finita est. Difficile tamen nobis persuademus consensisse eam, ut primæ post Episcopum dignitatis in cathedralibus collatio sibi non remaneat reservata; cum videamus in pluribus recens initis concordatis summa cura eam saltem reservationem fuisse retentam. Totam vero de hac quæstione opinationem nostram, habeas, lector, non tanquam absolute assertam, sed ut doctiorum crisi et superiorum judicio

subjectam : timemus enim ne Sedis Apostolicæ juribus molliori calamo in hac materia detraxerimus : timemus et ne quibusdam nimii videamur.

SECTIO IV.

DE CONCILIORUM DECRETIS QUATENUS JURIS CANONICI FONTE.

Distingui solent synodi in generales, provinciales et diœcesanas. Ut autem pateat quanam ratione quælibet ex his synodorum speciebus sit fons juris ecclesiastici, statuuntur sequentia puncta.

I.

Inter concilia generalia, alia sunt a Sede Apostolica confirmata, alia reprobata, alia partim confirmata partim rejecta, unum nec confirmatum nec rejectum.

1. Confirmata seu approbata numerantur 18, quorum 8 priora in Oriente, reliqua in Occidente habita sunt. Sunt autem : Nicænum 1, anni 325; — Constantinopolitanum 1, anni 381 ; — Ephesinum, anni 431 ; — Chalcedonense, anni 451 ; — Constantinopolitanum 2, anni 553; — Constantinopolitanum 3, anni 680; — Nicænum 2, anni 787 ; — Constantinopolitanum 4, anni 869 ; — Lateranense 1, anni 1122 ; — Lateranense 2, anni 1139 ; — Lateranense 3, anni 1179 ; — Lateranense 4, anni 1215 ; — Lugdunense 1, anni 1245 ; — Lugdunense 2, anni 1274 ; — Viennense, anni 1311 ; — Florentinum, anni 1438 ;—Lateranense 5, anni 1512 ; — Tridentinum, anni 1542.

Illa ut facilius memoriæ mandent, quidam per primam tantum cujusque syllabam enuntiant, per terna disponendo, hoc modo : Ni, co, e, — chal, co, co, = ni, co, la, — la, la, la, = lu, lu, vi, — flo, la, tri.

II. Reprobata recensentur a Bellarmino 8, nempe Antiochenum, anni 341, in quo damnatus S. Athanasius; — Mediolanense, anni 354; — Ariminense, anni 363, in quo sublata est ex symbolo vox ὁμοούσιος; — Ephesinum 2, anni 449, in quo occisus S. Flavianus Episcopus, legati Romani Pontificis fugati, et hæresis eutychiana confirmata : solet vocari *latrocinium* ephesinum; — Constantinopolitanum, anni 730, contra sanctas imagines, sub Leone Isaurico; — Constantinopolitanum, anni 755, in quo firmata hæresis iconoclastarum; — Pisanum posterius, anni 1511; — Wittembergense, anni 1536, quod Lutherani generale vocant, in quo sederunt 300 pastores præside Luthero.

III. Partim approbata et partim reprobata inveniuntur sex : Sardicense, anni 351; — Sirmiense, anni 356; — Quinisextum, anni 692, sic appellatum quia nec quinta nec sexta synodus Constantinopolitana fuit, sed utrique aliquos canones addidit : vocatur etiam Trullanum, a palatio in quo habitum fuit, et quod dicebatur Trullum; — Francofordiense, anni 794, confirmatum a Papa Adriano I quoad partem in qua definitur Christum non esse Filium Dei adoptivum, reprobatum ab eodem Pontifice quoad partem in qua ex errore damnatur septima synodus; — Constantiense, anni 1414, quantum ad decreta contra errores Wiclefi et aliorum hæreticorum, approbatum a Martino V; quantum vero ad sessiones 4 et 5, in quibus decernitur concilium esse supra Pontificem, non approbatum : usus est enim hac clausula Martinus V approbando priora decreta : *ipsaque sic conciliariter facta approbat et ratificat, et non aliter nec alio modo.* Porro decreta sessionis 4 et 5 non fuerunt conciliariter facta; tum quia tunc concilium fuit acephalum, deficiente Papa in-

dubitato; tum quia necdum fuit generale, cum non adfuerint nisi qui Joanni XXIII adhærebant, non autem duæ aliæ obedientiæ, quæ tantum accesserunt post sessionem 13. — Basileense, anni 1431, de quo nihil ratum et probatum nisi quædam dispositiones circa beneficia ecclesiastica.

IV. « Nec approbatum nec improbatum videtur esse Pisa-
» num, quod anno 1409 deposuit Gregorium XII et Bene-
» dictum XIII, pro Pontifice se gerentes, et elegit Alexan-
» drum V. » (Schmalzgrueber, dissert. proœmialis, § 8, n° 344).

II.

Decreta conciliorum generalium a Sede Apostolica confirmata vim habent legis universalis, et sunt unus ex fontibus juris canonici stricte sumpti.

Hanc propositionem orthodoxus nullus in dubium vocat. Ejus autem veritas evidens fit ex eo quod certo existat in Ecclesia potestas legislativa, et ista potestas debeat necessario inveneri in coadunatione primorum pastorum cum summo Pontifice. Præterea demonstratum in præcedenti capite summum Pontificem pollere potestate legislativa in universam Ecclesiam : si autem hanc potestatem habet extra concilium generale, habebit et in concilio generali. Unde recte Schmalzgrueber : « Si a Sede Apostolica confirmata
» sint (conciliorum generalium decreta), obtinent plenum
» robur et auctoritatem, ita ut hujusmodi decreta, si fidei
» orthodoxæ doctrinam concernant, perinde ut quatuor
» Evangelia amplectenda et retinenda sint; si vero morum
» reformationem spectent, vim legis universalis, omnes
» Christi fideles obligantis, obtineant. » (Loco supra citato, p. 345.)

Ergo talia decreta constituunt jus universale, seu proprie dictum.

III

Conciliorum generalium decreta, a Sede Apostolica non approbata aut reprobata, omni prorsus vigore carent.

Hæc thesis fuse probari solet in tractatibus de Ecclesia, de summo Pontifice, aut de conciliis ad quos remittimus, hic tantum hæc pauca memorantes cum Schmalzgrueber : « Acta » conciliorum omnia ad Romanum Pontificem transmitti, eo- » rumque confirmatio peti debet, ut robur obtineant : et ita » ab initio statim factum est a concilio Nicæno 1, ubi Patres in » Epistola synodica ad Sylvestrum Papam, *quidquid constitui-* » *mus,* inquiunt, *precamur ut vestri oris consortio confirme-* » *tur.* Exemplum istius secuta sunt reliqua concilia, et no- » vissime Tridentinum, in quo Patres concilii solemniter » declararunt et protestati sunt, omnia et singula a se statuta » *ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis* » *Apostolicæ et sit et esse intelligatur.* (Sess. 25, c. 21, de ref.) » Proceditque hoc etiamsi in concilio præsederint Legati Pon- » tificis; nam hoc non obstante, Romam, ut semper factum » est, ab ipso Pontifice confirmanda transmitti debent. » (Loco citato.)

Utrum autem decreta conciliaria vim et robur legis universalis habeant etiam ante confirmationem Sedis Apostolicæ? Affirmavit Sotus (in 4, dist. 20, art. 4, ad 2) ex ea ratione quod concilio generali ipsa ejus convocatione conferatur potestas ferendi hujusmodi leges : hæc autem potestas frustra eidem daretur, si ejus ordinationes ac decreta vim legis ante confirmationem apostolicam non obtinerent. « Sed verius » est, ait Schmalzgrueber, robur plenum et absolutam vim » obligandi ejusmodi decreta solum obtinere, si confirmatio » apostolica supervenerit. » (Loco citato.) Et postquam idem auctor enumeravit theologos et canonistas ita sentientes, addit illam sententiam desumi « ex perpetua traditione et obser-

» vantia conciliorum generalium, quorum Patres semper
» aut petierunt aut receperunt decretorum suorum confir-
» mationem. »

Ex præcedentibus sequitur concilia partim approbata, partim non, habere tantum vim legis quoad partem approbatam.

IV

Synodi particulares per se non habent vim legis universalis, nec proinde sunt fons juris canonici stricte sumpti.

Nam illæ synodi non habent jurisdictionem nisi in regionem aliquam, aut in provinciam ecclesiasticam, aut in unam diœcesim. Ergo per se earum decreta non obligant universos fideles; ergo non faciunt jus canonicum proprie dictum, id est, universale. Diximus *per se*, quia plura decreta synodorum particularium facta sunt leges universales, accedente auctoritate summi Pontificis, illa extendentis ad universam Ecclesiam. Possunt etiam evadere universales istæ leges per consuetudinem; nempe si consuetudine universali accipiantur et ista consuetudo sufficienter induerit rationem legis. Notandum est autem decreta conciliorum particularium quæ semper sanctæ Sedi ante publicationem submitti debent, aliquando redire non tantum cum ordinaria *approbatione*, sed insuper (quod privilegium est) cum *confirmatione* apostolica. Sed ista confirmatio non censetur extendere obligationem concilii provincialis extra provinciam, nec nationalis extra regnum, nec diœcesanæ synodi extra diœcesim, nisi id expresse enuntiet summus Pontifex. Unde nisi aliter expresse statuat Romanus Pontifex, synodi particulares quælibet non constituunt nisi jus particulare. Sed cum leges ecclesiasticæ particulares variis provinciis aut diœcesibus faciant jus quoad aliquos, bene dici etiam possunt hoc sensu fons juris ecclesiastici; et hoc dicendum non tantum de decretis synodalibus, sed et de sta-

tutis episcopalibus, et prælatorum sive congregationum regularium pro regularibus, et capitulorum cathedralium, et de statutis denique cujuslibet potestatem aliquam legislativam possidentis.

SECTIO V.

DE ROMANIS CARDINALIUM CONGREGATIONIBUS QUATENUS JURIS CANONICI FONTE.

De Romanis congregationibus et tribunalibus Romanæ curiæ, fuse disseruimus in tractatu *de curia Romana*. Hic tantum expendendum venit utrum illarum congregationum decisiones rationem legis habeant totam Ecclesiam obligantis. Agitari autem solet hæc quæstio præcipue et seorsim quoad congregationem quæ dicitur *concilii*, ob peculiares facultates quibus a Sede Apostolica donata est, et quia ab ipsa emanare solent multæ et magni momenti declarationes. Nos hoc ordine disseremus : 1° quibus facultatibus polleat congregatio concilii; 2° an ejus declarationes vim legis habeant; 3° an eadem legis ratio aliarum congregationum decretis inhæreat.

CAPUT I.

QUID SIT, ET QUIBUS POLLEAT FACULTATIBUS CONGREGATIO CONCILII.

« Confirmata Tridentina synodo per constitutionem Pii IV
» *Benedictus Deus*, prohibuit idem Pontifex (anno 1563, 7 ca-
» lend. Febr.) ne ad decreta concilii edantur commentaria,
» prout olim fecerat ad codicem Justinianus (l. I, c. de Veteri
» jure enucl. § *Nostram autem*).

» Subinde instituit idem Pius IV congregationem octo car-
» dinalium qui dicto concilio interfuerant, ejusque sensum
» probe noverant, ut decreta synodi per officiales servanda
» curarent, et si quod dubium aut difficultas aliqua in exse-
» cutione occurreret, ad Pontificem referrent. (Constitutione
» *Alias nos*, anni 1564, 4 nonas Aug.)

» Cum vero successu temporis hæc congregatio sæpe in
» rebus non dubiis, ad concilii tamen intelligentiam perti-
» nentibus, responsa dedisset, et dubitatum esset an ad hoc
» facultatem haberet, ob prohibitionem a Pio IV factam, in-
» dulsit primum Pius V ut posset decidere casus quos claros
» putaret, dubiis ad se remissis; ac non multo post facultatem
» eidem concessit decidendi causas et controversias interpre-
» tationem concilii concernentes...

» Demum Sixtus V in bulla *Immensa æterni* (anno 1587,
» 11 calend. Febr.) impertitur facultatem eidem concilio car-
» dinalium, consulto tamen Pontifice, interpretandi dubia et
» difficultates occurrentes, in his quæ de morum reforma-
» tione, disciplina, et ecclesiasticis judiciis aliisque similibus
» statuta sunt, reservata sibi et successoribus suis interpre-
» tatione decretorum quæ fidei dogmata concernunt.

» Hanc interpretandi (1) facultatem habet privative, cum
» nulla alia congregatio se illi immisceat. At facultas exsecu-
» tionis (2) vel observantiæ est cumulativa cum aliis, puta cum
» congregatione super negotiis Episcoporum et regularium.

» Interpretatur vero non tantum in abstracto decreta et
» mentem sacræ synodi, sed etiam in concreto decidit casus
» particulares, remittendo ad judices ordinarios ea quæ in
» facto consistunt.

» Attribuit deinde Sixtus V (citata constitutione *Immensa*)
» huic congregationi alias facultates, nimirum synodos pro-

(1) Nempe decreta concilii Tridentini.

(2) Id est invigilandi et procurandi ut observentur Tridentina decreta.

» vinciales et diœcesanas in usum inducendi, ut hæ singulis,
» istæ tertio quovis anno celebrentur; decreta provincialium
» (conciliorum) recognoscendi; Patriarcharum, Primatum,
» Archiepiscoporum et Episcoporum qui limina Apostolorum
» visitant, postulata audiendi; et quæ ipsa congregatio per se
» potest expediendi, relatis ad Pontificem gravioribus; ab
» iisque exposcendi statum ecclesiarum, cleri et populi illis
» subjecti; et discedentibus dandi ex formula præscripta lit-
» teras testantes, obitam per eos visitationem liminum Apos-
» tolorum.

» Concessit quoque idem Pontifex congregationi huic auc-
» toritatem, non solum in Urbe et statu ecclesiastico, sed
» etiam in universo christiano orbe ordinandi ea quæ perti-
» nent ad divinum cultum propagandum et mores christiani
» populi componendos (1).

» Demum post has aliasque facultates... dedit illi Grego-
» rius XIV per litteras in forma brevis auctoritatem, no-
» mine Pontificis scribendi. » Hæc exscripsimus e tractatu P. Plettenberg, cui titulus, *Notitia congregationum et tribunalium curiæ Romanæ* (pag. 680, ed. Hildesii, anno 1693). Eadem tradit Schmalzgrueber (dissert., Proœm. § 9).

(1) Habeat itidem congregatio auctoritatem promovendi reformationem cleri et populi, nedum in Urbe et statu ecclesiastico temporali, sed etiam in universo christiano orbe, in iis quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam et mores christiani populi ad præscriptum ejusdem concilii componendos (bulla *Immensa*, 22 jan. 1587).

CAPUT II.

AN DECLARATIONES SEU DECISIONES CONGREGATIONIS CONCILII VIM UNIVERSALIS LEGIS HABEANT.

In triplicem doctores abiere sententiam. Negant alii, alii affirmant, et distinguunt aliqui. Unamquamque sententiam exponemus; tum quid in praxi ex ista opinionum diversitate sequatur exquiremus. Præsupponitur autem constare de authenticitate decisionum de quibus agitur, ac proinde controversia est tantum de illis decisionibus quæ exhibentur sigillo et subscriptione cardinalis præfecti et secretarii congregationis munitæ, vel de transcriptionibus, sive manuscriptis sive impressis, quas certum est originali esse conformes. Possent enim falsæ et apocryphæ circumferri. Porro ipsamet congregatio (27 april. 1621) de mandato Gregorii XV, decrevit hujusmodi decisiones authenticitate destitutas non tantum non facere jus, sed prohibitorum librorum indici esse adjiciendas.

I. SENTENTIA NEGANS.

Nititur his fere rationibus : 1° Lex proprie dicta verbis imperativis vel prohibitivis exprimi debet, ut docent communiter doctores cum Suaresio (Tract. de Leg. l. 3, c. 5, n° 8); atqui Congregatio Concilii non utitur hujusmodi formulis, sed tantum dicit *censuit, censemus;* ergo ipsius decisiones non sunt leges proprie dictæ. 2° Leges ut communitatem obligent promulgari necesse est; atqui Congregatio Concilii non promulgari curat decisiones suas per totum orbem; imo nec authentice illas communicat deputatis Episcoporum Romæ commorantibus, sicut solent Congregationes Indicis, Inquisitionis et quædam aliæ; sed tantum transmittit iis qui du-

bium exposuere. 3° Lex fertur de casibus ordinarie contingentibus, non autem de casibus raris et particularibus; atqui declarationes Congregationis sunt e contra de casibus particularibus; ad decidendum nempe utrum talis casus particularis comprehendatur necne decreto Tridentino. 4° Lex interpretari legaliter nequit nisi ab ea auctoritate quæ legem ferre potuit, unde axioma receptum, *unde jus prodiit, interpretatio quoque quæ vim juris habet procedat;* porro non certo constat sanctam Sedem Congregationi Concilii potestatem leges ferendi totam Ecclesiam obligantes concessisse. 5° Constitutiones pontificiæ sine temporis et loci designatione robore carent; porro declarationes Congregationis Concilii sunt absque data et loci assignatione. 6° Declarationes hujus Congregationis jam immenso numero prodiere; et plures inter se non concordant, testante decreto ipsiusmet Congregationis de mandato Gregorii XV edito, quodque citat Fragnanus (in c. 13 *de Constitutionibus*, n° 59); atqui non expedit subjici Ecclesiam immenso huic legum vix notarum oneri, et præsertim decretis inter se pugnantibus. Hæc sunt ratiocinia quibus nititur sententia negans, quam propugnant inter alios Sanchez, Diana, Bonacina et Layman.

II. SENTENTIA AFFIRMANS.

Argumentum I. — Declarationes ab ipsomet summo Pontifice emanatæ vim legis universalis habent; ergo et declarationes Congregationis Concilii. — *Probatur antecedens :* « Neque solum decreta Apostolica pro tota Ecclesia vel com-
» munitate aliqua jus efficiunt, sed etiam epistolæ et res-
» ponsa summorum Pontificum particularia ad instantiam
» et interrogationem unius personæ data, dummodo in cor-
» pore juris inveniantur, aut proferantur in forma authentica.
» Nam liber decretalium plenus est hujusmodi singularibus
» responsis, quæ pro generalibus Constitutionibus in eo pro-

» ponuntur (ut C. *Ex litteris*, et C. *Ex parte*, de Const., aliis-
» que constat). Deinde ita declaravit Nicolaus I (in C. *Si*
» *Romanorum*, dist. 19); Innocentius III (in C. *Ea multa*, de
» Orat. et voti red.); Gelasius Papa (in C. *Licet*, 16, q. 3);
» estque (sententia) receptissima. Nec desunt rationes :
» nam lex an generalis sit, an particularis, metienda est
» a potestate legislatoris (C. ult. de Const. in 6). Legisla-
» tor vero summus Pontifex generalem habet jurisdic-
» tionem in omnes Christi fideles. Ergo licet responsum
» datum sit ad particularem locum vel personam, jus tamen
» quod efficit comparatione omnium casuum similium, ut
» generale habendum est. Deinde ubi eadem est ratio, idem
» jus constitui debet. Casus enim similes in lege sub eadem
» ratione communi continentur. Ne ergo Pontifex acceptor
» sit personarum, sed omnes uniformi regula moderetur,
» in singulari responso dat legem vel legis interpretationem
» generalem. Nec dicas nonnulla sibi in responsis Pontificis
» contrariari adeoque vim obligandi non habere. Non enim
» Pontifices sibi in definiendo jure, sed in facto judicando
» adversantur; ideoque responsa illa non continent errorem
» juris, sed facti. » (Plettenberg, Introductio ad jus canon., cap. XIX, n° 4.)

Probatur consequens, nempe ex eo quod declarationes ipsiusmet summi Pontificis vim legis generalis habeant, concludendum esse eadem vi pollere declarationes Concilii. 1° Ab ipsamet Apostolica Sede accepit Congregatio potestatem qua utitur in hujusmodi emittendis declarationibus; ergo emittit ex ejusdem Sedis auctoritate; ergo ejusdem auctoritatis sunt ac si a sancta Sede immediate emitterentur, juxta receptum axioma juris, *qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.* 2° Congregatio in casibus dubiis consulit summum Pontificem, et ipsius nomine definit; atqui declaratio ex assensu et nomine summi Pontificis ejusdem est auctoritatis, ac si ipsemet Pontifex illam ederet. 3° Illæ declarationes ex-

primunt sensum legis, porro sensus legis, nomine legislatoris et ex ipsius auctoritate determinatus, est tota vis legis et ipsamet lex. 4° Expresse dicit Sixtus V in bulla *Immensa*, se tribuere Congregationi *auctoritatem promovendi reformationem cleri et populi in universo christiano orbe, in iis quæ pertinent ad mores christiani populi componendos ad præscriptum* concilii Tridentini; sed talis auctoritas est legislativa, et est ipsamet Papæ auctoritas Congregationi delegata. 5° Nemo in dubium revocat utrum delegatus a summo Pontifice ad leges quæ utiles videbuntur in aliqua regione ferendas, vere agat cum potestate pontificia; decreta cardinalis Capraræ, verbi gratia, in Galliis, omnino habentur ejusdem auctoritatis ac si a Papa directe emanassent; porro Congregatio hujusmodi delegationem perpetuam habet ad declarandam Tridentinam synodum et ejus exsecutionem promovendam. Ergo ipsius declarationes et decreta ad exsecutionem prædictæ synodi procurandam, ejusdem roboris sunt ac si a summo Pontifice immediate prodirent.

Argumentum II. — Congregationis istius, utpote a sancta Sede Apostolica institutæ, non minor auctoritas est quam Prudentum seu Jurisconsultorum quibus imperator Justinianus olim legum interpretandarum auctoritatem dedit. Atqui istorum sententiæ et responsa vim legis obtinuerunt; *habeant auctoritatem tanquam... a nostro divino fuerint ore profusa. Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impartietur auctoritas* (L. Deo auctore I, § *et ad tuæ*, C. de Veteri jure enucleato). Hoc ipso quod summus Pontifex facultatem interpretandi decreta Tridentinæ synodi, antea sibi reservatam, Congregationi contulerit, declarationes hujus Congregationis facit suas. Et eam ob causam Congregatio hoc modo multoties inscribitur : *Tridentini concilii sanctissimi Domini nostri auctoritate,* seu *apostolica auctoritate, interpres* (Plettenberg, Notitia congr. et tribunalium rom. Curiæ, c. 18, § 2, n° 6).

Argumentum III. — Seu confirmatio ex praxi. De facto et in praxi Congregatio Concilii suas decisiones urget tanquam eodem robore ac decreta summi Pontificis pollentes, et tanquam obligationem inducentes. Sic enim habet rescriptum quoddam Congregationis quod citat Schmalzgrueber (proœm. n° 372) : *Eadem ratio habenda est in his quæ scribuntur a cardinalibus sacræ Congregationis concilii Tridentini, nomine ipsius Congregationi, ac si a Papa scripta essent.* « Solet Con-
» gregatio (ait Plettenberg, Notitia Congreg. c. 18, § 2, n° 11)
» non solum præcipere ut declarationes observentur, sed
» etiam in contumaces pœnis et censuris ecclesiasticis ani-
» madvertere. Expediuntur etiam pro observatione illarum
» declarationum a secretario brevium litteræ apostolicæ, et
» ab auditore Cameræ monitoria, quæ sine cunctatione Rota,
» Episcopi, et Sedis Apostolicæ Nuntii, quin, et S. R. E. car-
» dinales et de latere Legati suscipiunt et exsequuntur. »

« Constituunt ergo declarationes istæ jus universale quoad
» omnes, licet factæ sint solum ad instantiam solius, seu in
» casu particulari ; ideoque non solum doctrinales, sed etiam
» definitivæ sunt, non secus ac si ab ipso Pontifice editæ
» fuissent. »

Sententiam hanc affirmantem defendunt multi maximi nominis doctores, inter quos Fagnanus, Engl, Reiffenstuel, cardinalis de Luca, et Barbosa.

III. SENTENTIÆ NEGANTIS CONFUTATIO.

Rationes supra allatæ sententiæ negantis sic confutari possunt : 1° Verum quidem est Congregationem Concilii usurpare hunc loquendi modum, *censemus, censuit congregatio;* sed constat etiam illas voces in jurisprudentia synonymas esse istarum, *constituimus, decernimus, præcipimus, prohibe-*

mus : ipse Romanus senatus in decernendo utebatur verbo *censemus*, ut probat Schmalzgrueber (proœm. n° 377) multiplici textuum allegatione. 2° Verum est equidem legem robore carere donec fuerit promulgata; sed minime requiritur promulgatio, quando agitur tantum de interpretatione legis. Interpretatio enim nihil addit juri, sed tantum declarat verum sensum juris jam constituti; et ideo vim habet absque ulla promulgatione, modo constet ab auctoritate competenti fuisse factam. Sensus quippe legis sic declaratæ reputandus est sensus legis ab initio. Hinc imperator Justinianus decernit (novella 145) declarationes de sensu legum suarum effectum retroactivum habituras, et vult eas non tantum pro futuro, sed etiam pro præterito tempore valere : *quam interpretationem*, inquit, *non in futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali a nobis promulgata fuisset*. 3° Verum est Congregationem Concilii plerumque de casibus particularibus declarationes emittere; sed, teste Fagnano qui per quindecim annos fuit a secretis in hac Congregatione, per declarationem non judicatur de veritate facti in casu expositi, sed tantum de jure : veritas facti relinquitur ordinariis judicibus discutienda; Congregatio autem supposito prout narratur facto, determinat quid sit de jure ex decretis Tridentinæ synodi, et sic declarat quo sensu hæc decreta sint intelligenda. Unde occasione facti et postulationis particularis, et licet non respondeat nisi propter casum illum particularem, in re tamen Congregatio determinat quisnam sit in se sensus decreti Tridentini, seu quodnam sit jus pro quolibet simili casu. Ergo declarationes hujusmodi rationem universalis juris habent. Diximus autem Congregationem *plerumque* responsa dare ob propositos casus particulares; sed non videtur quomodo insuper ipsi denegari possit jus per encyclicas litteras ad universos mundi prælatos directas, etiam absque ullius postulatione, determinandi et injungendi

varia disciplinæ puncta, modo id faciat *ad præscriptum* Tridentinæ synodi. Hanc enim expresse potestatem illi contulit Sixtus V, in bulla *Immensa : habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi reformationem cleri et populi... in universo christiano orbe, in iis quæ pertinent ad... mores christiani populi ad præscriptum ejusdem concilii componendos.* Unde etiam posset Tridentinæ synodi decreta quæ in variis regionibus aut nunquam viguerunt aut abierunt in desuetudinem, obligatoria facere eteorum exsecutionem adhibitis censuris urgere. Quæ omnia certe juris universalis rationem haberent. 4° Falsum est quod dicunt sententiæ negantis patroni, nempe non constare traditam fuisse a sancta Sede Congregationi Concilii potestatem declarationes emittendi quæ obligatoriæ ubique essent : clare enim in præcitatis Sixti V verbis potestas illa exprimitur et confertur. 5° Assignatio temporis et loci requiritur quidem in legis promulgatione; minime vero in declaratione sensus legis jam promulgatæ. Legislator scilicet potestatem habet interpretandi legem suam; et quisque ligatur lege eo sensu intellecta quem suum esse declaravit legislator. Nec licitum est cuique legem non acceptare in eo sensu quem certo cognovit esse sensum legislatoris : ergo ut lex in sensu declarato a legislatore obliget, requiritur tantum ut constet de illa legislatoris declaratione; nulla vero alia formalitas requiritur. Jam vero quod potest legislator per se, potest per alium; ergo si cui delegaverit potestatem leges declarandi, valebit declaratio absque assignatione temporis et loci, et satis erit si constet de facta declaratione. 6° Falsum est tam multas exsistere declarationes Congregationis Concilii quæ in invicem pugnent. Testatur Fagnanus per quindecim annos quibus a secretis in dicta Congregatione fuit, unam tantummodo emissam fuisse, quæ a præcedentibus aliquo modo discederet, et ab instituta Congregatione usque ad eam qua scribebat ætatem duas solummodo fuisse immutatas. 7° Ex eo quod

tam multæ declarationes prodierint et vim legis habeant, nullum Ecclesiæ oritur detrimentum, sed plurima e contra utilitas. Cum enim, non adaucto legum ipsarum numero, decisi sic fuerint præcipui et difficiliores casus, vitantur dissensiones et anxietates innumeræ, habeturque eo tutior in practica legum applicatione regula, quod ab ea auctoritate procedit, cui commissa est universam Ecclesiam pascendi, regendi et gubernandi cura. Noxiæ sunt nimis multæ leges; legum autem ipsarum sensus nunquam nimis clarus et determinatus esse potest.

IV. SENTENTIA DISTINGUENS.

Tertia sententia distinguit inter declarationes. « Nam hæ, ait Schmalzgrueber (proœm., p. 373) duplicis generis sunt, comprehensivæ et extensivæ. *Comprehensivæ* sunt, si sensus sic declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat. *Extensivæ*, si illam egrediantur, et ultra id quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc. — De extensivis libenter concedit sententia ista quod vim et auctoritatem legis non habeant, nisi fiant ex speciali mandato Papæ et legitime promulgentur. Ratio solida et perspicua est; quia hoc ipso quod conciliarium decretorum verbis non contineantur, sunt novæ leges ecclesiasticæ, auctoritatem legislativam in declarante exposcentes. Atqui sacra Congregatio ex sua institutione auctoritatem istam non habet; ergo.

» Dixi nisi fiant ex speciali mandato Papæ et legitime promulgentur; nam si ita fiant et promulgentur, vim legis indubitato obtinent. Et tales declarationes sunt decreta ejusdem S. Congregationis jussu Urbani VIII edita de alienatione temporalium ad monasteria pertinentium, 7 septembris 1624 : de apostatis regularibus et ejectis, 21 septembris anno eodem : de celebratione missarum, 21 junii 1625. De comprehensivis

autem affirmant quod vim legis habeant, si Papa consulto factæ, a cardinale præfecto et secretario subscriptæ et consueto ipsius Congregationis sigillo munitæ sint : idque verum est non tantum respectu eorum quibus redduntur, sed etiam respectu aliorum qui de illis ita redditis notitiam certam habent... Et ita suadent rationes pro secunda sententia (nempe affirmante). » Ita Schmalzgrueber, qui huic tertiæ sententiæ adhæret.

V. QUID EX ISTA OPINIONUM DIVERSITATE SEQUATUR QUOAD PRAXIM.

Una quidem ex tribus expositis sententiis vim legis denegat declarationibus Congregationis Concilii; et illam sententiam sancta Sedes huc usque toleravit in scholis catholicis exponi et doceri. Inde vero minime sequitur posse in praxi non attendi ad decisiones prædictæ Congregationis : certum est econtra ipsis tanquam ordinariæ regulæ esse obtemperandum. Nam licet aliqui theologi ipsis denegent vim legis proprie dictam, nullus tamen est qui non fateatur illas, utpote nomine summi Pontificis a viris ab ipso delegatis emanatas, esse *summi ponderis* ad recte intelligenda Tridentinæ synodi decreta. Porro hoc solo titulo, et licet concederetur illas non habere rationem legis, sequitur obligatio illas in praxi ordinarie servandi. Nulli enim licet temerarie agere; atqui summæ temeritatis esset, suam interpretationem privatam, quando agitur de legibus ecclesiasticis recte intelligendis et exsequendis, interpretationi ipsiusmet summi Pontificis per delegatos viros loquentis anteponere. Quod ut magis pateat, supponamus omnes orbis catholici universitates in declarando et certum pronuntiando alicujus ecclesiasticæ legis sensu fuisse unanimes. Magnæ temeritatis esset huic tot doctorum sententiæ contraire, et legem hoc sensu intellectam infringere. Porro multo majoris auctoritatis est declaratio Congregationis Concilii. Nam summo Pontifici competit

canones interpretandi potestas, tum ex jure primatus, tum specialiter quoad Tridentinæ synodi decreta, quia ista synodus ipsi suas leges declarandas reliquit. Unde et initio hanc interpretationem sibi reservaverat sancta Sedes. Postea vero ita delegavit hanc suam potestatem aliquibus cardinalibus ut eorum decisiones faceret suas. Ergo declarationes Congregationis fiunt auctoritate Apostolica; ergo fiunt auctoritate multo majori quam est simplex auctoritas doctrinalis universitatum omnium; ergo multo magis temerarium est his declarationibus contraire; ergo illis declarationibus tanquam regulæ saltem ordinarie obtemperandum est. Dicimus *saltem ordinarie;* nam in casu aliquo extraordinario et gravi urgente ratione, posset quis excusari, si declarationes Congregationis reputans vi legis probabiliter destitutas, contra aliquam ageret.

Et ita sentiunt etiam illi auctores qui sententiam negantem amplectuntur, id est, qui rationem et vim legis non concedunt Congregationis Concilii declarationibus. Ex quibus satis sit adducere Salmanticenses : *Probabile est,* inquiunt, *tales declarationes.., non habere vim legis, nec robur obligandi semper et perpetuo.* Nihilominus tamen iidem theologi hoc sartum tectum imprimis volunt, nempe, illas declarationes esse *maximi ponderis, et deserendas non esse* nisi gravissima de causa : *circa quam gravissimam quæstionem duo invenies apud doctores indubitata. Primum, tales declarationes maximi ponderis esse, magnamque habere auctoritatem et gravitatem, utpote a gravissimis viris, auctoritate summi Pastoris congregatis expensæ : proindeque adhuc in sententia illorum qui dicunt non habere vim legis, deserendæ non sunt nisi gravissima ratione et causa interveniente. Secundum, quod si tales declarationes promulgantur ea solemnitate qua solent leges promulgari, cum id fiat auctoritate summi Pontificis..., procul dubio vim legis perpetuæ habebunt totam Ecclesiam obligantes* (*De Legibus,* cap. 3, punctum II, n° 28).

Confirmat conclusionem nostram communis canonistarum praxis, qua solent quæstiones tanquam terminatas habere, quando adducere potuerunt declarationem Congregationis Concilii.

Ergo licitum quidem est denegare declarationibus Congregationis Concilii rationem et vim legis ecclesiasticæ : *Nam cum non lateat summum Pontificem hæc doctorum publica opinatio, videns et patiens eam videtur ut probabilem sustinere* (Salmantic., loco citato, n° 30) ; at vero minime licitum est sustinere declarationes illas posse in praxi legitime deseri extra casum extraordinariæ et urgentis causæ, prout docere ausi sunt Van Espen, Petrus de Marca, aliique auctores pestilentis et merito damnatæ doctrinæ.

Ego vero sententiam negantem nulla solida ratione fundari existimo. Ad pleniorem autem hujusce quæstionis evolutionem, videat lector meum *de Curia Romana* tractatum, ubi fusius et ex professo de Romanis Congregationibus disserui.

CAPUT III.

AN ALIARUM CONGREGATIONUM DECRETA VIM LEGIS HABEANT.

Præter Congregationem Concilii sunt plures aliæ quæ etiam casus particulares decidendo jus declarant; verbi gratia, Congregatio rituum, sacra Pœnitentiaria, Congregatio super negotiis Episcoporum et regularium. Eadem quoad istas redit supra discussa quæstio, nempe utrum ab ipsis emanatæ decisiones sive declarationes vim legis universos obligantis habeant; et in triplicem similiter sententiam doctores scinduntur, iisdem fere rationibus innixi, quas modo attulimus. Non ergo necesse est discussionem iterare; sed quid generaliter quoad omnes Cardinalium Congregationes censendum

sit, ex dictis circa Congregationem Concilii concludendum relinquimus ; quoad cætera quæ unicuique propria sunt, ad tractatum de *Curia Romana* lectorem remittentes.

Ex iis autem quæ exposuimus, satis patet quanti momenti sint Congregationum Romanarum decreta et declarationes in enucleandis juris canonici quæstionibus. Cum enim tanta auctoritate polleant etiam apud eos qui vim legis proprie dictam iis denegandam existimant, ut ordinarie in praxi ab illis recedere non liceat, sequitur illas merito haberi ut fontem juris determinandi et probandi uberrimum atque tutissimum. Et ideo canonistæ ad decisiones illas perpetuo recurrunt, quem morem et nos sequemur frequentissime.

Hanc de Romanis Congregationibus doctrinam in meo nuper edito tractatu de *Concilio provinciale* (1) jam expositam, rescivi stomachum movisse in Gallia iis hominibus, qui dictarum congregationum decisiones a se tanquam regulam minime recipi dictitare non reformidant. Sed liceat eos ad serio ponderanda gravissima hæc Benedicti XIV verba invitare :

« Si quis a nobis expostulet, cur sacræ Congregationis » (nempe Concilii) decreta scriptorum opinionibus anteferamus, causa præsto est. Primo, scriptores de quæstionibus » verba faciunt, illas autem sacra Congregatio dissolvit. Secundo, cum interpretanda Tridentina synodus plerumque » sit, summi Pontifices sacram Congregationem ejusdem » synodi solam interpretem statuerunt. Tertio, impudentissimus esset qui contenderet majoris ponderis habendum » esse privatum hominem qui suæ tantum mentis lumine » ducitur, quam sententia præclarissimi cœtus, quem amplissimi Cardinales, ecclesiasticæ disciplinæ et sacrorum » canonum peritissimi, constituunt. Quarto, quia privati » scriptores nullam indicere legem possunt, quæ sane aucto-

(1) Hunc solum tractatum gallice scripsi, peculiaribus de causis.

» ritas a summis Pontificibus eidem Congregationi tribuitur,
» ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem amplificet.
» Id constat ex 74 constitutione Sixti V, quam commemo-
» ramus : *Habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi*
» *reformationem cleri et populi, nedum in Urbe, sed etiam in*
» *universo christiano orbe, in his quæ pertinent ad divinum*
» *cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores*
» *christiani populi ad præscriptum ejusdem Concilii compo-*
» *nendos*. Quinto, si controversia forte excitatur ob ea quæ
» sanciuntur, non quidem ad privatos scriptores, sed ad
» ipsam Congregationem provocatio interponitur. » (*Institutiones ecclesiasticæ, institutio* 107, *numero* 6.)

SECTIO VI.

DE CONSUETUDINE QUATENUS JURIS CANONICI FONTE.

Inter fontes juris canonici non infimum locum habet consuetudo : innumera enim sunt quæ cum ex scripto jure determinari non possint, ex jure non scripto seu consuetudinario judicari necesse est. Imo jus scriptum sæpe a jure consuetudinum vincitur. Utriusque ergo ratio habenda, ac proin utriusque necessaria cognitio. Dicemus : 1° de consuetudinis natura et speciebus variis; 2° de ipsius legitimitate seu de requisitis ut vim habeat; 3° de ipsius effectibus; 4° de ipsius abrogatione.

CAPUT I.

DE CONSUETUDINIS NATURA ET DIVERSIS SPECIEBUS.

I.

Definitio consuetudinis.

1. De nominis definitione sic Reiffenstuel : « Ordiendo a » nominis etymologia, consuetudo dicitur a verbo *consuesco* » sive *consuefacio*, hoc est, *simul et sæpius facio ;* quia vide- » licet non inducitur nisi a majori parte communitatis, simul » ac sæpius actum frequentantis. » (In titulum *de Consuetudine* 4, libri 1 decretalium, § 1.)

2. In sensu latissimo vox illa usurpatur pro qualibet *similium frequentia*, quæ vel homines vel bruta animalia agere vel pati solent. Sic dicitur : ille homo consuetudinem habet quotidie deambulandi : est assuetus doloribus : equus trahendo currui assuetus ; ipsi consuetum est prompte obedire. De acceptione illa non agitur in jurisprudentia. Quando in jure agitur de consuetudine, 1° intelligitur tantum de frequentia actuum similium, non vero de frequentia eorum quæ passive tolerantur ; 2° agitur tantum de actibus hominum ; 3° agitur de actibus a communitate aliqua hominum frequentatis, non vero de actibus hominum privatorum. Hinc consuetudo, juxta sensum in jurisprudentia usurpatum, sic definiri potest :

3. *Similium alicujus communitatis actuum frequentia.* Dicitur *frequentia*, quia unus aut alter actus non constituit consuetudinem, sed requiruntur actus pluries iterati. Dicitur *similium*, quia licet actus frequentes sint, si tamen ad diversas species pertineant, minime consuetudinem constituunt.

4. Aliqui existimant exprimi debere in definitione actuum libertatem; unde juxta ipsos definitio adæquata ita poni deberet : *Similium alicujus communitatis moralium actuum frequentia,* seu, ut dicit Suarez (*de Legibus,* 7, c. 1, n. 5) : *consuetudo est frequentia operandi libere eodem modo.* Cui concordat divus Thomas dicens : *Consuetudo autem importat quamdam frequentiam circa ea quæ facere vel non facere in nobis est.* (In 3 lib. Sententiarum, dist. 23, quæst. 1, art. 4, solutio 2.) Sed moralitas seu libertas actuum videtur potius conditio requisita ut consuetudo vim legis habere possit, non autem ut consuetudo in suo esse consuetudinis constituatur. Ut autem consuetudo vim legis habeat, non tantum requiritur actuum libertas, sed multæ etiam aliæ conditiones necessariæ sunt, ut probatur infra; ergo vel omnes istæ conditiones exprimendæ essent in definitione, vel neque libertas actuum exprimenda est. Licet autem populus aliquem agendi modum frequentet ex vi vel metu, vel ignorantia, ac proinde non libere, de facto tamen iste modus agendi consuetudinis nomine etiam in jurisprudentia nuncupatur, et tantum docet jurisprudentia hujusmodi consuetudinem vim legis obtinere non posse.

5. Ex frequentia similium actuum alicujus communitatis, positis requisitis conditionibus, oritur jus aliquod, cui per oppositionem ad leges scriptas, *juris non scripti* nomen sæpe tribuitur. Et licet jus istud sit effectus consuetudinis et non consuetudo ipsa, tamen usus invaluit frequentissimus, ipsum consuetudinis vocabulo designandi. Sic vero intellecta consuetudo recte definiri potest : *Jus per similium alicujus communitatis actuum frequentiam acquisitum.*

6. Hinc multi auctores distinguunt consuetudinem facti et consuetudinem juris. *Consuetudinem facti* intelligunt ipsosmet actus similes a communitate frequentatos, et *consuetudinem juris* vocant jus quod ex tali actuum frequentia oritur.

II.

Consuetudinis in varias species divisio.

1° Dividitur in consuetudinem secundum jus, præter jus, et contra jus. *Consuetudo secundum jus,* id est secundum legem, est illa quæ, legem præexistentem supponens, illam vel deducit in usum, vel si ambigua sit, interpretatur. Unde hæc jus novum non constituit, sed aut dubium interpretatur, aut confirmat et adjuvat, illud in praxim deducendo.

Consuetudo *præter jus,* seu præter legem, quæ et juris constitutiva dicitur, est illa quæ ubi lex deficit, id est, nihil statuit nec prohibet, erigit in legem aliquem agendi modum. Consuetudo *contra jus* seu contra legem, quæ vocatur etiam *consuetudo legi contraria* seu *legis desuetudo,* est illa qua lex scripta, vel usu nunquam recipitur, vel jam recepta abrogatur.

2° Dividitur in *canonicam* et *civilem*, prout actus quibus conflatur versantur in materia civili vel canonica.

3° Dividitur in *generalissimam,* quæ in universo christiano orbe obtinet; *generalem,* quæ in tota aliqua provincia; *specialem,* quæ in aliqua tantum urbe, vel pago; et *specialissimam,* quæ in societate imperfecta, verbi gratia, in aliqua familia viget. De hac ultima, utpote quæ apta non est ad jus efficiendum, non curat jurisprudentia.

4° Dividitur in *judicialem,* nempe quæ pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere prolatis obtinuit in judicio; et *extra-judicialem* quæ longo usu populi extra judicium inducitur. Magni momenti est ad jus discernendum consuetudo *judicialis.* Nam quando bis ad minus pariformiter intra decennium circa causas similes in judicio contradictario judicatum est, censetur conflata consuetudo

judicialis; id est, sententia sic prolata evadit regula pro casibus similibus et jus efficit. Si vero, modo sic, modo in contrarium, judicatum sit, consuetudo judicialis non oritur.

5° In *morem* stricte sumptum, *stylum* et *ritum*. *Stylus* significavit originarie instrumentum illud æneum ad scribendum adhibitum. Inde eadem vox ad designandam ipsam scripturam translata est. Tum ad exprimendum scribendi seu scripto disserendi modum. Denique speciali aliqua acceptione adhibita est ad significandum ordinem consuetum in judiciis procedendi, et instrumenta conficiendi quæ ad judicia respiciunt. « Sic ergo, ait Suarez (*de Legibus*, l. 7, » c. 5, n. 5), stylus est quoddam jus non scriptum, interdum » positive obligans ut ab eo non recedatur, interdum obliga- » tionem tollens, ut, licet jure communi sententia debeat » pronuntiari a judice, de stylo curiæ dicitur non esse neces- » sarium. Interdum interpretationem juris inducit, etiam » authenticam et sequendam. » Quando stylus aliquis introductus fuit per solum usum, id est, procedendo semper eodem modo in aliqua materia forensi seu judiciaria, comprehenditur sub genere consuetudinis, estque una ex ejus speciebus. *Ritus* vocatur consuetus modus exercendi aliquem externum actum : dicitur autem præcipue de solemnitate actuum in materia sacra, verbi gratia, in divinis officiis, in celebrando sacrificio, in sacramentis ministrandis. Consuetudines a stylo et ritibus diversæ, nomen commune *moris* seu consuetudinis servant.

6° Dividitur in *positivam* et *negativam*. Positiva consistit in repetitis alicujus speciei actibus, quæ si transeat in legem, jus facit ad ponendos hujusmodi actus. Negativa consistit in omittendis cujusdam speciei actibus, qualis est consuetudo auditionem missæ omittendi quotannis in tali die festo.

7° In *bonam* et *malam*, seu in *rationabilem* et *irrationabilem*. Consuetudo mala duplex distinguenda est : nempe *mala intrinsece*, quando scilicet actus quibus constituitur sunt

contra legem naturalem et divinam, ita ut nulla potestas humana facere possit ut tales actus non sint peccaminosi; et *mala extrinsece*, quando actus per se quidem mali non sunt, sed fiunt tales per legis humanæ prohibitionem, vel propter adjunctam circumstantiam pravam. Consuetudo mala intrinsece dicitur *abusus* seu *corruptela*, et nunquam in jus transire potest. Si vero non sit mala nisi propter malam adjunctam circumstantiam, vel propter legis humanæ prohibitionem, potest evadere bona et rationem legis induere. Potest enim auferri circumstantia prava, ob cujus pravitatem tantum consuetudo mala erat. Item legislator potest consentiendo consuetudini irritare prohibitionem legis positivæ, ob quam solam consuetudo mala erat. Jam vero sic bona effecta consuetudo illa, poterit, sicut omnes aliæ bonæ consuetudines, in jus transire et obligationem inducere.

8° Divisio in *rationabilem* et *irrationabilem*, quatenus diversa a divisione in bonam et malam, non videtur solidis rationibus fundari, quidquid in contrarium subtiliter disputaverit Suarez. (Loco citato, c. 6.)

9° In consuetudinem a jure *non repulsam*, et in consuetudinem a jure *abrogatam, prohibitam* et *reprobatam*. Sunt autem distincta tria hæc, et minime confundenda, *abrogatio, prohibitio* et *reprobatio* consuetudinis per legem humanam. Quando enim lex *abrogat* tantum consuetudinem sibi contrariam, non tollitur et irritatur nisi consuetudo antea existens, non autem quæ postea exsurgere potest. Præterea consuetudo antea exsistens quæ irritatur, non ideo declaratur mala sive irrationabilis. Potest enim legislator illam velle destruere, non quia mala, sive intrinsece, sive ex circumstantiis, sed quia minus utilis quam contraria ordinatio. Quando vero lex *prohibet* consuetudinem sibi contrariam, non solum abrogatur consuetudo antea exsistens, sed insuper legislator obsistit eidem consuetudini in posterum inducendæ. Non tamen illam reprobat seu declarat malam; quia

ex ea sola ratione quod minus utilis sit quam contrarium, potest velle illam abrogare et pro futuris temporibus impedire. Tandem quando lex *reprobat* sibi contrariam consuetudinem, non tantum præexistentem abrogat, et illam in futurum prohibet, sed insuper declarat malam atque irrationabilem. Hinc caute attendendæ sunt clausulæ legum consuetudinibus contrariarum. Abrogantes tantum sunt clausulæ hujusmodi : *non obstante quacumque consuetudine.* (Clement. *Statutum,* de elect.) Prohibens censenda est hæc clausula : *Nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere;* item a fortiori quælibet clausula qua legislator expresse prohibet ne *in futurum* prætextu consuetudinis cujusvis lex sua infringatur. Reprobantes vero sunt sequentes formulæ : *Consuetudinem illam penitus improbantes* (cap. unicum, *de clericis non resid.* in 6.) — *Talem consuetudinem reprobamus* (cap. 2, de prob.). — *Cum hæc non tam consuetudo quam corruptela merito sit censenda.* (C. *Cum venerabilis,* de consuet.)

10° In *legitimè præscriptam* et *non præscriptam* legitime. Præscripta dicitur consuetudo, quando cum requisitis quibusdam conditionibus per certum aliquod longum tempus perduravit. Quodnam autem sit illud tempus, et quæ illæ debitæ conditiones, expenditur infra.

III.

Quomodo consuetudo differat a legibus et statutis, a traditionibus et a præscriptione.

I. *Differt a legibus et statutis.* Nam 1° lex vel statutum est jus scriptum, consuetudo vero jus non scriptum : non quod ipsa etiam consuetudo non possit in scripturam redigi, sed quod ab exordio sui, non ab aliquo legislatoris scripto vel præcepto, sed ex usu et moribus utentium orta sit. Cætero-

quin sub nomine *consuetudinarii* sæpe scripto colliguntur consuetudines alicubi vigentes. Imo ipsi legi essentiale non est ut scribatur, et sufficit si ad mandatum legislatoris voce præconis promulgetur; sed quia ab initio solet scribi, ad differentiam consuetudinis, *juris scripti* nomen ex usu obtinet. 2° Leges et statuta, cum jam sint solemniter promulgata, multo minus dubiis et difficultatibus quoad factum ipsorum exsistentiæ obnoxia sunt : de legitima autem consuetudine sæpe difficile est determinare utrum revera exsistat, ob multas ad id requisitas conditiones. 3° Lex et statutum firmantur expresso consensu Principis; consuetudo vero tacito plerumque et præsumpto.

II. *Differt a traditionibus.* Traditio enim proprie est jus antiquum a legislatore olim non scriptum sed voce stabilitum et longo tempore servatum, cujus memoria ad nos translata est. Consuetudo e contra non est jus a legislatore initio inductum, sed tantum ex actuum frequentia consentiente legislatore exortum. Si autem objiciatur aliquas traditiones potuisse initio absque superioris præcepto inchoari et postea ex usu vim obtinere, dicendum est hujusmodi traditiones non esse traditiones in stricto sensu sumptas, sed potius consuetudines, quæ ratione antiquitatis tantum ab aliis consuetudinibus differunt et traditionum nomen conservant.

III. *Differt a præscriptione.* Nam 1° consuetudo non potest introduci a privatis personis, secus vero præscriptio quæ cadit inter privatum et privatum. 2° Consuetudo tendit ad inducendum jus commune, omnes universaliter afficiens in loco ubi viget : præscriptio autem respicit acquisitionem juris in particulari : per præscriptionem scilicet non acquiritur jus in rem nisi illi qui ista re usus est; consuetudo autem jus facit etiam pro non utentibus, illos eximendo ab aliqua lege, vel illis novam obligationem imponendo. 3° Præscriptio fit cum damno unius et lucro alterius : con-

suetudo vero cum æquali omnium damno vel lucro. 4° In præscriptione requiritur titulus putativus et bona fides : pro consuetudine nullus requiritur titulus. 5° Consuetudo ex errore (quando nempe actus ideo ponuntur, quia ex errore putantur a lege aliqua præscripti vel permissi) nullam vim obtinet : e contra præscriptio erronea valet, modo cum bona fide ille qui rem longo tempore possedit, putaverit se titulum habere.

CAPUT II.

DE REQUISITIS CONDITIONIBUS UT CONSUETUDO VIM HABEAT.

Aliæ requiruntur ex parte communitatis consuetudinem inducentis : aliæ ex parte ipsiusmet consuetudinis : aliæ ex parte Principis : et aliæ ex parte temporis seu diuturnitatis. Hinc in sequentibus paragraphis agetur 1° de requisitis ex parte communitatis ; 2° de requisita consuetudinis rationabilitate ; 3° de requisito Principis consensu ; 4° de requisita diuturnitate.

§ I.

De requisitis ex parte communitatis consuetudinem introducentibus.

Ut consuetudo vim legis habere possit, requiritur : 1° ut inducatur a communitate perfecta ; 2° ut a majori parte hujus communitatis ; 3° ut cum scientia ; 4° ut cum libertate ; 5° ut cum intentione se obligandi si agatur de consuetudine præter legem ; 6° ut frequentia actuum non interrumpatur ante consuetudinis completionem.

I. Requiritur ut inducatur a communitate perfecta. — « Consuetudo nequit induci ab una tantum persona, neque » ab aliqua communitate imperfecta, ut est familia privata. » Ita sententia communis. Et ratio est, quia consuetudo » est jus non scriptum, habetque vim legis ; ergo nequit » introduci ab una duntaxat particulari persona vel fami- » lia : hæc enim licet sit capax simplicis præcepti, exspi- » rantis in morte præcipientis (verbi gratia, patris familias » pro recta gubernatione domus quædam ordinantis), » non tamen est capax legis, utpote quæ est *commune* » præceptum, ac durat etiam post mortem legislatoris in » perpetuum, nisi revocetur. » (Reiffenstuel in titulum 4 *de consuetudine*, libri 1 decretalium, § 5, n. 110). Sanctus Thomas (1. 2. q. 97. art. 3 ad 3). et Suarez (*de Legibus*, l. 7, c. 9, n. 3 et seq.) pro regula ponunt ab ea communitate posse induci consuetudinem, cui potest imponi lex; cum lex sit commune præceptum, obligans etiam post mortem legislatoris atque in perpetuum, sicque non nisi communitati perfectæ imponi valeat.

Hinc concludere licet consuetudinem ecclesiasticam, tum laicis, tum clericis communem, induci posse a populo et clero unius diœcesis, et a fortiori unius provinciæ et omnium alicujus regionis provinciarum : item consuetudinem respectu ad clerum tantum induci posse a clero unius diœcesis, unius provinciæ, unius regni : item respectu ad ordinem religiosum, a conventibus totius ordinis, etc.

II. Ut vim habeat consuetudo, induci debet a majori parte communitatis. — Est sententia communis. Sicut enim minor pars populi seu communitatis non potest inducere legem, ita nec consuetudinem. Nam generalis est regula, quod in universitatibus semper prævaleat id quod fit a majori parte. Communiter tamen notant doctores illud intelligendum esse de majori parte populi habilis ad introducendam legem vel consuetudinem; quia mulieres, parvuli ac furiosi non com-

putantur in numero, cum non sint habiles ad condendam legem.

III. Requiritur ut consuetudo inducatur ex certa scientia et non per ignorantiam seu errorem. — Est sententia communis. Nam debet adesse consensus seu voluntas communitatis; necesse est scilicet ut communitas velit aliquid præter legem vigere, vel aliquam legem non vigere. Porro si communitas ex ignorantia aut errore ideo tantum aliquid frequentet præter legem, quia falso putat se ad id ex lege aliqua teneri, vel aliquid contra legem, quia putat hoc nulla lege prohiberi, non vere consentit consuetudini quatenus est præter vel contra legem; sed ponit tantum actus suos quatenus a lege præscriptos aut quatenus a lege non prohibitos; ergo revera nulla est in ipsa voluntas inducendi consuetudinem præter aut contra jus. Hinc, verbi gratia, si populus ex errore per decem annos observet diem festum vel jejunium, putans se aliqua lege ad hoc teneri, per hunc usum minime induceretur consuetudo præter jus. Similiter si per longum tempus eliceret actus contrarios legi quam ignoraret esse latam, non præscriberet contra legem.

Valde attendenda est hæc conditio, quam communiter auctores ut certo requisitam docent; et magni momenti esse potest in dirimendis variis controversiis statum præsentem ecclesiarum Galliæ concernentibus. Non pauca enim ex praxi et consuetudine post concordatum anni 1801 invaluere, quæ pro temporum præcedentium turbationibus et studiorum ecclesiasticorum interruptione, habita sunt ut juri consona, et ex hac ratione nullis reclamantibus fuere recepta. Si tamen constet ita ex ignorantia et errore fuisse factitatum, hujusmodi consuetudinibus non patrocinabitur ut vim legis habeant quadraginta annorum qui abhinc effluxere spatium. De quo, ut exemplum tantum in medium adducamus, invaluit generaliter persuasio apud Episcopos et clerum Galliæ, rectores parochiarum ad nutum revocabiles, ita posse amo-

veri ab Episcopo, ut in nullo casu eis pateat ad superiorem recursus. Porro ex jure communi patere ipsis in multis casibus recursum, licet revera ad nutum revocabiles sint, est doctrina apud doctores receptissima; et eo ipso quo scribimus tempore pendet hujusmodi recursus alicujus rectoris amovibilis Galliæ apud Apostolicam Sedem, quæ minime illum rejiciendum existimavit. Tamen a concordato anni 1801 ad hæc usque tempora clerus Galliæ hujusmodi recursus in prædicto casu non frequentavit; sed videndum est num ita egerit ex erronea persuasione, putans nempe nullam sibi recursus viam a jure aperiri. Quam persuasionem multa facta et etiam scripta supponere videntur.

IV. Debet consuetudo, ut vim habeat, induci actibus liberis, et non ex vi aut timore elicitis. — « Infertur ulterius » quod si vi aut per metum gravem obligetur populus ad » exercendum actum quempiam longo tempore, non idcirco » censeatur præstare consensum requisitum ad introducen- » dam consuetudinem; quin potius per hoc ostendit actum » sibi esse onerosum : ac proinde consuetudo præter jus, » sive novi juris inductiva non oritur. » (Reiffenstuel, loco citato, n. 127). Et idem dicendum si populus per vim aut metum deterreatur ab observanda aliqua lege. Tunc enim licet de facto legem non observet, tamen non consentit ejus abrogationi per consuetudinem contrariam. Et præterea Principis consensus minime censendus est accedere hujusmodi consuetudini contra jus, quæ actibus per metum extortis inducitur. Quod sic exponit Suarez : « Ad consuetu- » dinem non sufficiunt actus, sed necesse est ut fiant animo » inducendi consuetudinem, qui animus ordinarie est potius » tacitus quam expressus. At vero quando actus fiunt ex solo » timore, ita ut sine illo non fierent, non est talis animus, » nec moraliter præsumi potest; quia metus de se quodam- » modo illum excludit : et ideo frequentia actuum ex solo » metu factorum nunquam est sufficiens signum publici

» consensus totius populi de consuetudine inducenda. Acce-
» dit quod Princeps non potest præsumi tunc dare consensum
» suum, quia non vult subditos injusto metu cogi ad similes
» consuetudines. » (*De Legibus*, l. 7, c. 12, n. 11.)

Illud etiam principium magni momenti est ad perpendendam vim multarum Galliæ consuetudinum. Certum est enim gallicanas ecclesias sub pressione potestatis sæcularis multa admisisse, quibus in plena libertate minime consensissent. Hinc autem exortæ consuetudines vim nullam in jure obtinuisse censeri debent, si sufficienter constet de incusso metu aut violentia adhibita. Et licet per longissimum tempus interruptum fuerit jus commune, tamen si tantum per talia media desiit, adhuc vigere dicendum est.

V. Requiritur intentio inducendi obligatoriam consuetudinem. — Conditio autem illa probanda est præcipue quoad consuetudines præter jus; nam si agamus de abroganda lege per consuetudinem contrariam, hoc ipso quod populus, legem illam cognoscens, illam non observat, manifeste indicat suam intentionem eam tollendi. Quando vero a communitate frequentatur aliquid *præter jus*, potest fieri ut agat ex mera devotione, et non ex intentione sese obligandi ad talem praxim. Porro si ex mera devotione agatur sine intentione sese obligandi, consuetudo non habebit vim legis, prout docent communiter doctores. « Et hac de causa (ait Reiffens-
» tuel, loco citato, n° 129), devota praxis fidelium missam
» diebus ferialibus audiendi, sæpius per annum confitendi,
» statis horis ad sonum campanæ Beatissimam Virginem sa-
» lutandi... et hujusmodi, novum jus, seu consuetudinem
» obligatoriam sub peccato non inducit : quia videlicet hæ
» et similes consuetudines ex liberali tantum affectu et devo-
» tione, non vero ex ulla inducendæ obligationis voluntate
» inchoatæ sunt et continuantur. » In dubio autem utrum ex mera devotione an etiam ex voluntate sese obligandi introducta fuerit aliqua consuetudo, præsumendum consuetudi-

nem potius esse devotionis docet laudatus Reiffenstuel cum multis aliis doctoribus.

VI. Requiritur ut actus non interrumpantur usque ad completam consuetudinem. — Est sententia communis. « Et » ratio est clara ; quia alioquin non esset nec dici posset legi- » time præscripta... Censetur consuetudo interrumpi, quando » vel populus ex certa scientia exercet actum contrarium » etiam unicum..., vel quando superior transgressores suæ » legis punit, aut in tribunali pro lege sua contra consuetu- » dinem judicat : hac enim ratione consuetudo expresse revo- » caretur per superiorem. Tacite vero, quando ex certa » scientia populus exerceret actum contrarium, quia hoc » ipso ostenderet se nolle amplius consuetudinem incœptam » continuare. Et tunc post hujusmodi interruptionem erit » de novo inchoanda consuetudo, alioquin non valebit. Quod » si autem post lapsum legitimi temporis consuetudo jam » fuerit completa et firmata, tunc ea per unicum actum po- » puli contravenientis non revocatur : sed vel opus est lege » superioris, consuetudinem illam expresse abrogantis, vel » nova contraria consuetudine cum temporis diuturnitate » aliisque requisitis. » (Reiffenstuel, in 4 titulum de *consuetudine*, libri 1 decretalium, § 5, n° 133 et seq.)

§ II.

De requisita consuetudinis rationabilitate ut vim habeat.

Prænotandum. Ut consuetudo vim habeat, id est, ut faciat legem, vel eximat a lege aliqua communi, certum est imprimis, et ab omnibus admissum, illam debere esse bonam seu rationabilem. Nec de hoc generali principio ulla est apud auctores controversia ; et patet ratio : consuetudo enim quæ mala est et irrationabilis, nedum vim legis habeat, vel ab

ipso naturalis rationis dictamine prohibetur, ita ut teneantur omnes eam, utpote corruptelam et abusum illicitum, deserere. Quandonam vero consuetudo sit rationabilis et quandonam irrationabilis, aliquando certo discernitur, sed sæpe etiam dubium esse potest. In casibus dubiis docent communiter canonistæ decisionem esse judicibus relinquendam. At multa tanquam certa circa consuetudinum rationabilitatem tradi et probari possunt. Horum præcipua et quæ utiliora nobis visa sunt sequentibus propositionibus expenduntur.

PROPOSITIO 1ª. — *Potest aliqua consuetudo adversari juri communi ecclesiastico, quin tamen sit mala vel irrationabilis.* — Est doctrina certa et extra controversiam omnem. Sic autem probari potest. Talis consuetudo necessario irrationabilis esset vel per se, vel tantum ex eo quod juri communi adversaretur ; atqui neutrum dici potest. 1° Non per se : licet enim lex aliqua ecclesiastica bona sit et utilis respectu ad generalitatem Ecclesiæ, potest tamen consuetudo contraria alicubi vigens esse utilior in ista regione, ob speciales circumstantias quæ ibi reperiuntur. Et licet non esset utilior, potest tamen non esse in se mala. Quemadmodum enim lex nova abrogans veterem, non supponit legem abrogatam fuisse malam, sed tantum illam non amplius esse æque utilem ac contrariam, ita ex eo quod jus commune contrarium sit alicui consuetudini, non sequitur illam consuetudinem esse ex natura sua irrationabilem. 2° Nec necessario irrationabilis erit prædicta consuetudo ex eo solo quod juri communi adversetur. Nam potest legislator qui legem communem tulit eximere regionem aliquam ab ista lege, et consentire ut in ista regione servetur consuetudo contraria, et dicetur infra sufficere consensum Principis tacitum. Ergo modo adsit iste consensus, consuetudo jam non erit mala ex eo quod legi communi adversetur. Aliunde non est necessario mala in se ; ergo revera possunt dari consuetudines quæ licet juri communi adversantes minime sint irrationabiles. Hinc in ipso jure communi cautum

est ut serventur consuetudines *rationabiles et legitime præscriptæ.*

Propositio 2ª. — *Irrationabilis et mala est omnis consuetudo juri naturali aut divino positivo contraria.* — Est etiam doctrina certa et communiter admissa. Christus ipse damnavit hujusmodi consuetudines : *Quare et vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram?* (Matth. 15.) In capite ultimo *de consuetudine* (libri 1 decret. tit. 4), tales consuetudines dicuntur corruptelæ. Ratio autem patet : hoc ipso enim quod consuetudo supponatur juri divino contraria, est transgressio mandatorum Dei ; omnis vero transgressio præceptorum Dei peccatum est. Unde magnum intercedit discrimen inter consuetudines quæ adversantur tantum juri ecclesiastico, et consuetudines quæ sunt juri divino contrariæ. Prioribus enim supervenire potest et sæpe supervenit consensus legislatoris, quo posito nullum est peccatum in transgressione præcepti ecclesiastici, quia tollitur illud præceptum respectu ad populum contrariam consuetudinem habentem. Posteriores vero consuetudines, utpote adversæ præcepto divino, quod perseverat et a nullo homine tolli potest, remanent peccaminosæ et abusus dicendæ sunt.

Propositio 3ª. — *Consuetudo quæ a jure canonico reprobatur censenda est irrationabilis.* — Quando enim jus canonicum non tantum abrogat et prohibet sibi contrariam consuetudinem, sed insuper *reprobat,* illam declarat malam et irrationabilem seu abusum ; hoc enim sonat in jurisprudentia canonica vox *reprobare.* Porro huic judicio seu declarationi standum est, nec licet cuiquam rationabilem dicere et reputare usum quem supremus Ecclesiæ doctor, pastor et judex pronuntiavit esse abusum et corruptelam. « Judicare inter » sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram, inter » causam et causam, atque secernere virtutem a vitio, verita- » tem ab errore, salubria pascua a noxiis, vel maxime ad » Sedem Apostolicam, ipsumque Christi in terris constitu-

» tum vicarium et conditorem canonum, spectare dignosci-
» tur.... Si igitur a canone reprobetur consuetudo velut
» irrationabilis et corruptela, quis fidelium christianorum
» eam audebit dicere rationabilem? » (Reiffenstuel, in librum 1 decretalium, titul. 4. § II, n. 37.) (Vide etiam Suarez, *de Legibus*, l. 7, c. 6.)

Propositio 4ª. — *Consuetudo quæ peccatorum occasio est et fomes, irrationabilis censenda est.* — De jure enim naturali prohibentur quæ peccatum nutriunt et ad illud inducunt; quod autem in consuetudinem talia transiverint, eo magis illicita censeri debent.

Propositio 5ª.—*Consuetudo quæ bono communi perniciosa est, irrationabilis censenda est.* — « Consuetudo enim pro
» lege suscipitur; ergo sicut lex non nisi ob bonum commune
» reipublicæ ferri potest, ita et consuetudo : et alioquin tam
» hæc quam illa foret injusta et irrationabilis. » (Reiffenstuel, loco citato, n. 39.)

Propositio 6ª. — *Non valet et irrationibilis censenda est consuetudo per quam rumpitur* nervus *disciplinæ ecclesiasticæ.* —Ea dicuntur rumpere *nervum* ecclesiasticæ disciplinæ, quibus notabiliter impeditur et eluditur potestas ecclesiastica fideles in officio suo continendi per opportunas leges et censuras. Talis esset v. g. consuetudo in aliqua regione non servandi ulla interdicta neque ullas excommunicationes a Papa vel ab Episcopo prolatas. Porro irrationabiles esse tales consuetudines patet, ex eo quod sint evidenter perniciosæ; et sequitur ex capite *Cum inter, de consuetudine,* tituli IV libri 1 decretalium, quod sic habet : *Nos igitur, cognito quod ex tali consuetudine* (nempe non servandi interdictum generale) *si qua foret, disrumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, ipsam duximus irritandam.* — Idem dicendum de consuetudine qua permanenter impediretur correctio morum, qualis esset, v. g., consuetudo non sese submittendi visitationi Episcopi; ad quas consuetudines referuntur sequentes textus

juris : *Ut autem correctionis et reformationis officium* (Prælati ecclesiarum) *libere valeant exercere, decernimus ut exsecutionem ipsorum nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire.* (C. *Irrefragabili* 13, De offic. ordinar.) *Quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi.* (C. *Cum ex officii*, 16, de præscript.) Hujus autem propositionis 6 doctrinam dicit Reiffenstuel esse communem doctorum sententiam.

Propositio 7ª. — *Consuetudo adversus libertatem et immunitatem ecclesiasticam non valet et irrationabilis censenda est.* — Asserit laudatus Reiffenstuel hanc esse communem omnium doctorum sententiam, exceptis Covarruvia et quodam Julio Claro, qui tenent immunitatem ecclesiasticam posse tolli ex parte et quoad certas causas per consuetudinem, licet non possit universim aboleri. Duplici autem argumento invicte probari potest. 1° Certum est, ex dictis supra in propositione secunda, irrationabilem esse consuetudinem quam reprobat, id est, malam declarat jus canonicum ; atqui jus canonicum multipliciter reprobavit omnem consuetudinem libertati et immunitati ecclesiasticæ adversantem. In capite *Noverit* (49 de sent. excomm.) declarantur excommunicati *qui de cætero servari fecerint statuta edita et consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem.* Et in capite *Cum terra* (14 de elect.) : *Quia igitur hoc redundat in gravamen et perniciem ecclesiasticæ libertatis, præscriptam consuetudinis pravitatem sancimus penitus abolendam.* Idem habetur in bulla *Romanus Pontifex*, 5 junii 1641, in bulla *Cœnæ* quæ expresse reprobat quæcumque immunitati et libertati ecclesiasticæ adversantur, et in multis aliis juris canonici monumentis. Ergo revera reprobatæ sunt a jure tales consuetudines ; ergo irrationabiles censendæ sunt. 2° Certum est et ab omnibus admissum vi carere omnem consuetudinem quæ non firmatur consensu aliquo principis ; atqui nedum prædictis consuetudinibus accedat consensus requisitus summi Pontificis

accedit e contra et permanenter adversatur dissensus; et ille dissensus non potest esse certior et expressior, cum per leges ecclesiasticas perpetuo et solemniter exprimatur et divulgetur.

« Ut proinde, ait Reiffenstuel (loco citato), ob expressam » contradictionem Principis seu Papæ, actumque contrarium » ipsius toties renovatum, nunquam intervenire possit lega- » lis ejusdem consensus, ac tempus ad præscribendam rite » talem consuetudinem de jure requisitum. » Adde consuetudines contra libertatem ecclesiasticam esse bono animarum ac proinde communitati noxias, et nervum disciplinæ ecclesiasticæ per ipsas valde dissolvi posse; unde etiam ex hac parte irrationabiles censendæ sunt.

Notandum tamen tales consuetudines si niterentur privilegio sanctæ Sedis, aut saltem si essent immemoriales cum fama talis privilegii, jam non censendas fore irrationabiles. Sed hoc ipso quod niterentur libera summi Pontificis concessione, non essent proprie contra libertatem et immunitatem ecclesiasticam. Cæteroquin potest summus Pontifex per speciale privilegium et justam ob causam alicui principi aut senatui concedere quod aliqua ex parte derogat libertati et immunitati ecclesiasticæ. Sic in Concilio generali Lugdunensi Gregorius X regibus tribuit jus regaliæ, vi cujus vel titulo fundationis, vel ex antiqua consuetudine vindicarunt sibi jus usurpandi bona seu reditus ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum, tempore vacationis horum provenientia. Hujusmodi concessionum exempla etiam præbent plura concordata.

Propositio 8ª. — *Ergo irrationabilis censenda est consuetudo Placeti regii.* — In eo consisteret illa consuetudo quod nulla Sedis Apostolicæ decreta possent in aliquo regno publicari et ad executionem deduci, nisi facultatem fecisset sæcularis Princeps. Porro talis consuetudo et rumperet nervum ecclesiasticæ disciplinæ, et perniciosa esset ecclesiis hujus

regni, et directe lædit libertatem immunitatemque ecclesiasticam, et nedum ex consensu tacito summi Pontificis nitatur, ipsius contradictione legaliter expressa prorsus repellitur. Ergo numquam talis consuetudo aliud esse potuit et poterit quam violentia in Ecclesiam, abusus et corruptela.

Propositio 9ª. — *Ergo consuetudo qua Episcopi alicujus regionis decreta pontificia non acceptarent nisi a se probata, etiam testante Pontifice Romano se non liberam facere acceptationem, irrationabilis et detestabilis censenda foret.* — Equidem præsumi potest Pontifex, quandiu contrarium non exprimit, se nolle obligare per quædam disciplinaria decreta sua, priusquam illa in suis diœcesibus acceptaverint Episcopi. Et sententia hæc licite sustineri potest. Si vero, non acceptantibus Episcopis, summus Pontifex urgeat, et tunc non obediant Episcopi sub prætextu regionalis consuetudinis, nullo modo illis patrocinari talis consuetudo censenda foret. Tali enim consuetudine rumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, qui præcipue in eo est ut summus Pontifex potestatem regendi et gubernandi universam Ecclesiam exercere valeat. Gubernatio autem universalis Ecclesiæ fit præcipue gubernando ipsosmet Episcopos qui singulis ecclesiis præsunt. Prædicta autem consuetudo independentes a capite faceret Episcopos. Summe perniciosa insuper evadere posset illa consuetudo ut satis patet. Nec præsumi ullo modo potest Sedis Apostolicæ consensus illam roborans. Sed de his jam supra disseruimus, ubi de pontificiis constitutionibus tanquam juris canonici fonte.

Propositio 10ª. — *Consuetudo impediens ne Legati Sedis Apostolicæ recipiantur in provinciis, irrationabilis et prorsus detestabilis censenda est.* — « Non valet, ait Reiffenstuel (in » 1 decret., t. IV, De consuet., § 3, n. 80) consuetudo impe- » diens ne Legati Sedis Apostolicæ recipiantur, neque certas » provincias aut regna ad quæ eos destinari contigerit, li- » bere ingrediantur, et commissæ sibi legationis munus exer-

» ceant. Ita habetur expressum in extravaganti *Super gentes,* » (*de consuetudine,* inter communes); ubi talis consuetudo » non solum ut irrationabilis, sed etiam ut Sedi Apostolicæ » ejusque potestati detrahens et injuriosa, ac nonnunquam » animarum saluti contraria, penitus reprobatur; simulque » statuitur ut qui dictos Legatos impedire præsumpserint, ipso » facto excommunicationem incurrant, et eorum terræ ipso » ecclesiastico sint subjectæ interdicto, quandiu in tali con- » tumacia perstiterint. » In brevi Pii VI *Super nunciaturis* non tantummodo damnantur qui impediunt legationes apostolicas, sed per volumen integrum probat Romanus ille Pontifex quam certo pravum sit et damnabile talia attentare. Unde consuetudo de qua agitur nedum consensu tacito Sedis Apostolicæ niti censenda sit, et vim habere, expressa e contra et solemni damnatione inter exitiales corruptelas rejicitur.

§ III.

De requisito Principis, id est, summi Pontificis consensu, ut consuetudo vim habeat.

Nulla forsan existit quæstio in jurisprudentia canonica quæ majoris simul momenti sit et difficultatis. Caute igitur distinguendæ sunt variæ ejus partes, et de unaquaque accurate inquirendum.

PUNCTUM I.

Certum est requiri aliquem Principis consensum ut consuetudo vim habeat.

Est sententia communis doctorum, et illam ut certam habent. Vim enim habere dicitur consuetudo, quando vel imponit obligationem aliquam præter obligationes a legibus scriptis aut traditis statutas, vel eximit ab aliqua lege. In

utroque autem casu idem obtinet consuetudo, si vim habeat, quod obtineret lex aliqua proprie dicta de eadem re; et ideo vocari solet *lex non scripta*. Non ergo potest statui nisi ab eadem auctoritate qua ferri potest lex; sed lex non stat nisi per voluntatem et auctoritatem Principis jurisdictionem habentis; ergo neque aliunde quam ex eadem voluntate suam vim trahere potest consuetudo. Ergo sicut pro omni lege, ita pro qualibet consuetudine, ut vim habeat, requiritur aliqua voluntas Principis consuetudinem firmans, seu aliquis Principis consensus : Princeps autem Ecclesiæ est summus Pontifex. Non est cur huic primo puncto immoremur, cum nullatenus ipsi contradicatur.

PUNCTUM II.

Triplex distinguitur summi Pontificis relative ad consuetudines consensus.

« Advertendum est quod tribus modis Princeps in consue-
» tudinem consentire intelligi possit, videlicet, expresse, ta-
» cite, aut legaliter; atque juxta hoc, triplex ejus consensus
» distingui valeat. *Consensus expressus* intervenit, quando
» Princeps expresse seu clare consentit in talem consuetudi-
» nem, dando licentiam ad eam introducendam, vel ipsam
» approbando. *Consensus tacitus* dicitur quando Princeps scit
» talem consuetudinem et dissimulat, seu non contradicit,
» cum commode contradicere posset : sic enim dum tacet
» consentire videtur. *Consensus legalis*, qui et *generalis*, ac
» *juridicus* appellatur, est ille qui datur per legem, sive per
» jus ipsum, quatenus legislatores per publicam legis auc-
» toritatem consentiunt in omnes consuetudines rationabiles
» et legitime præscriptas, easque firmas esse vimque legis
» habere volunt (ut c. *Cum tanto* 11, tit. 4 *de consuetudine*,
» lib. 1 decretalium)... Atque ideo consensum hunc alio no-
» mine vocant *generalem*, eo quod per publicam legem præs-

» tetur generaliter pro omnibus consuetudinibus rationalibus » et rite præscriptis. At vero duplicem priorem consensum » appellant *specialem*, eo quod pro hac vel illa determinata » consuetudine in specie detur, dum in eam Princeps vel ex- » presse, vel saltem tacite consentit. » (Reiffenstuel, in 1 decretalium, tit. 4, § 5, n. 138.)

De *consensu expresso* nulla potest esse difficultas : statim enim ac constat Romanum Pontificem *expresse* alicui consuetudini consensisse, certum est illam consuetudinem vim legis habere. Exprimendo enim voluntatem hanc, summus Pontifex ipse tanquam legem firmat quod consuetudo, sive præter, sive contra jus commune introduxit.

PUNCTUM III.

Si consuetudo esset certo irrationabilis seu mala, ex nullo summi Pontificis consensu vim habere posset.

Non ex consensu legali, cum iste non exsistat nisi quoad consuetudines rationabiles. Non ex consensu tacito, cum neque iste præsumi possit ex silentio summi Pontificis, quando agitur de consuetudine intrinsece et per se mala et peccaminosa. Non ex consensu expresso, cum nunquam consentiat summus Pontifex consuetudini malæ quatenus malæ; ergo si forte accideret Pontificem expresse probare consuetudinem malam alicujus regionis, deceptus nempe falsa aliqua relatione, illam non intenderet approbare nisi quatenus bonam, et sic vere in consuetudinem prout in se est non consentiret. Præterea consuetudo intrinsece mala seu irrationabilis, esset hoc ipso contra jus naturale vel divinum positivum, cui a nulla potestate humana derogari potest.

PUNCTUM IV.

De silentio summi Pontificis juncto cum facilitate reclamandi.

Considerari potest tale silentium vel quoad consuetudinem præter jus, vel quoad consuetudinem contra jus. Et iterum considerari potest vel quoad consuetudinem certo rationabilem, vel quoad consuetudinem dubie rationabilem, id est, de qua dubitari aut controverti potest utrum revera sit rationabilis.

1° Consuetudo præter jus et certo rationabilis vim accipit a silentio Papæ, juncto cum facilitate reclamandi. — Casus scilicet est iste : summus Pontifex cognoscit introduci in aliqua regione consuetudinem de se et relative ad circumstantias bonam aut saltem per se indifferentem seu non malam; et consuetudo illa non contradicit juri communi, sed tendit tantum ad novam obligationem ibi introducendam; et cum posset facile si vellet eam consuetudinem impedire Papa, non impedit, sed silet. Porro talis consuetudo ex tali silentio vim accipere potest. Nam certum est summum Pontificem, nisi contrarium exprimat, non velle impedire consuetudines rationabiles; et hoc magis adhuc patet quando istæ consuetudines non præjudicant juri communi. Expresse enim in jure canonico declaratur servari posse et debere consuetudines rationabiles et legitime præscriptas (in titulo 4 de consuetudine, l. 1 decretalium); idque ita utile esse ad bonum commune Ecclesiæ fatentur omnes. Ergo si Pontifex sciens prædictam consuetudinem introduci, taceat, præsertim cum facile impedire illam posset, merito consentire censetur. Ergo per istum consensum consuetudo illa vim legis acquirere poterit. Quanto autem tempore, dicetur in sequenti paragrapho. In hoc puncto concordant auctores.

2° Quid de prædicta consuetudine præter jus, si sit tantummodo dubie rationabilis? Supponitur semper Papam posse facile reclamare si velit. Videtur probabilius summum Pontificem illi consentire et vim tribuere. Nam licet controvertatur utrum sit rationabilis, tamen cum Papa sciens et valens facile illam impedire, nihil dicat, merito censetur illam judicare rationabilem et illi consentire; et in dubio standum est potius pro rationabilitate consuetudinis quam silens Papa tolerat, dum facile obsistere posset; nam si esset mala, ex officio illam impedire teneretur, cum ex hypothesi id facile valeat.

3° Consuetudo contra jus certo rationabilis, vim accipit ex silentio Papæ, juncto cum facilitate reclamandi. — Casus scilicet est iste : in aliqua regione introducitur consuetudo non servandi aliquam communem legem ecclesiasticam; et ob circumstantias in quibus versatur hæc regio, est certo utile et rationabile seu saltem non malum, ut ita agatur; et Papa sciens et valens facile hanc consuetudinem tollere, de illa tamen silet. Porro in tali casu Papa consentire consuetudini et illi vim tribuere censendus est. Nam utiles esse possunt hujusmodi consuetudines, licet legi communi contrariæ; et jus canonicum supponit illas posse imo et debere servari, quando sunt rationabiles et legitime præscriptæ. Ergo summus Pontifex quando silet, cum facile illas annullare posset, sufficienter indicat se velle illas vim habere. Et in hoc etiam concordant auctores.

4° Quid vero, si consuetudo contra legem sit dubie tantum rationabilis, supposito semper conscio Papa, et silente, cum facile possit obsistere? — Etiam tunc probabile videtur Papam consentire et vim consuetudini tribuere. Nam ex eo quod facile possit, ex hypothesi, talem consuetudinem annullare, et tamen sileat, merito præsumi potest hanc consuetudinem ipsi non videri irrationabilem, et propterea eum silere et consensum tacite tribuere.

Hæc de silentio summi Pontificis cum facilitate reclamandi juncto. Nunc idem silentium consideremus absque illa reclamandi seu obsistendi facilitate.

PUNCTUM V.

De silentio summi Pontificis absque reclamandi facilitate.

Quam gravis et practica sit proposita quæstio, facile intelliget quisquis, historiæ ecclesiasticæ memor, perpendet Romanos Pontifices ita sæpe difficultatibus coarctari, ut non nisi magno cum ecclesiarum et animarum discrimine quasdam valeant consuetudines extirpare atque convellere. Tunc enim, licet toto animo se hujusmodi consuetudinibus opponere cuperet Sedes Apostolica, atque necessarium existimaret, ad majora tamen vitanda mala, silet et opportuniora tempora prudenter expectat.

Unde duplex Romani Pontificis silentium omnino distinguendum est : Silentium nempe *annuens* seu consentiens, et silentium mere *œconomicum*, id est, ex prudentia servatum, quod nullum includit assensum, nullamque approbationem consuetudinis, a cujus tamen damnatione pro tempore abstinetur. Posse autem Romanos Pontifices hoc posteriori modo tacere, et contra quasdam consuetudines sibi bene notas, licet eis minime consentiant, non reclamare, negabit nullus. Quibus prænotatis, ad quæstionem ipsam accedamus. Expendamus scilicet quid concludi valeat ex silentio summi Pontificis, reclamandi facilitatem non habentis.

Propositio 1ª. — *Legislator censendus est velle legem suam servari, quandiu legitime concludi non potest ipsum hujus legis derogationi consentire.* — Nam hoc ipso quod legislator universalem ferat legem, illam fert in omnes et in perpetuum; ac proinde certa est ejus voluntas omnes permanenter

ligandi. Illa autem voluntas subditos obligat donec constet illam mutatam fuisse; et ut cesset obligatio, non sufficit ut *possibile sit* legislatoris mutatam fuisse mentem, sed necesse omnino est ut illa immutatio certo constet vel saltem legitime concludi possit. Si enim ad tollendam obligationem sufficeret simplex hujus mutationis possibilitas, nulla lex juris positivi obligare unquam posset. Nam statim ac Princeps legem sancivit, absolute possibile est ut ipsum sui decreti pœniteat, et ut in ipso cesset obligandi voluntas. Quæ mutatio voluntatis a fortiori possibilis est quolibet die, quolibet mense et anno. Si ergo ad tollendam obligationem sufficeret sola hujus mutationis possibilitas, ne primo quidem instanti post latam legem obligatio existeret; et sic irritæ et impossibiles redderentur omnes juris positivi leges. Jus autem naturale et divinum, quod ab hominum arbitrio non pendet, certissime e contra sancit legum humanarum vim et robur; quia ad rectum societatum humanarum regimen, necesse est ut qui ipsis præsunt possint decretis suis et ordinationibus subditos ligare. Ergo vi ipsius juris naturalis certum est, decretum Principis semel latum obligare, donec constet et legitime concludi possit a Principe ipso huic decreto fuisse derogatum; ac proinde, quandiu *possibile* tantum est et *incertum*, Principem suo decreto derogasse, vi dicti juris naturalis certissime pergit illud decretum subditos obligare. Ergo tunc tantum legitime concludi poterit obligationem cessasse, quando legitime concludi poterit legislatorem suæ legi derogasse; et quandiu incertum remanebit an derogationi consenserit, possidebit lex; quia hoc postulat rectus regendarum societatum humanarum ordo, ac proinde essentialis Dei voluntas.

Propositio 2ª. — *Quandiu Papa non habet facilitatem reclamandi, legitime concludi non potest ipsum consentire consuetudini contra legem.* — Valde notanda est illa circumstantia summi Pontificis habentis vel non habentis reclamandi

facilitatem; quia ab ea tota pendet plurium circa consuetudines maximi momenti quæstionum resolutio. Quando scilicet Romanus Pontifex novit contra legem suam induci aliquam consuetudinem, et facile potest, si velit huic consuetudini obsistere, eamque tollere; si taceat, merito concluditur consentire. Si enim serio vellet legem suam in robore suo permanere, voluntatem hanc exprimeret; cum, ex hypothesi, absque ullo incommodo loqui possit, et loquendo consuetudinem evertere. Si ergo tunc sileat, ideo tantum quia serio non vult legem suam vim habere; ac proinde consuetudini contra legem invectæ consentire censendus est.

At vero aliter omnino res se habet, quando dicta reclamandi facilitate Papa destituitur. Tunc enim concludi certo nequit eum silere ex eo quod consuetudini consentiat; quia ratio ipsius silentii alia esse potest, timor nempe majoris orituri detrimenti si statim loquatur. Ideo scilicet summus Pontifex non habet reclamandi facilitatem, quia communitas, consuetudinem legi adversam inducens, non videtur ad parendum disposita, et ita huic consuetudini pertinaciter adhæret, ut ad schisma potius exorbitare parata sit, quam sinere se ad obedientiam reduci; vel quia, licet communitas ipsa facile ad legis observantiam compelli posset, aliqui tamen in regione potentes (sæcularis Princeps, verbi gratia, aut ipsius curiæ et parlamenta), id ægre passuri sint; ita ut metuendum sit ne istiusmodi viri graviora in Ecclesiam moliantur, quam foret ipsius legis pontificiæ per aliquod tempus violatio. Quibus circumdata periculis et difficultatibus Sedes Apostolica prudens dissimulare solet et silere, dum videt in aliqua regione legibus suis morem non geri. Imo œconomicum hujusmodi silentium aliquando servat erga illas etiam consuetudines quæ certo et notorie irrationabiles ex natura sua sunt et pravæ, atque corruptelis annumerandæ. Nec objici debet falsum tunc fore Augustini dictum : *quæ sunt contra fidem aut bonos mores Ecclesia nec facit nec*

tacet : hoc ipso enim quod consuetudo aliqua corruptela sit, jam satis remanet ex generali Ecclesiæ doctrina condemnata, etiamsi ad tempus Apostolica Sedes sileat, opportuniora ad correctionem exspectans tempora. Et præterea non ille est allatæ sententiæ sensus, statim ac alicubi aliquid contra bonos mores oritur, necessario Ecclesiam loqui, et eam non posse tempus opportunum ad profligandos abusus prudenter eligere.

Omnino ergo tanquam certum admittendum est posse Apostolicam Sedem, quando reclamandi facilitatem non habet, ex silentio mere œconomico, nullum consensum involvente, silere, et consuetudinem legi contrariam pro tempore dissimulare. Ergo in tali casu ex silentio summi Pontificis illegitime concluderetur ipsum dictæ consuetudini consentire. Concludendum potius ipsum dissentire ; quia si consentiret, illud ordinarie exprimeret : hoc enim gratum esset regioni dictam consuetudinem inducenti, et potius censendus est Papa gratum facere velle : cum ergo sileat et sedulo et quasi ex proposito evitet quidquid præfatum consensum innueret, potius dissentire censendus est. Sed illud saltem certum remanet, ex ejus silentio non legitime concludi consensum ; cum silere in tali casu possit, non ex eo quod consentiat, sed tantum ob prævisa et præcavenda graviora mala.

Propositio 3ª. — *Quandiu Papa non habet facilitatem reclamandi, consuetudo non potest contra legem legitime præscribere.* — Est enim principium certum et ab omnibus admissum, nullam consuetudinem posse contra legem legitime præscribere nisi accedente aliquo legislatoris consensu; aliunde quandiu Papa reclamandi facilitate destituitur, non potest legitime concludi ipsius consensus, ut modo in secunda propositione ostendimus; aliunde ex prima propositione, quando non potest legitime concludi ille consensus, legislator censendus est velle legem suam servari;

ergo, quandiu Papa facilitate reclamandi destituitur, censendus est velle legem suam servari; ergo censendus est consuetudini contrariæ non consentire; ergo supponi non debet tacitus ejus in consuetudinem contrariam consensus; ergo consuetudo illa censeri debet tacito hujusmodi consensu destitui; ergo contra legem præscribere nequit, quandiu Papa sic remanet absque reclamandi facilitate.

Sedulo advertatur hujus ratiocinii vis : non concludimus ex eo quod *certum sit Papam consuetudini non consentire,* sed ex eo quod in supposito casu *incertum saltem sit an consentiat.* Hoc ipso enim quod *incertum sit* an legislator velit edicto suo derogare, urget jus naturale ut edictum observetur; quia alioquin omnes leges humanæ abirent in nihilum. Unoquoque enim momento possibile est ut legislator incipiat velle legi suæ derogare, ac proinde unoquoque momento *incertum est* an consentiat derogationi. Si ergo incertitudo hæc sola sufficeret ad tollendam obligationem, nulla lex humana obligaret. Hinc omnes admittere debent obligare legem donec constet, id est, legitime concludi et præsumi possit a legislatore ei fuisse derogatum. Quandiu id aliquo modo non constabit, tenebuntur omnes legem observare, etiamsi forte de facto mutata fuisset in legislatore obligandi voluntas. Nam jus naturale vult ut permaneat obligatio, et decretum legislatoris humani vim habeat, donec aliquo modo constet communitati eumdem legislatorem huic decreto derogasse. Unde hoc ipso quod incertum remaneat an Princeps suo decreto derogaverit, certa ex jure naturali remanet decretum illud observandi obligatio. In casu autem quo Papa facilitatem reclamandi non habet, et silet, incertum saltem remanet an consuetudinibus legi contrariis consentiat; ergo nisi silentium rumpat et expresse consuetudini assentiat, certo pergit lex obligare; idque fluit, ut diximus, ex certo juris naturalis principio.

Confirmatur thesis ex Apostolicæ Sedis et Curiæ romanæ

praxi. — Postquam scilicet quædam consuetudines legibus ecclesiasticis contrariæ in variis regionibus, sciente et silente Sede Apostolica, invaluerunt, non raro contigisse videmus, ut summus Pontifex, vel Eminentissimi congregationum romanorum Cardinales, rogati declarare, an tales consuetudines, utpote plus quam quadragenariæ, legitime contra legem præscripserint, negativum responsum emiserint. Plura extant hujusmodi declarationum exempla. Unum aut alterum tantum adducemus, ea seligendo quæ materiam tangunt in Galliis nunc valde agitatam : utrum nempe legitime præscripserint consuetudines quadragenariæ contra bullas sancti Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII circa rem liturgicam. In diœcesi Novariensi a quadraginta quatuor annis prædictarum bullarum dispositio quoad edendos libros liturgicos non fuerat observata; postulatum tandem est, *utrum etiamnunc servari debeant recensitæ constitutiones pontificiæ, et an transgressores pœnas inibi inflictas incurrant*. Sacra vero rituum congregatio, die 7 aprilis 1832, Cardinali Novariensi Episcopo respondit, *pontificias constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum*. Ergo licet per 44 annos siluisset Sedes Apostolica, non tamen consenserat huic consuetudini; alioquin illa consuetudo non potuisset dici *abusus*, et bullæ præfatæ non debuissent declarari in suo robore *permanere*, sed *restitui*. (Hanc declarationem per extensum vide in nostro Tractatu *de Jure liturgico*, parte 4, cap. 2, § 3; vel in collectione Gardelliana, t. VIII, p. 177.)

Item nuper Reverendus Lottin, cathedralis Cenomanensis in Gallia canonicus, quoad breviarium et missale Cenomanensis ecclesiæ, contra præfatarum bullarum præscriptionem inducta, postulavit, *utrum hujusmodi liturgia vi præscriptionis seu consuetudinis sæcularis facta sit legitima, ita ut hodie quilibet sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?* Et sacra rituum congregatio, die 10 januarii 1852, rescribendum censuit, *negative*. Ergo licet tanto tempore si-

luisset Romanus Pontifex, non tamen huic Cenomanensi consuetudini consenserat. (Hanc posteriorem declarationem per extensum reperies in meo Tractatu de Jure liturgico, parte 5ª.) Ex his et similibus factis, id est, ex Sedis Apostolicæ et ipsius tribunalium praxi, aperte constat, multoties Romanum Pontificem minime consentire consuetudinibus legi contrariis, quamvis sileat : ideo autem tunc silet quia facilitatem reclamandi non habet, et expectat opportuniora tempora. In quo admirari quisque potest quam forte simul et mansuetum sit sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ regimen : forte inquam, dum summus Pontifex silendo etiam et dissimulando, vim suam disciplinæ sartam tectam conservat et vindicat : mansuetum vero, dum in transgressores non statim animadvertit, sed benigne præstolatur donec renitentes animos absque eorum discrimine coercere et legi adigere valeat.

Objicies : — Si Romanus Pontifex sileret dum non consentit consuetudini legi contrariæ, causa esset innumerabilium peccatorum ; nam ob silentium præcipue summi Pontificis hujusmodi consuetudines perseverant, et nihilominus peccaminosæ dicendæ forent : atqui supponi nequit Romanum Pontificem velle ad peccata excitare, sed potius censendus est velle ea præcavere ; ergo dum silet, consentire consuetudini et illam legitimare censendus est. — Objectio illa, quæ aliquibus fucum fecit, omnino inanis est. Nam 1° peccata non innumerabilia sunt, ut supponit objectio : in regione enim ubi viget præsupposita consuetudo, omnes fere subditi ignorant an Prælati sui dispensationem a lege obtinuerint, nec de hoc inquirere plerumque tenentur, et ordinarie de facto bona fide supponunt rectum esse quod a Prælatis suis in praxim inducitur, vel etiam legem consuetudini adversantem non norunt. Porro hi omnes, licet legem certo vigentem infringant, ob bonam fidem non peccant. Excipiendi tantum ii subditi, quibus bene nota esset lex, et quibus simul notorium esset ob-

tentam a Prælatis dispensationem non fuisse. Hi ergo pauci, cum Prælatis, si consuetudini adhæreant, peccabunt. Imo etiam ii, ex variis rationibus sibi plerumque persuadent, licet erronee, sibi licere consuetudinem legi adversantem retinere; et sic etiam ipsi, ob bonam fidem, a peccato præservantur. Unde evenire potest ut in aliqua regione diu frequentetur consuetudo certo illegitima, et cui minime consentit summus Pontifex, quin peccent subditi aut etiam Prælati. Et hoc bene scit Sedes Apostolica, quando ad vitanda vera peccata et mala quæ orirentur si lex urgeretur, regionem aliquam suæ bonæ fidei benigne permittit, et contra illegitimam ipsius consuetudinem pro tempore non reclamat. 2° Dum ita agit Sedes Apostolica, non ad peccata incitat, neque peccatorum causa activa est; sed tantum aliqua forsan peccata evenire permittit. Porro omnino falsum est non posse summum Pontificem sic permissive quoad aliqua peccata se habere, quando ita agendo multo plura et graviora devitat, et bonum generale Ecclesiæ promovet. Alioquin deberet leges omnes ecclesiasticas tollere; bene enim prævidet, hoc ipso quod existat lex, aliquas infractiones orituras, quæ certo præcaverentur si lex deleretur. Sicut ergo bonum communitatis seu ecclesiæ, quod a sanctis legibus ita pendet ut absque illis neque regi neque etiam subsistere posset Ecclesia Christi, est ratio sufficiens ut Romanus Pontifex et inferiores Prælati permissive se habeant quoad peccata ex violatis identitem hujusmodi suis legibus oritura, ita a fortiori causa sufficiens erit ut Sedes Apostolica permissive se habeat quoad illegitimam alicujus regionis consuetudinem, quæ sine magno damno evelli statim non posset, et quæ interea ob bonam fidem generaliter peccaminosa non est, licet certo illegitima. Unde sic strictius ad præfatam objectionem responderi potest: *Papa silens, et tamen non consentiens præsuppositæ consuetudini, esset causa permissiva aliquorum forsan peccatorum;* concedo: *esset causa activa innumerabilium peccatorum,* nego.

Atqui supponi nequit Papam velle esse causam permissivam aliquorum peccatorum, etiam quando sic multo plura et graviora præcavet peccata et bono Ecclesiæ notabiliter consulit, negatur et omnino falsum est. Bonum Ecclesiæ et summi Pontificis officium suadent e contra et postulant ut ita se gerat.

PUNCTUM VI.

De consensu legali.

Consensus dicitur *legalis,* quando summus Pontifex ignorat consuetudinem, et illi non consentit nisi per voluntatem generalem qua vult omnes consuetudines rationabiles et legitime præscriptas firmas esse et vim legis obtinere. Supponitur autem semper in summo Pontifice voluntas hæc generalis, tum quia ita postulat Ecclesiæ bonum, tum quia jus canonicum, a sancta Sede promulgatum, nec in hoc unquam mutatum, expresse decernit servandas prædictas consuetudines.

De consensu autem legali non agitur nisi cum deficit in summo Pontifice cognitio consuetudinis : Si enim illam cognoscat et consentiat, ejus consensus est personalis, id est, *expressus* vel *tacitus.*

Quæstio est inter doctores controversa, utrum sufficiat consensus legalis ad conferendam vim legis consuetudini.

Putarunt aliqui consuetudines a Principe ignoratas non posse vim legis adipisci, nec proinde sufficientem esse consensum illum generalem qui legalis dicitur. Allegant quasdam Rotæ Romanæ decisiones quas sibi favere existimant, et auctoritatem Glossæ in caput ultimum tituli *de Consuetudine,* lib. 1 decretalium. Præterea sic urgent ex ratione : idem requiri debet pro consuetudine vim legis habente, quam pro lege qualibet; atqui nulla lex statui et vigere potest ignorante Principe ; ergo nec ulla consuetudo.

(Vide Reiffenstuel, l. 1 decret., tit. 4 *de Consuetudine*, § 5, n. 136.)

Contraria vero sententia est multo communior. De illa sic disserit Suarez (de Legibus, l. 7, c. 13, n. 6) : « Dicimus non » semper esse necessarium consensum priori modo præsti- » tum a Principe, sed posteriorem sufficere. Nam quod prior » sufficiat per se notum est; quod autem non sit necessarius, » sed secundus etiam sufficiat, probatur : quia lex semper » loquitur, et non minus efficax est voluntas Principis per » legem loquens, quam immediate per se volens aut præ- » cipiens.... Ex his infero..., quando consuetudo præscripta » jus inducit, tunc non postulari consensum personalem » Principis, ac subinde nec specialem scientiam ejus de » tali consuetudine; sed ipso nihil de novo sciente aut vo- » lente expresse vel tacite, consuetudinem efficaciter induci. » Hæc est communis sententia jurisperitorum... Fundamen- » tum præcipuum hujus sententiæ sumitur ex dicto capite » ultimo *de Consuetudine*, ubi tantum duæ conditiones ad » consuetudinem requiruntur, scilicet ut consuetudo sit » *rationabilis* et *præscripta;* ergo sine fundamento juris, imo » contra illud jus est, novam exigere quæ in illis non conti- » neatur : at specialis scientia Principis est nova conditio in » illis non inclusa; ergo non est necessaria; ergo nec perso- » nalis consensus qui sine illa scientia esse non potest. Con- » firmatur ac declaratur : Quia Princeps potuit generalem » legem statuere approbantem consuetudinem habentem » tales conditiones ab ipso præscriptas, et ut vim habeat abs- » que novo suo consensu vel scientia; sed id fecit in illo de- » creto (nempe c. *Cum tanto* 11, *De consuetudine* 4, lib. 1 de- » cret.) ; ergo. Major patet, quia hoc non excedit Principis » potestatem, et ille modus ostendendi suam voluntatem est » sufficientissimus, ut declaravi : est etiam convenientissi- » mus, quia moraliter impossibile est consuetudines omnes

» ad principis notitiam pervenire, juxta caput 1 de constitu-
» tionibus in 6 (1), et alioqui expediat consuetudines ratio-
» nabiles observari et vim suam obtinere; ergo. »

Ad argumentum sententiæ oppositæ ex ratione deductum, nempe legem statui non posse ignorante Principe, ac proinde idem dici debere de consuetudine, cum et ipsa sit vera lex licet non scripta, responderi potest : non est verum legem statui non posse inscio Principe : si enim aliquis Princeps semel pro semper decerneret se suas facere et auctoritate sua firmare leges omnes a consilio aliquo jurisperitorum a se constituto emanaturas, posset lex aliqua ab isto consilio constituta et promulgata ignorari a Principe, et tamen vim haberet; ergo et quoad consuetudines, cum per decretum generale statuatur in jure canonico, valituras eas modo sint talibus conditionibus munitæ, dicendum cognitionem de illarum exsistentia non requiri in summo Pontifice.

Ad objectionem desumptam ex decisionibus Rotæ Romanæ et ex Glossa, putat Reiffenstuel responderi posse, ibi agi de consuetudinibus a jure reprobatis. (Reiffenstuel in l. 1 Decret., t. 4, § 5, n° 141.)

(1) Sic in isto capite loquitur Bonifacius VIII : « Licet Romanus Pontifex, » qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem con- » dendo posteriorem, priorem quamvis de ipsa mentionem non faciat revo- » care noscatur : quia tamen locorum specialium et personarum singularium » consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consistant) potest proba- » biliter ignorare : ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a » se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo » derogare. »

§ IV.

De legitima consuetudinis præscriptione.

Prænotandum. Quando agitur de præscriptione consuetudinis, vox illa *præscriptio* non usurpatur in rigore termini. Præscriptio enim proprie dicitur longa possessio qua quis acquirit jus in rem quæ ad alium pertinebat. Consuetudo autem non præcise ipsa præscribit, sed potius per ipsam, id est, per consuetudinem possidendi, præscribitur. Sed tamen quemadmodum longa possessio alicujus tollit dominium alterius, ita longa consuetudo tollit legem communem sibi contrariam, aut aliquam novam obligationem præter legem inducit. Porro ob istam similitudinem invaluit usus quo etiam consuetudines ex diuturnitate *præscriptæ* vocari solent. Unde per consuetudinem legitime præscriptam intelligitur consuetudo quæ sat diuturno tempore duravit, ut propter istam diuturnitatem obligationem induxisse, vel legem sibi contrariam abrogasse censenda sit.

Duplicem hic quæstionem tractandam habemus : 1° Quandonam vis legis consuetudini superveniat per viam præscriptionis. 2° Quantum requiratur temporis ad sufficientem præscriptionem.

PUNCTUM I.

Quandonam consuetudo vim legis per viam præscriptionis acquirat.

1° Consuetudo intrinsece mala seu irrationabilis nunquam ex præscriptione vim legis obtinet. — Est unanimis et certa doctorum sententia, quam supra exposuimus. Nec per præscriptionem, nec ullo alio modo vim legis obtinere potest consuetudo irrationabilis sive præter, sive contra jus.

2° Si Princeps expresse consentiat alicui consuetudini, nulla præscriptione opus est; sed statim ac ei accessit expressus Principis consensus, vim legis habet. Tunc enim Princeps eam in legem erigit.

3° Si merito præsumi possit consensus tacitus Principis, nulla iterum opus est præscriptione, cum talis consensus per se solum consuetudini vim tribuat. Et ita fit quoties Princeps cognoscens consuetudinem, tacet, cum posset, si vellet, facile reclamare et consuetudinem annullare : tunc enim merito illi consentire præsumitur. Et idem videtur dicendum quando Princeps non habet facilitatem reclamandi, si consuetudo sit tantum *præter jus*, modo tamen rationabilis sit. Quia quando consuetudo nulli legi opponitur et simul in se rationabilis est, censetur Princeps velle populo satisfacere et consentire.

4° Quando summus Pontifex cognoscit consuetudinem contra jus, et non habet facilitatem reclamandi, non videtur consuetudinem posse per præscriptionem vim legis acquirere. Quantumvis enim duret talis consuetudo, incertum est utrum Pontifex taceat tantum ex silentio mere œconomico, cum non possit, ex hypothesi, libere loqui. In ista autem incertitudine possidet lex contra consuetudinem.

5° Ergo generatim in casu quo Princeps noscit consuetudinem, nunquam ex præscriptione vis consuetudini acquiritur. Ergo vis consuetudini per viam præscriptionis non acquiritur nisi in casu quo Princeps illam ignorat, et illi consentire nequit nisi consensu *legali* seu juridico.

PUNCTUM II.

Quantum temporis requiratur ad sufficientem præscriptionem, quando per viam præscriptionis consuetudo vim legis acquirit.

Casus quo per viam præscriptionis consuetudo vim legis

acquirit est, ut diximus, quando consuetudo, cæteroquin rationabilis, ignoratur a Principe.

Tunc vero communiter admittitur, post sat diuturnam durationem consuetudini vim legis acquiri. Ad determinandam autem requisitam illam durationem, distinguendum est inter consuetudines *præter jus*, et consuetudines *contra jus*. Quoad priores concordant doctores in assignando requisito ad præscriptionem tempore; quoad posteriores, non item.

I. Quoad consuetudines præter jus, sufficit spatium decem annorum. — Ita communiter doctores, ut videre est apud Reiffenstuel (in 1 l. Decret., t. 4, n° 91). Fundantur autem eo textu juris quo dicitur revocandum esse *quidquid contra longam consuetudinem fiet* (Distinct. 12, can. 7). « Atqui, ait » Reiffenstuel, longa consuetudo censetur ea quæ duravit » decem annis : nam spatium decem annorum in jure vocatur » longum tempus (loco supra citato). Ad hanc consuetudi- » nem, ait Suarez (de Legibus, l. 7, c. 15, n° 2), decem » annorum tempus necessarium et sufficiens censetur etiam » in canonica materia... Ratio prioris partis (nempe quod » requirantur decem anni) est quia jura dicunt longævam » vel antiquam consuetudinem ad hunc effectum sufficere; » sed ad antiquam seu longi temporis consuetudinem decem » anni requiruntur ; ergo. Ratio autem alterius partis (nempe » sufficere decem annos) est, quia talis consuetudo non est » contra jus, sed præter jus, ut supponimus : ut autem con- » stat ex materia de præscriptionibus, in his quæ non sunt » contra jus, non requiritur majus tempus jure canonico » quam jure civili ad præscriptionem, quam in hac temporis » conditione consuetudo præscripta imitatur. » Probari autem potest insuper thesis hoc modo ; si quid dubii remaneret circa illam decem annorum assignationem, decidenda foret quæstio ex judicio prudentium, et huic prudentium decisioni, si qua interveniret communis et authentica, prorsus stan-

dum esset : atqui intervenit tale prudentium judicium, siquidem constat ita communiter canonistas et theologos sentire ; ergo ex facto hujus communis æstimationis doctorum, propter materiæ naturam, certa evadit conclusio.

« De auctoribus autem qui in contrarium citantur, non » multum curandum est, quia pauci sunt respectu aliorum » (Suarez, loco citato, p. 7). « Et in hoc quidem modica est dif- » ficultas ; major autem in designando tempore requisito ad » præscribendam consuetudinem contra jus. » (Reiffenstuel, loco citato, n. 19.)

II. Quoad consuetudines contra jus, triplex est sententia de tempore ad præscriptionem requisito.

1° Alii distinguendum putant inter leges ecclesiasticas semel receptas, et nunquam receptas : et has quidem decennio per contrariam consuetudinem tolli concedunt ; ad illas vero abrogandas requirunt spatium quadraginta annorum. Ratio cur decennium tantum requirant ad abrogandas per consuetudinem leges nondum receptas, est quia tunc non agitur de præscribendo contra legem, sed tantum de impediendo vinculo legis. Pro reliquis autem requirunt quadraginta annos ob rationes a sequenti opinione allegatas. Ita Felinus, Engl, Layman et alii.

2° Alii requirunt quadraginta annos, sive lex per consuetudinem abroganda recepta fuerit, sive non. Dicunt autem vanam esse distinctionem inter leges receptas et non receptas ; quia per negationem receptionis vel lex amisit suam vim obligandi, vel non : si prius, nullo temporis spatio nullaque consuetudine opus est ad abrogandam legem, siquidem nunquam fuit obligatoria, utpote non recepta : si posterius, id est, si lex non obstante denegatione receptionis obligatoria fuit, in eadem conditione est ac si fuisset recepta, et non est ratio cur minus requiratur temporis spatium. Patroni autem hujus sententiæ existimant necessarium quadraginta annorum spatium, quia illud tempus requiritur a jure canonico ad

præscribendum contra Ecclesias (C. *Auditis*, de Præscriptionibus). Addit Diana (part. 6, tract. 3, resol. 2. § *Sed quid ego*) hanc sententiam firmari auctoritate sacræ Rotæ Romanæ, quæ semper hanc regulam tenuit. Ita sentiunt Abbas, Diana, et doctissimus Fagnanus.

3° Alii tandem sustinent non requiri nisi decem annos. Quorum præcipuum ratiocinium est istud : non est inducenda discrepantia inter jus civile et canonicum ubi non habetur expressa dispositio juris in contrarium ; atqui ad abrogandam legem civilem per consuetudinem contrariam, sufficit decennium, simulque quoad hoc in jure canonico non reperitur expressa dispositio in contrarium ; ergo pariter ad abrogandum legem canonicam quamcumque sufficit decennium. Ad auctoritatem Rotæ Romanæ respondent, istud quidem tribunal requirere quadraginta annos ; sed ideo tantum, quod in causis quas judicandas habet, consuetudo contra legem infert præjudicium alicui tertio, verbi gratia, bonis alicujus ecclesiæ ; alioquin enim coram ista curia non litigaretur. Sed ad præscribendum contra bona ecclesiastica certum est, et ab omnibus admissum, requiri quadraginta annos, cum ita expresse jus canonicum statuat (C. *Auditis*, de Præscript.) In præsenti autem quæstione non agitur de consuetudine prout infert præjudicium alicui privatæ personæ, sed prout totam communitatem eximit a lege aliqua communi.

Stante illa opinionum varietate, hoc tantum concludi posse videtur : 1° certo requiri saltem decennium ; 2° certo sufficere quadraginta annos ; 3° incertum remanere, donec praxis Ecclesiæ aut decisio aliqua litem dirimat, utrum consuetudo quæ plus decem annis, et minus quadraginta duravit, legitime præscripta reputanda sit.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS CONSUETUDINIS.

Quatuor præcipui enumerantur consuetudinis effectus : legem interpretatur, legem inducit, actus in contrarium irritat, et legem abrogat.

I. *Legem interpretatur.* — An et quomodo consuetudo præexistentem legem interpretetur, resolvit Reiffenstuel, loco citato, n. 151 : « Respondeo dupliciter id fieri, vide-
» licet authentice sive necessario, et probabiliter seu conjec-
» turaliter tantum : juxta quod consuetudo alia est juris et
» legitime præscripta, alia facti duntaxat et consistens in
» mera frequentatione actuum. Et quidem *consuetudo juris,*
» quæ videlicet legitime fuit præscripta, sicque vim legis ob-
» tinuit, interpretatur legem authentice, adeo ut ejus inter-
» pretatio sit necessaria, seu necessario observanda. Hæc
» quippe nomine *consuetudinis* absolute positæ intelligitur,
» capite *Cumana* (50, de Election.); ac proinde de ipsa pro-
» cedit illud..., *optima est legum interpres consuetudo*... Cæte-
» rum *consuetudo facti* quæ nimirum... consistit in mera
» frequentatione actuum..., solummodo conjecturaliter, sive
» probabiliter mentem legislatoris ipsiusque legis interpre-
» tari potest... Et quidem hujusmodi consuetudo interpreta-
» tiva et conjecturalis neutiquam expostulat tempus decennii,
» ad instar consuetudinis interpretativæ authenticæ, sed mi-
» nori tempore est contenta. »

II. *Legem inducit.* — 1° Est communis doctorum sententia consuetudinem præter jus, aliunde conditionibus debitis vestitam, obligare non tantum in foro externo, sed etiam in foro interno, id est, ex conscientia. « Loquendo de consue-
» tudine quidpiam præcipiente vel prohibente, habet ipsa

» vim obligandi nedum pro foro externo, sed etiam pro foro
» conscientiæ : unde si alicubi ex longæva consuetudine et
» concurrentibus aliis conditionibus hactenus enumeratis,
» celebretur dies festivus veluti de præcepto, absque dubio
» is obligabit etiam pro foro interno et conscientiæ. Ita sen-
» tentia communis; et patet ex canone *Illa autem*, distinc-
» tionis 12, ubi loquendo pro foro conscientiæ, atque evitando
» peccato, hoc ipsum traditur de observantia jejunii, alle-
» gato illo S. Ambrosii effato : *Cum Romam venio, jejuno*
» *sabbato; cum Mediolani sum, non jejuno* : propter diver-
» sam videlicet utriusque Ecclesiæ consuetudinem. Id ipsum
» convincit ratio manifesta : quia consuetudo pro lege susci-
» pitur, estque jus non scriptum; ergo sicut lex juxta mate-
» riæ qualitatem obligat in conscientia, ita et consuetudo. »
(Reiffenstuel, loco citato, n. 158.) — 2° Supponitur autem
consuetudo debitis aliunde conditionibus vestita : « Nam in
» praxi ad asserendam hujusmodi obligationem, vel maxime
» erit attendendum utrum actus illi a majori parte commu-
» nitatis fuerint publice frequentati quasi ex obligatione,
» simulque exstiterint uniformes ac voluntarii, non autem
» ex errore aliquo procedentes... Deinde quando superior,
» ut puta Episcopus loci, expresse contradixit tali consuetu-
» dini introducendæ, palam est talem consuetudinem fore
» invalidam, sicque non obligare pro foro conscientiæ : defi-
» ceret enim consensus superioris, etiam legalis et tacitus,
» ob hujusmodi expressam contradictionem. » (Reiffenstuel,
loco cit. n. 159.)

III. *Irritat actus in contrarium gestos.* — Nam consuetudo rationabilis, et vel legitime præscripta, vel consensu personali, id est, tacito aut expresso Principis firmata, vim legis habet, ex dictis supra; porro certum est a lege irritari actus in contrarium gestos; ergo eumdem effectum habebit consuetudo vim legis habens. Probatur præterea ex capite *Cum tanto II, de consuetudine* 4, libri 1 decretalium, ubi sic decer-

nit Gregorius IX : *Licet etiam longævæ consuetudini non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime sit præscripta.* Cum dicat summus Pontifex, *nisi fuerit rationabilis et legitime præscripta*, æquivalenter declarat consuetudinem his duobus conditionibus pollentem, juri positivo præjudicare ; si autem præjudicat juri positivo, irritat actus sibi contrarios juxta hoc jus positos. « Sic, ait Reif-
» fenstuel (loco citato, n. 150), per consuetudinem loci effici-
» tur quis ineligibilis et inhabilis ad beneficium ecclesiasticum
» (cap. *Cum olim* 6, juncta glossa *fin. de cleric. conjugat.*). Sic
» etiam electio contra consuetudinem legitime præscriptam
» attentata non valet, sed irrita declaratur » (capite *Cum dilectus* 8, *de consuetudine*, et capite *Cumana*, 50 *de election.*)

IV. *Quomodo legem præexistentem et sibi contrariam abroget.* — 1° Certum est consuetudini rationabili ac legitime præscriptæ vim inesse abrogandi legem sibi præexistentem, quando ista lex non prohibuit in futurum inducendas contrarias consuetudines. Patet ex capite *Cum tanto, de consuetudine*, modo relato. 2° Quærunt canonistæ utrum consuetudo possit abrogare legem præexistentem quoad pœnam tantum, remanente obligatione sub culpa; et communiter docent id esse admittendum. Nam si consuetudo valet legem abrogare ex toto, cur non poterit eam abrogare ex parte, id est, quoad pœnam tantum? Præterea consuetudo, ex dictis supra (in § 2, capitis 2), vim suam totam trahit ex consensu personali vel legali Principis. Jam vero bene potest Princeps velle abrogare pœnam legi annexam, et legem quoad vim obligandi intactam servare. 3° Iterum quærunt utrum possit consuetudo abrogare legem quoad culpam et non quoad pœnam; et ex eisdem rationibus affirmative respondent; excipiendo tamen casum in quo pœna talis est conditionis, ut culpam necessario præsupponat; quod locum habet in censuris ecclesiasticis : cum enim illæ censuræ non imponantur

nisi contumacibus et Ecclesiæ inobedientibus, non potest illas incurrere nisi qui violando legem peccavit; unde si non abrogatur censura legi annexa, nec abrogatur obligatio legis. (Vide Suarez, *De Legibus*, lib. 7, c. 19; et Reiffenstuel, in 1 l. decretalium, t. 4, § VI). 4° Utrum autem lex quæ prohibuit omnem contrariam consuetudinem in futurum inducendam (qualia sunt Tridentina decreta), possit nihilominus abrogari per supervenientem hujusmodi consuetudinem, est quæstio valde disputata, de qua in sequenti capite.

CAPUT IV.

DE CONSUETUDINUM ABROGATIONE.

Consuetudines abrogantur vel per legem supervenientem, vel per legem consuetudini anteriorem et qua prohibebatur consuetudo antequam orta esset, vel per consuetudinem contrariam.

§ I.

De abrogatione consuetudinis per supervenientem legem.

Distinguendum est inter consuetudines generales et particulares; et iterum inter immemoriales et eas quarum initia non excedunt memoriam hominum.

I. Consuetudinem generalem abrogat superveniens lex generalis, etsi nullam expressam mentionem de consuetudine faciat. — Est sententia communis. Idque aperte desumitur ex capite 1 *De constitutionibus* in 6, ubi sic declarat Bonifacius VIII : *Licet Romanus Pontifex qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posterio-*

rem, priorem quamvis de ipsa mentionem non faciat revocare noscatur : quia tamen locorum specialium... consuetudines et statuta... potest probabiliter ignorare, ipsis... nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in ullo derogare. Si non est facienda mentio constitutionis prioris cui derogatur per posteriorem, ergo nec præexistentis contrariæ consuetudinis, cum consuetudo vim habens pro lege habeatur. Præterea declarat Bonifacius VIII requiri mentionem expressam pro consuetudinibus particularibus, ex eo quod sint particulares et sic possint ignorari a summo Pontifice; ergo æquivalenter dicit pro consuetudine generali minime requiri hanc expressam mentionem. Idem autem hac ratione invicte probari potest : legislator non præsumi potest ignorare consuetudinem generalem suæ legi oppositam; quod in confesso est apud omnes. Si vero consuetudinem cognoscit, vel vult illam stare, vel vult illam destruere : si prius, ergo legem non feret; stante siquidem in vigore suo generali consuetudine, lex esset prorsus nulla et inutilis : si posterius, id est, si intendat consuetudinem generalem destruere, ergo hoc ipso desinit omnino consensum suum illi tribuere; ac proinde statim, ex defectu consensus Principis, desinit vigere generalis illa consuetudo. Unde ex eo solo quod consuetudo sit generalis, et Princeps legem contrariam ferat, certum evadit consuetudinem hanc ipso facto destitui una ex conditionibus requisitis ad habendam vim, consensu nempe Principis. Ergo nullatenus est necesse ut Princeps consuetudinem generalem contrariam cum expressa mentione abroget; nec est minus certe abrogata absque ulla mentione.

II. Consuetudinibus particularibus, sed non immemorialibus, sufficienter derogatur per clausulam generalem, *nulla obstante consuetudine*, aut alia simili. — Est sententia communis. « Liquet ex eo : quia necesse est ut dicta clausula » quidpiam operetur : atqui nihil operaretur, nisi tolleret » consuetudines particulares locorum; nam consuetudo ge-

» neralis, si qua exstaret, jam sufficienter tolleretur per » ipsammet novam constitutionem contrariam... Accedit » quod hæc clausula demonstret Principem habuisse noti- » tiam contrariæ consuetudinis, prout fuit resolutum per » Rotam (*in Toletana, Admissionis*, 17 *junii* 1609, *coram D.* » *Patriarcha Pamphylio*). » Reiffenstuel, in 1 l. decretalium, t. 4, § 8, n. 184).

III. Clausula *non obstante quacumque consuetudine* non abrogat consuetudinem immemorialem. — Est sententia communis, contra aliquos qui defendunt oppositam. Illam sic probat Reiffenstuel (in 1 l. decret., t. 4, De consuetudine, § 8, n. 189) : « Pro consuetudine immemoriali præsumitur » justus titulus : nam possessio temporis immemorialis est » instar tituli, imo qua non potest allegari melior titulus de » toto mundo, ut loquitur Fagnanus (in C. *Cum apostolica,* » n. 6, *De his quæ fiunt a Prælato...*) Insuper consuetudo an- » tiquissima vel hominum memoriam excedens, habet vim » privilegii a Principe concessi... Unde merito concludendum » quod consuetudo immemorialis, utpote adeo privilegiata, » non comprehendatur sub generali revocatione consuetudi- » num, sed ad ejus abrogationem requiratur specialis mentio » per ly, *etiam immemoriabilis,* aut hujusmodi. Et ita quon- » dam decrevisse sacram Congregationem (nempe Concilii) » refert Fagnanus (in C. *Ad hæc,* n. 34, *De religios. do-* » *mibus*). »

Quasdam tamen exceptiones patitur hæc regula, ut fatentur omnes. Nempe 1° si lex declararet irrationabiles seu reprobaret quaslibet consuetudines sibi contrarias, rueret etiam consuetudo immemorialis absque ulla speciali mentione. 2° Item, si ratio ob quam legislator declarat se legem ferre, æque militet contra consuetudines immemoriales ac contra alias. 3° Item quando legislator abrogat omnia contraria, excepto uno casu; tunc enim censetur immemorialem consuetudinem abrogare.

§ II.

De abrogatione consuetudinis per legem antecedentem consuetudini, seu utrum consuetudo annulletur per legem anteriorem, quæ prohibuit omnem in posterum contrariam sibi consuetudinem.

Expresse statuit Pius IV concilii Tridentini decreta valitura contra omnes contrarias quæ in posterum introducerentur consuetudines, sicque illas consuetudines in antecessum et antequam ortæ essent voluit annullare. Prodiere variis temporibus aliæ leges simili clausula futuras consuetudines abrogante munitæ. Quæstio ergo est utrum revera nulla consuetudo prævalere possit contra hujusmodi leges sibi anteriores, quæ expresse sic prohibuerunt orituras in posterum contrarias consuetudines. De quo magna est inter doctores controversia. Alii affirmant nullam consuetudinem valere posse contra legem quæ sic contra orituras consuetudines cavit. Alii vero negant. Examinanda est quæstio tum in genere, tum in particulari quoad concilium Tridentinum.

PUNCTUM I.

Quæstio in genere.

I. *Sententia affirmans.* — Ejus præcipuas rationes sic exposuit Suarez : « 1° Talis consuetudo eo ipso quod specialiter » prohibetur, irrationabilis est; ergo nunquam potest præ- » scribi; ergo nec legem abrogare. 2° Quia alias nullum effec- » tum haberent in tali lege illa verba quibus etiam in futu- » rum consuetudo prohibetur; quia actus per quos induci » vel inchoari potest talis consuetudo, ex vi legis præcipientis » absque illa clausula prohibiti sunt, et consequenter etiam

» eorum frequentia; ergo ad prohibendam consuetudinem
» facti non erant necessaria illa verba; ergo maxime inten-
» dunt prohibere consuetudinem juris, ne superflue posita
» esse censeantur; ergo aut efficaciter illam prohibent, ita ut
» contra legem induci non possit, aut si hanc efficaciam non
» habent illa verba, superflua etiam sunt, quia ratione illo-
» rum consuetudo non est magis prohibita, nec alium pos-
» sunt habere moralem effectum. 3° In consuetudine præ-
» scriptionis eo ipso, quod lex prohibet ne aliqua res præscribi
» possit, nulla consuetudine fieri potest ut præscribatur :
» ergo similiter eo ipso quod lex prohibet consuetudinem
» contra legem, efficaciter operatur, ut contra talem legem
» nulla consuetudo præscribi possit aut valere. 4° Quia con-
» suetudo non potest abrogare legem nisi ex tacito consensu
» Principis, ut dictum est; hic vero consensus non potest
» præsumi, ubi legislator expresse illum negat per prohibi-
» tionem futuræ consuetudinis suæ legi additam; ergo. 5° Si
» Princeps dicat ut lex vel privilegium non possit abrogari
» nisi expresse, non poterit tacite tolli; sed hoc ipsum facit
» quando prohibet omnem contrariam consuetudinem in-
» duci; ergo. 6° Denique, legislator potest irritare futuros
» contractus ut non valeant; ergo etiam poterit irritare futu-
» ram consuetudinem; sed hoc intendit quando illam pro-
» hibet, quia alias inutilis esset prohibitio, ut argumenta-
» bamur; ergo. » (*De Legibus*, lib. 7, c. XIX, num. 19.)

II. *Sententia negans.* — Illam probabiliorem existimat Suarez, et sic defendit : « Non obstante tali prohibitione legis,
» potest consuetudo subsequens non esse irrationabilis, ut
» ostendimus; supposita vero hac conditione facile potest
» adjungi altera de temporis cursu, vel usque ad præscri-
» ptionem, interveniente ignorantia Principis, vel usque ad
» indicandum sufficienter voluntatem tacitam Principis
» scientis et tolerantis consuetudinem ut etiam est per se
» manifestum... Ergo in tali consuetudine habet locum, vel

» decisio capitis ultimi *De consuetudine* (t. 4, l. 1 decret.),
» quando fuerit rationabilis et præscripta, quia nulla ratio
» exceptionis dari potest, cum hæc etiam sit lex humana,
» quantumvis prohibeat futuram consuetudinem; vel certe
» urgebit naturalis ratio, quando Princeps habuerit scien-
» tiam consuetudinis, et illa indicaverit tacitam voluntatem
» ejus; quia illa voluntas efficax est ad revocandam priorem
» legem, non obstante omni prohibitione in illa facta. Nam
» hæc ipsa prohibitio futuræ consuetudinis per solam volun-
» tatem Principis facta erat; et dum idem Princeps vel succes-
» sor ejus illam (nempe consuetudinem legi contrariam) videt
» et tolerat ac tacite consentit, priorem voluntatem mutat;
» ergo abrogat totam priorem legem. »

Postea ad argumenta prioris sententiæ sic respondet idem Suarez : « Ad *primum*, negatur antecedens. Nam aliud est
» consuetudinem esse irrationabilem, aliud esse prohibitam;
» potest enim prohiberi etiamsi irrationabilis non sit. Ad *se-*
» *cundum*, quod est difficilius, respondeo primum effectum
» illius prohibitionis esse ut talis consuetudo in dubio sem-
» per præsumatur irrationabilis, quando oppositum non con-
» stiterit... Alter effectus esse potest ut gubernatores et cus-
» todes legum magis invigilent et non permittant talem
» consuetudinem iterum introduci. Tertio verisimile est sub-
» ditos majori obligatione teneri ad abstinendum a tali con-
» suetudine propter voluntatem superioris specialiter de-
» claratam. Quarto et maxime potest deservire ut talis
» consuetudo vix aut nunquam possit derogare tali legi nisi
» post longum tempus et legitimam præscriptionem, quia
» antea vix potest præsumi de voluntate Principis etiamsi
» consuetudinem sciat... Ad *tertium*, negatur consequentia,
» quia in præscriptione privata et propria nunquam præsu-
» mitur mutata voluntas Principis... *Ad quartum*, negatur
» minor; nam, licet Princeps expresse prohibuerit futuram
» consuetudinem, potest illam voluntatem mutare; et præ-

» terea nunquam abstulit suam vim consuetudini præscriptæ
» rationabili. Ad *quintum*, vera est major, si Princeps persistat
» in eadem voluntate; potest autem illam mutare... Ad *sextum*,
» negari potest hanc prohibitionem æquipollere irrationi,
» quia sine illa potest habere alios effectus. » (*De Legibus*,
» l. 7, c. XIX, num. 19.)

Ergo generatim loquendo de legibus ecclesiasticis futuras consuetudines sibi contrarias irritantibus, dicendum est utramque sententiam esse probabilem et licite sustineri posse, cum gravissimi doctores inter se dissentiant. At vero ex ratione speciali videtur quoad Tridentina decreta non posse idem omnino dici. Ista autem quæstio utrum consuetudines Tridentinis legibus oppositæ valeant necne, maximi momenti est, et præsertim hodie quoad Galliam, ubi a nova ecclesiarum constitutione anni 1801, ad purum jus commune, id est, Tridentinum, factus est reditus, si excipiantur pauca quædam ab ipsis concordatis introducta. Hinc non miretur lector, si enodandæ tam gravi difficultati tantisper immoremur.

PUNCTUM II.

Quæstio Tridentinis decretis applicata, seu, utrum consuetudines post Tridentina decreta ortæ et ipsis contrariæ valere possint.

Quæstionem illam hoc ordine discutiemus : 1° adducemus maximæ auctoritatis doctores qui prædictas consuetudines pro nullis habendas esse tenent. 2° Inquiremus an sint canonistæ qui, loquentes in particulari de concilio Tridentino, contrarium teneant. 3° Investigabimus quænam sit praxis congregationum et tribunalium Romæ. 4° Quid tenendum videatur concludemus.

I. *Certissime nullas esse consuetudines Tridentinis decretis contrarias tradunt maximæ auctoritatis doctores.*— « Cautum

» satis fuit per Pium IV Pontificem in ea constitutione quæ
» incipit *Benedictus Deus*, et quæ in fine Concilii solet excu-
» di, et libro secundo Romani Bullarii continetur. Illa qui-
» dem abrogat omnia quæ Tridentinæ synodo contraria esse
» videantur; ideoque singula ejusdem Concilii capita simul
» amplectitur, et nullius efficit momenti consuetudines quæ
» leges aliquas in iisdem capitibus præscriptas violent. Id
» etiam confirmatur ex controversia a Pitonio viro clarissi-
» mo proposita, pro qua nos pariter haud exiguum laborem
» insumpsimus. Nam ille pro re diligenter examinanda tan-
» quam senior inter Curiæ Patronos a sacra Romana Rota
» delectus fuit; nobis quoque id negotium traditum, qui Ju-
» nioris locum inter Consistoriales advocatos tenebamus. »
(Benedictus XIV, Institutio 60, n. 7.)

Controversia celebris de qua ibi loquitur Benedictus XIV, et cujus tractandæ provincia duobus advocatis curiæ Romanæ, Pitonio scilicet et ipsi Lambertino (qui postea fuit Benedictus XIV) a sacra Rota demandata est, erat ista : utrum consuetudo contraria immemorabilis eximeret a lege Tridentina qua præscribitur concursus in provisione beneficiorum curatorum juris patronatus ecclesiastici. Illa vero quæstio particularis necessario ducebat ad hanc generaliorem : utrum irritari possint Tridentina decreta per contrarias consuetudines... De qua sic Pitonius (de controversiis Patronorum, t. 1, allegatio 5, pag. 30; edit Parmæ, 1719) :

« Enimvero convincitur fallacia argumenti in ipsa suppo-
» sitione immemorabilis, quæ tamen in hoc articulo neuti-
» quam dari aut allegari valet. Et distinguendo tempora, aut
» volumus desumere immemorabilem *a parte antea*, scili-
» cet antequam superveniret dispositio Concilii, et est impos-
» sibile; quia cum eo tempore nondum in orbe catholico
» introducta fuisset nova forma providendi per concursum,
» consequenter non percipio quomodo nasci potuerit consue-
» tudo seu præscriptio exclusiva formæ concursus antequam

» nasceretur... Nunquam enim immemorabilis allegari po-
» test quoad ea quæ superveniunt de novo... »

« Aut vero desumere volumus immemorabilem *a parte*
» *postea*, scilicet post ipsius Concilii decretum; et pariter est
» impossibile; quia dato initio, non amplius datur immemo-
» rabilis, sed solum centenaria. Ista autem nec magis alle-
» gari valet; quia decretum irritans quo munitur concilium
» Tridentinum, et Constitutio S. M. Pii Quarti, adeo irritat
» omnem contrarium actum, ut non permittat ullo tempore
» aliquam inchoari posse consuetudinem vel præscriptio-
» nem, etiam centenariam; prout communiter affirmant de
» Luca, Pignatelli..., Rota... »

Quantum inter canonistas emineat cardinalis de Luca notum est omnibus. Porro auctor ille nullitatem consuetudinum contra Tridentina decreta invectarum sic absque ulla hæsitatione pronuntiat : « Ob decretum irritans et clausulam *Sub-*
» *lata*, quæ continentur in Constitutione Pii IV, edita super
» confirmatione et publicatione Concilii, infecta remanet quæ-
» cumque contraria possessio... Dari non potest præscriptio
» vel consuetudo, quæ ita impeditur ne oriatur. » (*De jurisdictione*, discursus 95, n. 7 et 8.) Citat deinde in confirmationem plures Rotæ Romanæ decisiones.

Pro eadem sententia stant clarissimi canonistæ Fagnanus, Devoti et cardinalis Petra, necnon plures alii a quorum citatione brevitatis causa abstinemus.

Tanquam magni ponderis etiam haberi potest constans sententia secretariorum Congregationis Concilii. Porro si quis adeat varia loca collectionis decisionum hujus Congregationis, indicata in indice cujusque voluminis ad vocem *Consuetudo*, reperiet plura a secretariis proposita vota, nullitatem prædictarum consuetudinum tanquam certam affirmantia. Unum aut alterum tantum citabimus.

« Nulla vero post Tridentinum invehi consuetudo potuit,
» cum sanctæ memoriæ Pius IV notissima sua Constitutione,

» incipiente *Benedictus Deus*, quæ omnia simul ejusdem Sy-
» nodi capita complectitur, irritas ac inanes futuras declara-
» verit *consuetudines, quæ leges aliquas in iisdem capitibus*
» *contentas violent.* » (Relatio secretarii, in Tarentina causa, 25 februarii 1826, in Congregatione Concilii proposita, Thesaurus resolut., t. 86, p. 49.)

« Insuper ponderandum est nullam contra Tridentinum
» dari consuetudinem, ut docet clarissimus Devoti in Prole-
» gomenis ad jus can., cap. 16, § 6, t. 1, p. 326 » (In causa Bovinensi, 27 maii 1820, Thesaurus, t. 80, p. 163).

« Maxime cum agatur de consuetudine introducta post
» Tridentinum, cujus sanctiones confirmavit Pius IV in bulla
» *Benedictus Deus*, quæ decretum irritans et clausulam *Sub-*
» *lata* præ se fert; ex quibus impeditur ne legitima consue-
» tudo contra Tridentinas sanctiones adolescere potuerit,
» auctore Fagnano. » (Thesaurus resolut., t. 79, p. 212 — in causa Amerina, 10 septembris 1803.)

II. *Auctores sententiæ oppositæ.* — Fatendum est exstare doctores aliquos qui tractantes quæstionem etiam in particulari quoad decreta Tridentina, contrariam sententiam tenent; quod satis liquet ex sequentibus verbis Patris Jesuitæ Söll :

« Cum de hujus sacri concilii (*nempe Tridentini*) decretis
» frequenter admodum mentio incidat, liceat hic breviter
» examinare utrum contra ejusdem decreta præscribi possit...
» Videtur autem dicendum quod hæc decreta præscriptionem
» effugiant, quia continent omnia decreta sacri concilii Tri-
» dentini decretum irritans, ut testantur cardinalis de Luca
» (in annot. ad S. C. T. discursu 1, n° 16, et discursu 22,
» n° 7); Barbosa (in collect. sess. 1, n° 5); Gonzales (ad regu-
» las cancellariæ, gloss. 15, n° 37), et alii. Verum communis
» fere doctrina est, quæ docet cum Covarruvia (l. 3 var. c. 13,
» n. 4) quod legi vel canoni, non obstante clausula vel decreto
» irritante, contraria consuetudo introduci possit; cum de-

» cretum irritans solum abroget consuetudinem præexsi-
» stentem, vel futuram durantibus iisdem circumstantiis.
» Dein non desunt exempla queis ostenditur quædam S. Con-
» cilii Tridentini decreta fuisse limitata, restricta, vel omnino
» per contrarium usum abrogata. » (Söll, de Præscriptionibus, parte 2, capite 4, § 12, p. 359 et 360, edit. Dillingæ, 1722.)

Ex adductis citationibus concludendum videtur non posse ex sola doctorum auctoritate litem omnino dirimi; cum non reperiatur communis sententia, neque circa quæstionem generalem de legibus quibuslibet, contrarias sibi consuetudines in posterum orituras irritantibus, neque in particulari circa leges Tridentinas simili decreto irritante munitas. At superest aliud medium ad dirimendam difficultatem, praxis nempe Romanorum tribunalium, de qua nunc inquirendum.

III. *Expenditur congregationum Romanarum et tribunalium Romanæ Curiæ praxis.* — Si probari posset constantem et inviolabilem esse praxim in decidendis causis quæ Romam deferuntur, pro nullis habendi consuetudines contra Tridentina decreta invectas, certo certius constaret Principem, id est summum Pontificem, non consentire, etiam tacite, hujusmodi consuetudinibus. Princeps enim per sua tribunalia jus declarat; imo decisiones Congregationis Concilii nomine et auctoritate summi Pontificis redduntur. Si autem supponi nequeat consensus saltem tacitus Principis in consuetudinem legi contrariam, pro nulla habenda est consuetudo, ut fatentur omnes.

Factum autem istud, nempe constantem esse praxim et regulam in Romanis tribunalibus et congregationibus, pro nullis et irritis habere consuetudines decretis Tridentinis oppositas, ille solus affirmare legitime potest tanquam certum omnino et quoad omnia Tridentina decreta, qui per se vel idoneos alios testes, integras decisionum collectiones percur-

rendo, exploratum factum illud habere potuit. Cui ingenti explorationis labori fatemur nobis nondum vacare licuisse.

Nihilominus tamen quoad plura saltem Tridentina decreta compertum habere potuimus, et Rotæ tribunal, et sacram Concilii Congregationem nullas existimare consuetudines dictis decretis oppositas.

Et *Primo* ad Rotam quod attinet, satis erit duo loca citare ex collectione *Decisionum recentiorum*. Sic legitur in decisione 192, 1 septembris 1674, parte 18 : « Cessat quælibet ob-» servatio in contrarium tanquam dispositioni sacri concilii » de directo contraria et constitutioni sanctæ memoriæ Pii IV, » decreto irritanti et clausula *Sublata* munitæ, repugnans. » Rota ibidem remittit ad duas alias similes decisiones. Iterum sic habetur in decisione 317, 4 julii 1670, parte 16 : « Quin-» imo si hujusmodi solitum (nempe consuetudo conferendi » sine concursu parochiam de qua in casu) probaretur, adhuc » non obstaret contra formam inductam ab ipso sacro Con-» cilio et constitutione Pii IV, attento decreto irritanti ibidem » apposito, quod inficit quamcumque consuetudinem et ob-» servantiam contrariam. » Rota ibidem remittit ad tres alias similes decisiones. Porro septem illæ decisiones, quibus alias procul dubio addendas reperiret diligens totius collectionis explorator, testantur sufficienter praxim et stylum curiæ. Imo videtur tribunal istud generatim pro nullis habuisse consuetudines contra quodlibet Tridentinum decretum invectas. Ipsius enim verba generalem sensum exhibent.

Secundo, collectionem decisionum Congregationis Concilii si aperiamus, inveniemus in causa Tarentina 25 februarii 1826 actum fuisse de quibusdam consuetudinibus circa subsidium Episcopo diœcesim visitanti tribuendum. Ab immemorabili scilicet tribui solebat a singulis clericis, imo et a religiosis congregationibus, subsidium illud, contra decretum Tridentinum, juxta quod ad subsidium præstandum tenentur tantum qui beneficia possident. Præterea tribuebatur

subsidium pro expensis rhedarum, equorum, seu itineris, cum Tridentinum statuerit non deberi nisi pro victualibus moderatis. Hinc proposita inter alia sequentia dubia : 1° *An et quomodo Archiepiscopo visitanti debeatur procuratio* (1) *in casu; 4° an Archiepiscopo visitanti debeantur expensæ itineris equorum seu vecturarum in casu.* Et responsum est ad primum *affirmative ad formam concilii Tridentini, sive in victualibus sive in pecunia arbitrio visitandorum* (2) *: ad quartum negative.* Quæ decisio conformis fuit voto secretarii supra relato. Et notandum recursum factum fuisse non quia negaretur Archiepiscopo subsidium juxta veteres consuetudines, sed quia ipse Archiepiscopus timuit ne sibi illicita esset perceptio subsidii hujus, licet spontanee oblati, utpote Tridentinis decretis contrarii.

In causa Ilerdensi 7 maii 1785, actum est de duabus antiquissimis consuetudinibus in cathedrali Ilerdensi vigentibus : parochiani aliarum parochiarum civitatis satisfaciebant præcepto communionis paschalis in cathedrali ; et insuper, cathedralis parochus benedicebat omnibus matrimoniis incolarum cujuslibet parochiæ. Ilerdensis Episcopus contra posteriorem consuetudinem decretum tulit quo statuebat matrimonia a propriis parochis juxta Tridentinam legem benedici debere. Quoad priorem consuetudinem causam ad Congregationem Concilii detulit. Hinc dubia hæc fuere proposita : 1° *An standum sit decreto Episcopi... statuente quod matrimonia benedicantur a propriis parochis ; an vero consuetudini immemorabili de benedicendis matrimoniis a solo parocho cathedralis ; 2° an ut satisfiat præcepto sumendi Eucharistiam tempore paschali, satis sit illam sumere in cathedrali ; an vero necessarium sit illam sumere in propria uniuscujusque parochia, quacumque consuetudine non*

(1) Id est subsidium dictum.

(2) Ex Tridentino scilicet liberum est visitatis tribuere Episcopo vel victualia, vel æquivalentem pecuniæ summam.

obstante. Immemorabilem consuetudinem allegabant canonici cathedrales : sublatam et annullatam fuisse istam consuetudinem a concilio Tridentino reponebat Episcopus. Quod postquam exposuit sacræ Congregationis secretarius, addit : *Quibus stantibus ponderandum erit, num sicuti a Tridentina synodo consuetudines et privilegia sublata penitus fuerunt, eadem de præcedentibus ac de subsecutis consuetudinibus ratio habenda sit*. Citat postea decisionem anteriorem in simili causa, subjiciens : *Quibus illud consectaneum esse videtur ut qualescumque consuetudines, etiam Tridentino posteriores improbari debeant. Cæterum ne ullæ adversus Tridentinas sanctiones recipiantur consuetudines, illud jubet quod, licet ea decreto careant irritante et clausula sublata, ea tamen non desiderantur in Bulla Pii IV quæ Tridentinum confirmavit, ut sapienter advertit Benedictus XIV et Pitonius*. Porro ad duplex supra expositum dubium sic facta est a sacra Congregatione responsio : *Ad primum, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius* (1). *Ad secundum scribatur Episcopo ad mentem*. Mens autem illa Congregationis fuit (ut ex aliis documentis reperimus) ut Episcopus Ilerdensis moneret cathedrale capitulum, extra omnem formam judicialem, deserendam esse consuetudinem vi cujus poterant parochiani aliarum parœciarum communioni paschali in cathedrali satisfacere. (Thesaurus resol., t. 54, p. 62.)

In causa Eugubina, 11 martii 1729, (in *Thesauro resol.*, t. 4,. p. 273), disceptatum est de consuetudine, vi cujus parochus cathedralis sacramenta ministrabat clericis ægrotantibus in aliis parochiis civitatis degentibus. Hæc consuetudo confirmata etiam fuerat in synodo Eugubina anno 1632, sequenti episcopali decreto : *Illud etiam decretum firmandum*

(1) Ista vox *et amplius* in stylo Congregationis Concilii significat, non posse eamdem causam iterum introduci, ad effectum illam iterum tractandi ob nova proposita motiva.

et renovandum duximus, sæpius in synodis prædecessorum nostrorum evulgatum, nimirum ad solum ecclesiæ cathedralis parochum infirmis clericis, aliisque sacerdotibus sæcularibus ægrotantibus, et in quacumque parochia existentibus, omnium sacramentorum administrationem spectare et pertinere : quippe quod immemorabilis temporis consuetudine satis superque vallatum et firmatum esse comperimus..... Si quis vero quidquam in contrarium attentare præsumpserit, pœnis arbitratu nostro afficietur. Anno 1694 aliarum parochiarum rectores coram Eugubino Episcopo litem ad abolendam prædictam consuetudinem moverunt; sed Episcopus contra ipsos sententiam tulit. Ab illo judicio appellarunt parochi, et sic causa ad Congregationem Concilii delata est. Dubium autem sic propositum est : *An parocho cathedralis Eugubii licitum sit subministrare sacramenta quibuscumque clericis et sacerdotibus infirmis et in alienis parochiis commorantibus etiam privative ad proprium parochum domiciliarium?* A Congregatione ita decisum est : *Negative, et spectare privative ad parochos domiciliarios — et amplius.* Ubi videmus consuetudinem illam concilio Tridentino contrariam, pro nulla habitam fuisse a sacra Congregatione. Fatendum tamen non omnino liquere ex contextu, utrum Congregatio factum ipsum consuetudinis tanquam certum habuerit. Unde absolute objici posset huic exemplo, forsitan decisum fuisse contra dictam consuetudinem, quia de illa non satis constabat. Hoc tamen vix est probabile ob decretum synodale modo relatum et asserens consuetudinem certam esse et immemorabilem.

In causa Tergestina (de Trieste) quæ decisa fuit 23 novembris 1850, inter alia proponebatur illud dubium : 5° *An et quomodo teneatur Episcopus partem redituum capitularium cathedralis Tergestinæ assignare pro distributionibus quotidianis.* Ex longa scilicet Consuetudine canonici hujus cathedralis non observabant decretum Tridentinum quo præcipitur ut tertia pars redituum in commune reponatur, choro assis-

tentibus quotidie distribuenda. Porro Sacra Congregatio talem consuetudinem pro nulla habens ita decidit : *Ad quintum affirmative, et Episcopus procedat ad formam sacri concilii Tridentini, sess.* 22, *cap.* 3 *de Ref.* Relata habetur hæc causa cum decisione in publicatione periodica quæ Romæ imprimitur sub titulo *Correspondance romaine,* numeris 4 octobris 1850, et 4 decembris 1850.

IV. *Quid videatur tenendum et concludendum.* — 1° Tanquam certum asseri posse videtur, saltem quoad plura Tridentina decreta, contrarias consuetudines pro nullis constanter haberi a Romanis Congregationibus et tribunalibus. 2° Utrum hæc praxis tribunalium sanctæ Sedis constans sit quoad *omnia* Tridentina decreta, nobis nondum est plane perspectum. Citat quidem supra laudatus P. Söll quædam exempla consuetudinum quæ in Germania contra leges Tridentinas invaluere; sed exempla illa nihil probant : potest siquidem summus Pontifex ex silentio œconomico non reclamare contra consuetudines quæ alicubi introducuntur, licet ipsis minime consentiat. Probarent ista exempla si allegari simul posset aliqua decisio Congregationum Romanarum, hujusmodi consuetudinibus favens. Talem vero decisionem nec allegat P. Söll, nec nos adhuc reperire potuimus. 3° Consuetudines Tridentinis legibus oppositæ quæ non admittuntur a Romanis Congregationibus et tribunalibus, hoc ipso carent consensu tacito summi Pontificis, ac proinde nullæ sunt. 4° Ergo hoc ipso quod aliqua consuetudo contraria sit decretis Tridentinis, saltem dubium est, posito tantum consuetudinis facto, an habeat consensum tacitum summi Pontificis, in quo dubio possidet lex Tridentina contra consuetudinem. 5° Ergo in praxi nullum licet violare Tridentinum decretum ex solo (1) titulo contrariæ consuetudinis; sed recurrendum

(1) Dicimus *ex solo* titulo consuetudinis ; quia approbatio alicujus consuetudinis a sancta Sede, ex indultis et multis aliis modis constare potest.

est ad sanctam Sedem ut constet de consensu summi Pontificis.

Auctores vero qui putarunt valere posse consuetudinem contra Tridentinas leges, non videntur satis attendisse ad istam rationem e praxi tribunalium Romanorum deductam. Præscindendo enim ab illa praxi, et nos libenter concedimus vinci posse a consuetudine contraria legem omnem juris humani, etiam Tridentinam, licet irritanti decreto munitam. Posita vero prædicta praxi, idem dicere non audemus. Praxis enim illa æquivalet declarationi constanter (data occasione) repetitæ, qua summus ipse Pontifex moneret se velle Tridentinas leges inviolatas servari, et se minime consuetudinibus contrariis consentire.

§ III.

De abrogatione consuetudinis per contrariam consuetudinem.

I. Certum est consuetudinem per aliam contrariam tolli et abrogari posse. Consuetudo enim vim legis habens, sequitur rationem legis : porro lex posterior derogat priori, et pacta novissima prævalent anterioribus; ergo et consuetudo posterior priorem excludet. De quo generali principio nulla est controversia nec difficultas. At vero quando agitur de assignando requisito tempore ut posterior consuetudo priorem vincat, non ita res patet. Duplex distingui potest casus : vel enim consuetudo prior erat *præter jus* commune, vel *contra* idem jus. Quanto tempore in utroque casu per subsequentem contrariam consuetudinem destruatur prior consuetudo, inquiramus.

II. Si prior consuetudo est præter jus, sufficere videtur decennium ut per novam consuetudinem abrogetur. — Decennio enim opus fuit priori ad vim legis acquirendam, ut

supra vidimus : porro non videtur magis exigendum pro posteriori ut et ipsa vim acquirat. Nulla enim est ratio præsumendi principem velle potius satisfacere populo quoad priorem quam quoad posteriorem; ergo, si merito supponatur adfuisse consensum ipsius tacitum vel legalem post decennium quoad priorem, merito post idem tempus censebitur adesse quoad posteriorem.

III. Quando consuetudo prior erat contra jus, et posterior reducit nos ad jus commune, requirunt etiam multi auctores decennium, et dicunt tempus illud sufficere. (Vide Reiffenstuel, loco citato, § 8, n. 194 et seq.) Dicunt nempe consuetudinem novam per quam ad jus commune fit reditus, non esse contra jus, sed potius secundum jus; ac proinde ipsi applicandam regulam tradi solitam pro præscriptione consuetudinum præter jus; ex qua scilicet regula requiritur et sufficiens habetur decennium. Hæc tamen opinio nobis non videtur satis fundata. Cum enim vis consuetudinis cujuslibet fluat semper ex consensu Principis expresso, vel legitime præsumpto, quæstio reducitur ad hoc punctum unicum : quandonam Princeps censendus sit consentire consuetudini per quam reditur ad jus commune? Porro videtur Principem huic consuetudini consentire statim ac servatur a majore communitatis parte. Præsumendus enim est semper Princeps anteponere observantiam suæ legis; ergo si consensit priori consuetudini quæ tollebat legem, non censendus est consensisse nisi cum ista restrictione, *donec ita optabit populus, cui displicere nolo;* ergo statim ac populus anteponit legis observationem et deserit consuetudinem priorem legi contrariam, cessat hoc ipso consensus Principis consuetudini huic priori datus, et reviviscit ejus voluntas in favorem legis, et voluntas ista novam consuetudinem confirmat.

Præter cæteros canonistas, qui omnes quæstionem de consuetudine expendunt, vide etiam eximium opus doctoris Phillips (du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux

t. 1, p. 40 ad 86; et t. 2 et 3 passim). Quem librum dominus Crouzet presbyter, e germanico in gallicum idioma, non minus scite quam accurate transferendo et annotationibus locupletando, nostratibus obvium fecit.

PARS TERTIA.

DE JURIS CANONICI EVOLUTIONE HISTORICA.

In *prima* hujus tractatus parte diximus de natura juris canonici : in *secunda* vero causam ejus efficientem, seu fontes a quibus dimanat adivimus. Nunc autem qua accessionum, immutationum et vicissitudinum serie, a primo sui exordio ad nos usque per totum sæculorum tractum defluxerit, aliquantula saltem est lustratione historica disquirendum. In quem scopum necesse non erit per immensa monumentorum ecclesiasticorum strata vagari; sed unicum fere satis erit juris canonici collectionum (quæ aliæ aliis successere) tramitem et filum sedulo persequi. Qui scilicet codices ipsa sui penu et successione, certam ac sinceram sacri juris historiam ditissime recondunt et authentica voce edicunt. Nec disciplinæ ecclesiasticæ studiosos pigeat summariam saltem de hujusmodi collectionibus notionem sibi diligenter comparare ; ea enim si careant, dum multas postea atque gravissimas juris quæstiones adibunt, in summam offendent caliginem, qua, ne legitimarum discernant conclusionum veritatem, haud raro præpedientur.

Quibus autem nostra hæc de juris canonici evolutione synopsis historica jejuna nimis videretur, utpote quæ ex

scopo nobis proposito certis debuit limitibus coarctari, præter tam multa a Ballerinis fratribus aliisque eruditis hac de re scripta, indigitamus recens opus modo laudati doctoris Phillips, hoc insignitum titulo : *du Droit ecclésiastique considéré dans ses sources* (1 volumen, a D. Crouzet in gallicum sermonem translatum). Ibi amplam reperies de compilationibus, bullariis, glossisque historiam et crisim, in qua auctor non minus sagacitate in discutiendis rebus, quam eruditione in documentis coacervandis prælucet.

CAPUT I.

QUO JURE RECTA FUERIT ECCLESIA PROXIMIS POST APOSTOLOS TEMPORIBUS.

Duobus et forte etiam tribus prioribus sæculis, sola divina Scriptura, et regulis ab Apostolis apostolicisque viris veluti per manum traditis, administrata est Ecclesia. Singulas scilicet ecclesias ab Apostolis Apostolorumve discipulis fundatas, aliquas ab eisdem traditiones ac regulas accepisse, quibus eas regi et nascentes controversias componi oporteret, dubitandum non est. Clemens Romanus, sancti Petri discipulus et successor, *regulam* ab Apostolis traditam de successionibus Episcoporum, memorat in 1 sua ad Corinthios epistola, n° 44, (hanc epistolam quæ ut authentica agnoscitur, habes in collectione conciliorum Mansi, t. 1, p. 171). Ignatius post Petrum secundus Antiochensis Episcopus, singulas quasque digrediens civitates, Ecclesiæ populos hortabatur, *ut diligentius ac tenacius Apostolorum traditionibus inhærerent* (apud Fimiani, in jus can. t. 1, p. 8, edit. Neap. 1777). Proximis post Apostolos sæculis, controversiæ in Ecclesia ortæ, ex Apostolorum traditionibus dirimi a summo Pontifice et a conciliis

solebant. Sic in gravi contentione de die qua celebrandum erat Pascha, utraque pars traditionibus Apostolorum tantummodo nitebatur ad suam adstruendam sententiam. Qui cum Victore Papa stabant, traditiones Petri et Pauli : qui cum Polycrate, a Joanne et Philippo tradita allegabant (Eusebius, Hist. eccl., c. 23 et 24). Item, sæculo tertio, in controversia de baptismate hæreticorum iterando, ab utraque parte ad regulas Apostolorum provocatum est. Ad easdem provocare solebat Tertullianus (*Contra hæreses*, c. 4. — *De Præscript.*, c. 20, 21 et 36).

Hinc concludere licet Apostolicis traditionibus tanquam unico jure canonico Ecclesiam initio rectam atque gubernatam fuisse.

« Sed labentibus annis, cum multa quotidie inciderent » quæ regulis indigebant, oportuit evulgare canones; quod » factum ab Ecclesia est, non modo Constantino impera- » tore, cum, quiete et tranquillitate Ecclesiæ data, sua chris- » tianis libere permissa religio est, sed etiam cum ipsi » Ethnicorum jugo premerentur. Hinc aucto in dies cano- » num numero, visum est eos ex multis conciliis collectos » in unum corpus conferre; idque primum in orientali, » tum in occidentali Ecclesia factum est. » (Devoti, *Institutiones canonicæ*, Proleg. cap. 5, § 2).

CAPUT II.

DE STATU JURIS CANONICI IN ORIENTE AB INITIIS USQUE AD PHOTIUM.

Jam secundo et tertio sæculo conditi fuerant nonnulli canones a synodis particularibus in Asia, Syria, Palæstina, aliisque locis. Sed canones illi, utpote a synodis particularibus

editi, nec vim in omnibus Orientis ecclesiis habuere, nec in unum coaluerunt. Habita sunt postea concilia Ancyranum et Neocæsariense anno 314, et Nicænum œcumenicum anno 325, in quibus sunt etiam canones multi conditi. Adauctus horum numerus in subsecutis quarti et quinti sæculi synodis. Crescente in dies, apud orientales ecclesias, juris canonici mole, vix fieri poterat ut de colligendis et in ordinem redigendis illis canonibus multi non cogitarent. Non ergo mirum multas exstitisse in Oriente ab antiquissimis temporibus hujusmodi collectiones. De præcipuis quæ ante Photium editæ sunt, nunc ordine chronologico breviter disserendum.

§ I.

De canonibus et constitutionibus Apostolorum, sancto Clementi adscriptis.

Antiquissima, cujus mentio sit in ecclesiasticis monumentis, est collectio *Canonum Apostolorum*. Prodiit hæc collectio una cum *octo libris Constitutionum apostolicarum* sub nomine Clementis Romani Pontificis et Petri discipuli. Jam sat fuse supra, agendo de fontibus juris canonici (parte 2, sect. 1, cap. 3), tum de Canonibus, tum de Constitutionibus Apostolorum disseruimus : ubi ostendimus nec Apostolis, nec sancto Clementi, saltem prout exstant, adscribi posse; sed tamen ad tertium vel quartum sæculum collectionem illam esse referendam. Collectionem *Canonum Apostolorum* juxta græcos codices, qui 85 canones continent, habes apud Mansi (Concilia, t. 1, p. 29). Eamdem ex traductione Dionysii Exigui, quæ 50 tantum canones complectitur, invenies ibidem pagina 49. Item exstat in Corpore juris canonici, immediate ante libros Decretalium, continens 84 canones. Consti-

tutiones autem Apostolorum græce et latine exstant in tomo citato Conciliorum Mansi, pagina 258.

§ II.

De celebri et antiquissima collectione in concilio Chalcedonensi commemorata.

1° Certum est jam ante Chalcedonense concilium, id est, ante annum 451 in usu fuisse apud Orientales *Codicem* aliquem canonum, numeris distinctum, et sub eadem numerorum continuata serie canones præcedentium synodorum complectentem. Probatur ex actis ipsiusmet Chalcedonensis concilii. Sic enim legitur actione quarta : *Aetius, archidiaconus Constantinopolitanæ sanctæ et catholicæ Ecclesiæ dixit : regula est hæc cum aliis posita a sanctis Patribus...; et ex codice relegit hæc : de clericis et monachis qui semetipsos a communione suspendunt : si presbyter aut diaconus suum contemnens Episcopum, etc... Omnes reverendissimi Episcopi clamaverunt : hæc justa regula, hæc regula Patrum.* Ergo exstabat codex, et in isto codice exstabat *cum aliis* regula quæ lecta est coram concilio. Ista autem regula est canon 5 concilii Antiocheni. Præterea in actione de Carolo et Dorotheo sic habent eadem acta concilii Chalcedonensis : *Sancta synodus dixit : sacri Patrum canones legantur et commentariis inserantur. Sumptoque libro Aetius archidiaconus et primicerius magnæ ecclesiæ legit. Canon* 83 *: Si quis Episcopus, etc. Canon* 84 *: Si quis presbyter aut diaconus, etc.* Porro isti duo canones sunt quartus et quintus concilii Antiocheni (1); et tamen *in libro* ex quo lecti sunt exstabant sub numeris 83 et 84. Jam vero addendo simul 20 canones concilii Nicæni, et 25

(1) Nempe Antiocheni primi sub Julio Papa I.

concilii Ancyrani, et 14 concilii Neocæsariensis, et 20 concilii Gangrensis, et 3 priores Antiochenos, habentur præcise 82 canones : quibus si accedant suo loco duo lecti ab Actio, nempe quartus et quintus Antiochenus, veniunt præcise sub numeris 83 et 84. Unde patet codicem quo usa est Chalcedonensis synodus comprehendisse sub una generali numerorum serie canones prædictorum conciliorum. Idem eruitur ex actione undecima in qua sic habetur : *Stephanus reverendissimus Episcopus Ephesi dixit : Supplico, ut canones relegantur... Gloriosissimi judices dixerunt : relegantur hi canones. Leontius reverendissimus Episcopus Magnesiæ ex codice relegit : Regula* 95 *: Si quis Episcopus vacans, etc. Idem reverendissimus Leontius Episcopus ex eodem codice legit : Regula* 96 *: Si quis Episcopus ordinationem, etc.* Istæ duæ regulæ sunt canones Antiocheni 16 et 17; et tamen non lectæ sunt sub hoc nomine, sed cum sola designatione numerorum sub quibus jacebant in recepta tunc collectione. Ergo exstabat jam tunc collectio aliqua authentica et usu recepta.

2° *Quomodo ista collectio fuerit primum cœpta, et dein aucta et disposita.* — Ante Ballerinos fratres erat communis et vulgata opinio codicem in Chalcedonensi concilio adhibitum, eumdem fuisse, quem sæculo sexto in latinum transtulit Dionysius Exiguus, quique sub titulis seu numeris 165 continebat canones 20 conciliii Nicæni, 14 Neocæsariensis, 20 Gangrensis, 25 Antiocheni, 59 Laodiceni, et 3 Constantinopolitani. Sed Ballerini fratres (*De antiquis canonum collect.*, parte 1, c. 2, Operum S. Leonis, tomo III) eximia eruditione probant hoc minime esse certum. Duæ enim exstant græci codicis versiones antiquiores Dionysio Exiguo, *Prisca* nempe et *Isidoriana*. Porro ex illis versionibus et aliis quibusdam monumentis probant Ballerini defuisse olim in codice Græco, tum canones Laodicenos, tum Constantinopolitanos, tum etiam Antiochenos. Ex quo sic concludunt : *Dicendum erit Græcam collectionem ab initio solos canones Nicæ-*

nos, Ancyranos, Neocæsarienses atque Gangrenses prætulisse. Cur autem primo loco positi sint canones Nicæni, licet Ancyranis et Neocæsariensibus tempore posteriores, expresse notatum invenitur in præfatione quam Joannes Scholasticus suæ collectioni præmisit : *Qui quidem Nicænis canonibus tempore priores, propter auctoritatem vero, seu libertatem generalis synodi posteriores sunt* (apud Ballerinos, loco citato). Si canones Antiocheni, Laodiceni et Constantinopolitani nondum inserti fuerant, quando descriptus est codex quo usi sunt auctores versionum *Isidorianæ* et *Priscæ,* concludendum est eos postea fuisse additos.

Dein inserti sunt et canones Ephesinæ synodi, et tandem sancti Basilii regulæ. Statum autem et dispositionem codicis ecclesiastici Orientalium sub Justiniano imperatore dignoscere licet ex supra laudata præfatione Joannis Scholastici, qui patriarchalem sedem Constantinopolitanam occupare cœpit anno 564. Sic enim auctor ille summam exhibet eorum quæ suo tempore in canonum collectionibus reponi solebant : Ordo canonum. *Sancti Domini discipuli et Apostoli octoginta quinque canones Clementis opera ediderunt. Post hos vero qui deinceps consecuti sunt, prout infra subjectum est.*

Sanctorum 318 *Patrum Nicææ congregatorum, consulatu Paullini et Juliani clarissimorum, anno ab Alexandro* 606, *mensis Desii* 19, 13 *kalendas julii, canones* 20.

Beatorum Patrum Ancyræ congregatorum, canones 25. *Qui quidem Nicænis canonibus tempore priores, propter auctoritatem vero, seu libertatem generalis synodi, posteriores sunt.*

Sanctorum Patrum Neocæsareæ congregatorum, canones 14. *Ipsa etiam synodus Nicænâ quidem prior fuit, Ancyranâ vero posterior : honoris vero gratia Nicæna ipsis præposita est.*

Patrum Sardicæ Congregatorum post Nicænos Patres, canones 21.

Patrum Gangris congregatorum, a quibus expositi sunt canones 20.

Patrum Laodiceæ Phrygiæ congregatorum, a quibus expositi sunt canones 59.

Patrum Constantinopoli congregatorum, a quibus expositi sunt canones 6.

Patrum Ephesi congregatorum, a quibus expositi sunt canones 7.

Patrum Chalcedone congregatorum, a quibus expositi sunt canones 27.

Exstante etiam sancti Basilii canones numero 68 (apud Ballerinos loco citato). Quoad canones sancti Basilii testatur Joannes Scholasticus se primum esse qui eos collectioni inseruerit. Ergo cætera quæ describit, jam exstabant tunc in codice Græcorum.

3° De auctore primævæ collectionis Græcorum, qua usa est Chalcedonensis synodus, nihil habetur certum. Vide Devoti (Inst. juris can. proleg. c. 5, § 54), et Fimiani (in jus can. t. I, p. 67, edit. Neapol. 1777).

§ III.

De collectione canonum Joannis scholastici, et de ipsius nomocanone.

I. Fuit Joannes ex ordine advocatorum, qui tunc temporis vocabantur σχολαστικοί; unde et cognomen scholastici traxisse dicitur. Fuit et presbyter Antiochenus; et tandem anno 564, sub Justiniano imperatore, ad sedem Constantinopolitanam evectus est, quam usque ad annum 578 tenuit. Illum esse revera autorem tum *Collectionis canonum in quinquaginta titulos*, tum *Nomocanonis*, probarunt eruditi, contra opinionem Petri de Marca, qui (*Concord.* III, 3, n. 8) putavit *Collec-*

tionem canonum Joanni attributam, exscriptam fuisse a Theodoreto Cyræ Episcopo, anno circiter 420, et ei tantum quædam a Joanne Scholastico addita fuisse. (Vide Fimiani, loco supra citato, p. 75.)

II. Quem ordinem in sua *canonum collectione* secutus sit Joannes Scholasticus, et in quo a collectionibus ante ipsum exsistentibus recesserit, ipse palam facit in præfatione his verbis : « Quoniam igitur olim pro temporibus a diversis... » leges et canones Ecclesiæ editi sunt (decem enim post Apo- » stolos magnæ Patrum celebratæ fuerunt synodi; præterea » etiam Basilius Magnus de multis rebus canones compo- » suit), idcirco non mirum si sparsim ab ipsis, prout res quæ » quibusque temporibus oriebantur exigerent, et non ordine » quodam rerum velut in capita distributarum canones scripti » sint : adeo ut propterea difficile admodum inventu et con- » quisitu sit id quod a nonnullis confestim de canone requi- » ritur. Propterea cum, gratia Domini et Dei et Servatoris » nostri Jesu Christi, ea quæ passim ab ipsis definita sunt » pro temporibus, in unum colligere magno studio enixi fue- » rimus, eaque in titulos quinquaginta distribuerimus, non » ordinem quemdam et seriem numerorum servavimus, pri- » mum ut ita dicam et secundum et tertium et quartum et » quintum deinceps canones conjungentes; sed similia simi- » libus, quantum fieri potuit, copulantes, et par pari capiti » connectentes, facilem simul et laboris expertem omnibus, » ut opinor, eorum quæ conquiruntur inventionem reddi- » dimus. Non ipsi soli et primi inter cæteros illud aggressi » sumus; sed invenimus cæteros ista divisisse in sexaginta » titulos. Præterea Basilii canones cæteri non conjunxerunt; » neque similia cum similibus, ut oportebat, velut sub titu- » lis posuerunt... Ipse autem ordo synodorum quæ post » Apostolos celebratæ sunt, et quot unaquæque canones edi- » dit, quot vero Basilius admirandus conscripsit, ex iis quæ » subjiciuntur nullo negotio quærentibus innotescet. » Sequi-

tur synopsis quam retulimus in præcedenti paragrapho. (Bibliotheca juris canonici veteris, a Voello et Henrico Justello edita Parisiis, anno 1661, t. II, pag. 500.)

Ex hoc Joannis Scholastici testimonio hæc sequi videntur : *Primo,* ante ipsum nullus collectionibus canonum inseruerat sancti Basilii canones; hoc enim ipse expresse declarat. *Secundo,* canones Sardicenses et canones Apostolorum non fuerunt ab ipso primum inserti, sed jam in codicibus receptis exstabant; declarat enim cætera se ab antiquioribus codicibus in novum tantum ordinem congessisse; ergo errat Christophorus Justellus qui primam insertionem canonum Sardicensium Joanni Scholastico tribuit; et pariter errat quidam Fimiani qui affirmat tum canones Apostolorum, tum canones Sardicenses ab eodem Joanne Scholastico primum codici fuisse insertos (Fimiani, jus can., t. I, p. 76, edit. Neap. 1777). *Tertio,* certum est Joannem Scholasticum non secutum fuisse methodum chronologicam, sed ordinem materiarum quas in 50 titulos distribuit; sed expresse declarat alios idem ante ipsum fecisse; unde iterum errant qui methodum juxta materiarum naturalem ordinem ab ipso initium sumpsisse existimant. Cæterum invaluit post ipsum methodus illa canones juxta materiarum ordinem colligendi, atque hæc tanti momenti jurisprudentiæ canonicæ evolutio , bene potest illi potissimum viro et qua vixit ætati tribui. Hæc de priori ipsius collectione.

III. Alteram edidit, in qua congessit non tantum canones, sed imperatorum leges, ex Justiniani Codice et Novellis depromptas, quæ ideo *Nomocanon* dicta est. Illam pariter divisit in 50 titulos. In præfatiuncula autem huic operi præmissa sic scopum suum exponit : « Ea quæ conjuncta sunt cum sa-
» cris canonibus sanctorum Apostolorum, et sanctum Patrum
» qui in singulis synodis Apostolorum vestigia sunt secuti, e
» divinis constitutionibus, in codice quem promulgavit Jus-
» tinianus dispersis, transcripsi. Quæ quidem constitutiones

» non solum orthodoxorum Patrum nostrorum canonibus » consentaneæ sunt, sed etiam illam, quam regia potestas » tribuit, auctoritatem accipiunt : ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ τῆς Βασιλικῆς » ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται. » (Bibliotheca juris can. vet. t. II, p. 604, Parisiis 1661.)

An primus fuerit Joannes Scholasticus in edenda compilatione leges ecclesiasticas et civiles complectente, non certo nobis liquet. Sed certum est post ipsum multos hujusmodi *Nomocanones* in Oriente compositos fuisse, inter quos eminet Nomocanon Photii, de quo infra.

Novas additiones accepit Græcorum codex ex synodo Trullana seu Quinisexta. Sed ex canonibus in isto concilio, seu potius conciliabulo confectis, eos tantum probavit Romana Ecclesia qui superioribus synodis probatisque moribus non adversarentur, ut apud Græcos declaravit Leonis IX legatus Humbertus, Sylvæ Candidæ Episcopus.

CAPUT III.

DE STATU JURIS CANONICI IN ORIENTE A PHOTIO USQUE AD RECENTIORA TEMPORA.

Anno 858, sedem Constantinopolitanam, expulso Ignatio patriarcha legitimo, invasit sui ævi doctissimus æque ac audacissimus Photius. Habita Constantinopoli ad restituendum Ignatium synodus œcumenica octava, quæ Photium deposuit. At mortuo Ignatio, iterum sedem invasit pseudopastor, cui prævalere datum est ad scindendum Orientem ab unitate catholica, et ad firmandum lamentabile illud schisma, quo tot periere olim sanctitate fulgentes ecclesiæ, quodque etiamnum excæcata tenacitate perseverat.

Quæ fuerint ex tunc in Oriente juris canonici vices paucis exponemus.

I. *De Nomocanone Photii.* — Rem totam distribuit in 14 titulos, qui et ipsi in capita dividuntur. Initio cujuslibet capitis exponit Photius de qua materia in illo capite agatur. Sic, verbi gratia, exponitur argumentum capitis 3 tituli primi : *Ut consuetudo ecclesiastica non scripta servetur ut lex, et quod necesse non sit servare leges mosaicas.* Postea subjungit non canones ipsos qui ad hanc materiam referuntur, sed eorum indicationem tantum. Dein eamdem materiam ex jure civili expendens, iterum illam primo exponit, et postea legum civilium indicationem subjungit. Canonum qui dicuntur Apostolorum auctoritatem agnoscit et illis utitur. Illud etiam advertendum, ipsum multorum Patrum scripta pro canonibus agnoscere et proferre. In capite 5 tituli primi, totum sui schismatis virus sic paucis eructat : quod *omnium ecclesiarum caput sit Constantinopolis :* καὶ ὅτι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν κεφαλή ἐστιν ἡ Κωνσταντινούπολις; ad quod stabiliendum fallaciter citat quasdam Justinianei codicis leges.

Huic Photii collectioni jam schismate obcæcatus Oriens summo plausu adhæsit; ita etiam ut προκανών dicta sit. Illam commentariis illustravit Zonaras anno 1020; cui et scholia adjecit Arsenius anno 1140. Anno vero 1170 Photianum Nomocanonem iterum accuratius commentatus est et suo ævo, ea quæ obsoleverant adnotando, accommodavit Balsamon, ex jussu imperatoris Emmanuelis Comneni. Hunc Photii Nomocanonem cum Balsamonis commentariis habes in supra citata *Bibliotheca juris canonici veteris,* tomo secundo.

II. *Synopsis canonum Michaelis Pselli.* — Anno 1071 Psellus collectionem conscripsit cui titulus σύνοψις κανόνων. Illam in duas partes distribuit. Prior *de dogmate* περὶ δόγματος inscribitur, et continet quamdam theologiæ Summam de Deo, trinitate personarum, et incarnatione; ei etiam annectitur brevis septem generalium conciliorum historia. Pars poste-

rior continet canones decem conciliorum prout in veteri collectione græca, 68 canones sancti Basilii, canones Patrum quos commendavit Trullana synodus, et 85 canones Apostolorum. Hanc Pselli collectionem edidit Franciscus Bosquetus (Parisiis, 1632).

III. *Synopsis canonum Alexii Aristini.* — Anno 1130 edita est jussu imperatoris Comneni, estque breviarium quoddam veteris codicis Ecclesiæ græcæ. Compendio exhibet canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, Ephesinos, et Chalcedonenses. Adduntur postea canones Apostolorum, Sardicenses, Africani 22, Trullani, tresque epistolæ canonicæ S. Basilii. Exstat hæc Aristini collectio in *Bibliotheca juris canonici veteris* ab Henrico Justello edita, t. II, p. 673.

IV. *Collectio ecclesiasticarum constitutionum.* — Auctorem habet Balsamonem, qui illam conscripsit circa annum 1191. Continet autem non canones conciliorum, sed tantum constitutiones Romanorum imperatorum de rebus ecclesiasticis : excerpsit nempe Balsamon et in unum collegit ea quæ in codice, Digestis et Novellis Justiniani de rebus ecclesiasticis tractant. Exstat in supra citata *Bibliotheca juris canonici*, t. II, p. 1223.

V. *Synopsis divinorum canonum.* — Eam scripsit anno circiter 1255 Arsenius, qui primum monachus, postea patriarcha Constantinopolitanus factus est. Juxta ordinem materiarum exhibet tum conciliorum canones, tum epistolas græcorum Patrum a Trullana synodo commendatas, tum constitutiones imperiales de rebus ecclesiasticis. Exstat pariter in *Bibliotheca juris canonici H. Justelli* (t. II, p. 749).

VI. *Epitome canonum.* — Auctore Simeone magistro et logotheta. Hunc Simeonem putat Fabricius (*Biblioth. græca*, l. v, c. v, t. VI; et l. v, c. XLIII, t. X) eumdem esse ac Simeonem Metaphrasten, qui Sanctorum vitas græce scripsit. Floruit autem Metaphrastes in prima parte sæculi 14; editum habe-

tur ista *Canonum epitome* in *Bibliotheca juris can. veteris*, t. II, p. 710.

VII. *Syntagma alphabeticum rerum omnium quæ in sacris divinisque canonibus comprehenduntur*, auctore Matthæo Blastari Monacho. Non tantum continet cum canonibus leges Justiniani, sed etiam aliorum imperatorum recentiorum. Scripsit autem Blastaris circa annum 1335.

VIII. *Epitome divinorum et sanctorum canonum*, auctore Constantino Harmenopulo, qui obiit circa annum 1380. — Divisit in sectiones 6, quarum unaquæque in titulos distinguitur. 1ª Sectio agit de Episcopis; 2ª de presbyteris, diaconis et hypodiaconis; 3ª de iis quæ laicis et clericis communia sunt; 4ª de monachis et monasteriis; 5ª de laicis; 6ª de mulieribus. Illam epitomen edidit Marquardus Freherus (Jus græco-romanum, l. 1).

IX. Sunt aliæ quædam recentioris Græciæ collectiones, ex quibus *Nomocanonem* aliquem edidit Cotelerius (Monumenta Eccl. græcæ. I, 1), et Summam aliquam responsorum episcopalium edidit Leunclavius (Jus græco-rom., l. 3, 4, 5 et 6). Facti sunt etiam apud Græcos plures libri pœnitentiales in quibus continentur canones ad Pœnitentiæ sacramentum pertinentes. Inter hos pœnitentiales libros eminet Pœnitentiale Joannis Cappadocis Patriarchæ Constantinopolitani, quod evulgavit Morinus ad calcem operis sui de Pœnitentia.

Hæc de collectionibus orientalibus prælibasse sufficiat. Nunc ad Occidentem et Romanam præsertim Ecclesiam gradum faciamus.

CAPUT IV.

PRIMUS ET SOLUS CODEX AUCTORITATEM PUBLICAM HABENS APUD LATINOS USQUE AD SÆCULUM VI FUIT COLLECTIO CANONUM NICÆNORUM ET SARDICENSIUM.

Initio occidentales sicut et orientales ecclesiæ solis apostolicis traditionibus et Scriptura sacra pro jure ecclesiastico usæ sunt.

At celebrata anno 325 prima omnium œcumenicarum Nicæna synodo, et paulo post Sardicensi, earum canones studiosissime exceperunt occidentales ecclesiæ, et præsertim Romana. Quadruplex autem quæstio hic tractanda exsurgit. 1° Num ante sæculum sextum alia præter Nicænorum canonum collectio auctoritatem in Ecclesia Romana et in toto Occidente habuerit. 2° Num collectio hæc canonum Nicænorum comprehenderit etiam sub eodem nomine canones Sardicenses. 3° Num constitutiones pontificiæ in authenticam collectionem fuerint congestæ, et inde auctoritatem canonum habuerint. 4° Num versiones latinæ codicis græci, Dionysio Exiguo anteriores, habuerint in Occidente auctoritatem publicam.

§ I.

Collectio Nicænorum canonum sola in Occidente auctoritatem habuit usque ad sæculum VI.

Innocentius I, qui ab anno 402 usque ad annum 416 Ecclesiæ præfuit, sic expresse testatur in sua ad clerum et populum Constantinopolitanum epistola : *Porro quod ad canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse decernimus qui Ni-*

cææ decreti sunt, quos solos sequi catholica Ecclesia debet, et agnoscere (Sozomenes, Hist. eccl., l. 8, c. 26. Et apud Coustant, Epist. Rom. Pont. fol. 799). Idem Pontifex in epistola ad Theophilum Alexandrinum loquendo de canonibus Nicænis sic affirmat : *alium enim canonem Romana non admittit Ecclesia* (Coustant, col. 790.) Ergo tempore Innocentii I solus receptus codex a Romana Ecclesia, erat codex canonum Nicænorum, quos *solos sequi debebat catholica Ecclesia.*

Probant Ballerini fratres, 1° hæc verba Innocentii I non debere extendi ad canones synodorum Ancyranæ et Neocæsariensis quæ Nicænam præcesserant, quasi a Patribus Nicænis confirmati fuissent et sic aliquomodo Nicæni ab Innocentio vocari potuerint; 2° Anthiochenos canones non fuisse olim ab Ecclesia Romana receptos; 3° ex Constantinopolitano concilio a Latinis non receptos fuisse canones, sed tantum symbolum, etho c symbolum receptum fuisse tantum post Concilium Chalcedonense; 4° tandem græcarum synodorum canones a Latinis non cœpisse allegari, nisi sexto sæculo (*De antiquis collect. juris can.*, Pars 2, c. 1, § 2).

Objicitur 1°. — Synodus sexta sub Symmacho Papa, in qua Pontifex ille sic loquens inducitur : *Unde et in canonibus in Gangrensi Ecclesia apostolica auctoritate conditis... scriptum habetur.* Respondetur, illo quidem textu incertam evasuram præsentem thesim, si authenticus esset; at omnino est supposititius. « Mirum vero maxime accidit (aiunt Ballerini), doc- » tissimos homines non detexisse eam sextam synodum sub » Symmacho supposititiam esse, et ab Isidoro Mercatore nono » sæculo confictam; ex qua propterea nihil in rem præsen- » tem auctoritatis elici potest » (loco citato, n. 10).

Objicitur 2°. — Vetus Græcorum codex (de quo supra, § 2) multo ante sæculum sextum fuerat in latinam linguam translatus, ut testantur duæ translationes quæ *Prisca* et *Isidoriana* dici solent. Ergo jam ante sæculum sextum in usu erant apud Latinos canones multi præter Nicænos. — Res-

pondetur translatum quidem veterem codicem Græcorum et Latinis fuisse cognitum; sed negatur eum auctoritatem publice recepti codicis habuisse. Patebit ex dicendis infra, § 4, ubi de Prisca et Isidoriana versionibus.

§ II.

Num ea quæ dicebatur Nicænorum canonum collectio comprehenderit etiam sub eadem denominatione canones concilii Sardicensis.

« Sardicenses canones qui in Latinorum usum latine editi, » a Latina ac præsertim Romana Ecclesia recepti fuerunt, » Nicænorum nomine olim fuisse comprehensos multa tes- » timonia convincunt » (Ballerini fratres, loco citato § 3). Septem citantur hujusmodi testimonia a Ballerinis. E quibus hæc duo tantum depromimus : 1° In commonitorio quod legatis suis ad Africam deputatis tradidit Zozimus Papa, sic legebatur : *Verba canonum in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt fratres in Concilio Nicæno, cum de Episcoporum appellatione decernerent : placuit autem ut si Episcopus*, etc... *De appellatione autem clericorum, id est, minoris loci, est ipsius synodi certa responsio ; de qua re, quid acturi sitis credidimus inserendum, quod taliter dictum est : Osius Episcopus dixit : quod me adhuc movet*, etc. Porro canon *Placuit autem ut si quis Episcopus* non est Nicænæ synodi, sed est canon 7 Sardicensis. Item canon *Osius Episcopus dixit*, minime est Nicænus, sed Sardicensis 17. Ergo Zozimus Papa sub eadem communi denominatione canonum Nicænorum comprehendebat et Sardicenses canones. 2° « In- » nocentius I in epistola 3 ad synodum Toletanam, n° 9, » *regulas Nicænas* in ordinationibus servandas recensens, ea » decreta subnectit, quæ partim in Nicænis, partim in Sardi- » censibus canonibus reperiuntur. » (Ballerini, loco citato, n° 12.)

Idem probant fratres Ballerini ex pervetustis pluribus et diversarum regionum codicibus, in quibus sub unico titulo canonum Nicænorum describuntur tum Nicæna tum Sardicensia decreta. Citant autem hujusmodi pervetusta monumenta quatuordecim; minus vero antiqua, multo plura. Unde sic concludunt :

« Hæc tam diversa diversarum collectionum regionumque » exemplaria, Sardicensium canonum unionem cum Nicænis » apud Latinos et antiquam et longe lateque pervulgatam » probant; ita ut solius Romanæ Ecclesiæ propria non fuerit.. » Quid quod aliquos etiam græcos codices apud ipsam Orien- » talem Ecclesiam extitisse, qui Sardicenses pari modo tan- » quam Nicænos præferrent? »

Hinc plene a Ballerinis vindicantur Romani Pontifices, quos fraudis accusare non erubuerunt centuriatores et protestantes alii, eo quod Sardicenses canones pro Nicænis allegaverint. Quæ accusatio non fraudem in Romanis Pontificibus, sed plane ignorantiam aut malam fidem in illis hæreticis prodit.

Cur autem ita invaluerit hæc duarum synodorum unio, et sub unica prioris denominatione allegatio, hac satis probabili conjectura explicant eruditi, quod forte Sardicenses canones ab iisdem fere Patribus fuerint conditi, duce Osio, qui Nicænos constituerant; unde tanquam appendix quædam Nicænis adjecti, quasi unum quid cum iisdem conflare existimati sint. Ita Bellarminus (*de Rom. Pont.*, l. 2, c. 25); Baronius (ad annum 347); Petrus de Marca (*Concord.*, l. 7, c. 16, n. 1), et ipsi Ballerini (loco citato).

§ III.

Num Romanorum Pontificum decretales epistolæ in unum codicem una cum canonibus Nicænis et Sardicensibus relatæ et editæ fuerint, et an id necessarium fuerit ut istæ decretales vim legis universalis obtinere potuerint.

Affirmat Quesnellus (in editione Operum S. Leonis diss. 12, c. 2), et opinionem suam probare conatur his sancti Leonis verbis : *Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinationibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* (Epist. 4, ad Episcopos Campaniæ, Piceni et Tusciæ.) Ex hoc textu sic arguit Quesnellus : *Cum hæc scribebat Leo, convertebat mentis oculum in ea Innocentii decreta quæ habentur in Epistola ad Victricium Rothomagensem, et alteram ad Macedones Episcopos... At quomodo ejusmodi decretalia constituta in remotiores Galliarum partes et in Macedoniam missa, Italis ita nota esse potuerunt, ut iis promulgata dicerentur, iisdemque tenerentur obsequi, nisi publico et recepto Codici insererentur?*

Sed argumentationem hanc Quesnelli nullius prorsus esse roboris sic adstruunt fratres Ballerini : « Satis *promulgata* » dici potuerunt *omnia* Innocentii et prædecessorum decre- » talia, eo quod, ad alicujus licet provinciarum Episco- » pos primum directa, subinde tamen aliis atque aliis Epi- » scopis communicata, ac toto orbe dispersa fuere. Cum » nimirum Pontifices ad quempiam Episcoporum decreta » mittebant quæ omnibus usui esse vellent, solebant præci- » pere ut eadem aliis atque aliis per litteras communicaren-

» tur. Hinc Siricius cum regularum librum direxit ad Hime-
» rium Tarraconensem, eidem mandavit ut non solum ad
» Episcopos suæ provinciæ, *sed etiam* inquit, *ad universos*
» *Carthaginenses et Bœticos, Lusitanos atque Gallicios, vel*
» *etiam qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc*
» *quæ a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litte-*
» *rarum tuarum prosecutione mittantur*. Similiter Zozimus in
» epistola ad Hesychium Salonitanum : *ne quid meritis,* inquit
» *dilectionis tuæ derogaremus, ad te potissimum scripta direxi-*
» *mus, quæ in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum*
» *facies ire notitiam, non tantum eorum qui in ea provincia*
» *sunt, sed etiam qui vicinis dilectionis tuæ provinciis adjungun-*
» *tur*. Plura sunt Leonis testimonia, quibus similia præscri-
» bit. Inter cætera, epistola 159 ad Nicetam Aquileiensem,
» cap. 7 : *Hanc epistolam nostram,* ait, *quam ad consultatio-*
» *nem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et compro-*
» *vinciales tuos Episcopos facies pervenire, ut in omnium ob-*
» *servantia data prosit auctoritas.* Hac ratione de plerisque
» decretalibus Apostolicæ Sedis epistolis factum fuisse credi-
» mus, quod de Siricii litteris tradit Innocentius in epistola
» ad Exuperium Tolosanum Episcopum, n° 4 : *Forma illa ec-*
» *clesiasticæ vitæ pariter et disciplinæ ab Episcopo Siricio*
» *per provincias commeavit...* Nonne hæc promulgatio per
» provincias sufficit ? Nihil ergo cogitandum est de collectione
» quæ præter Nicænos ac Sardicenses canones simul copula-
» tos, omnes etiam pontificias constitutiones contineret,
» auctoritateque Romanæ Sedis edita, easdem constitutiones
» promulgaret. Has quidem Romani Pontifices cum aliquando
» allegarunt, non e codice aliquo publico, cujus nulla oc-
» currit uspiam mentio, sed ex Apostolicis scriniis eduxe-
» re, vel ad eorumdem scriniorum fidem provocarunt, uti
» P. Coustantius late probat (in præfatione ad t. I, epistola-
» rum Romanorum Pontificum, n. 44). Stet igitur nullum
» codicem decretalium olim a Romana Ecclesia evulgatum

» fuisse, nec eo fuisse opus ut eædem promulgarentur, et » apud ecclesias auctoritatem obtinerent. » (Ballerini, loco cit., § 4.)

§ IV.

Quales fuerint duæ versiones latinæ veteris codicis græci, Dionysio Exiguo anteriores, et num auctoritatem habuerint in ecclesiis occidentalibus.

« De antiquis interpretationibus latinis canonum omnium » synodorum quæ in græcis codicibus continebantur dic- » turi, illud præmonendum putamus has privato studio et » usui fuisse lucubratas. Nullæ ex eis ante sextum sæculum » ab aliqua latina ecclesia receptæ. » (Ita Ballerini, citato loco, c. 2, § 2.)

« Versiones antiquæ totius græci codicis canonum sunt » tres, Isidoriana, Prisca et Dionysiana. De duabus priori- » bus, quæ ante sæculum VI exaratæ fuerunt, nunc dicen- » dum est... Incipiamus ab Isidoriana, quæ Prisca antiquior » videtur. Vulgata fuit ex collectione Isidori, a quo nomen » accepit : Isidorus autem ex antiquiori collectione hispanica » ipsam transcripsit... Latine redditos exhibet canones Ni- » cænos, Ancyritanos, Neocæsarienses, Gangrenses,... lati- » num originale Sardicensium,... Antiochenos, Laodicenos, » Constantinopolitanos, et Chalcedonenses. » (Ballerini, ibid.)

Ita habent codices ante Ballerinos cogniti; sed Ballerini codicem alium detexerunt versionis Isidorianæ, quem multo antiquiorem cæteris existimant, et quem *puram versionem Isidorianam* vocant. Est autem notatu dignum inter alia in hoc codice, Sardicenses canones cum Nicænis conjungi, et synodorum omnium canones poni sine titulis et numeris; quæ remotioris antiquitatis indicia sunt.

Concilium Epaonense, anno 517 celebratum, allegavit ca-

nones Ancyranæ synodi : nam canone 31, agens de pœnitentia homicidarum, jubet observari *quod Ancyritani canones decreverunt*. Hoc autem monumentum est primum in quo inveniantur allegati a concilio gallicano alii græci canones præter Nicænos. Porro in hac allegatione constat concilium Epaonense usum fuisse versione Isidoriana; huic quippe versioni propria est hæc denominatio canonum *Ancyritanorum;* eosdem siquidem canones versio *prisca* vocat *Ancyrenses,* et Dionysiana *Ancyranos.* Textum versionis Isidorianæ ediderunt cum notis fratres Ballerini, in tomo III Operum sancti Leonis.

De versione quæ *Prisca* dicitur sic disserunt Ballerini : « *Prisca* Græcorum canonum interpretatio latina ea solet » appellari, quæ in venerandæ antiquitatis manuscripto co- » dice, litteris majusculis et quadratis scripto, apud Christo- » phorum Justellum olim custodita, ac typis parata, ab Hen- » rico ejus filio et Guillelmo Voello tomo primo *Bibliothecæ* » *juris canonici veteris* inserta, Lutetiæ Parisiorum prodiit » anno 1671. » (De antiquis collect., parte 2, c. 2, § 3.)

In hoc autem edendo magni momenti codice, insigni fraude usi sunt Christophorus Justellus et filius ejus Henricus, ambo calvinistæ, ut faverent suæ hæresi et in catholici dogmatis detrimentum. Nam in codice statim post Nicænos canones subjiciebantur Sardicenses. Cum autem canones Sardicenses potestatem Romani Pontificis diserte asserant, Christophorus Justellus folia quæ eos continebant cultro resecuit, et ad calcem codicis, quasi recentioribus temporibus adjecta, reposuit. Hoc tamen rescivit Petrus de Marca, fatente ipsomet Christophoro Justello se impetu potius ardentioris juventutis quam ratione id fecisse. Mortuo Christophoro Justello, ad edendum codicem illum se accinxit filius ejus Henricus Justellus, auxiliante Voello doctore Parisiensi. De quo certior factus Petrus de Marca timuit ne codex ederetur suppressis Sardicensibus canonibus; et hanc revera

suppressionem decreverant Henricus Justellus et Voellus. Questus est Petrus de Marca, recursum habuit ad potestatem regiam, facta codicis verificatio, comperta fraus, *frendentibus Henrico Justello et Voello*, ut narrat Baluzius, qui disputationi interfuit. Coacti ergo editores, canones Sardicenses ediderunt, non tamen sine fraudulenta præfatiuncula. Jam simili fraude, id est, canonum Sardicensium suppressione, usus erat Christophorus Justellus in alio a se edito codice manuscripto, ut constat ex epistola Petri de Marca ad Alexandrum Papam VII : *Justellus pater, calvinianæ quoque hæreseos sectator, codicem canonum Ecclesiæ universæ olim publicaverat, omissis de industria Sardicensis concilii canonibus Romani Pontificis potestatem diserte asserentibus, ac si judicio Ecclesiæ universæ a corpore canonum rescissi essent.* Hanc de fraude Justelli historiam expositam et documentis probatam habes apud Ballerinos (De antiquis collect. canonum, pars 2, c. 2, § 3 ; — in tertio tomo Operum sancti Leonis, ab iisdem Ballerinis editorum).

Fuse iidem auctores tractant tum de vetustis collectionibus canonum Africanorum, qui tantæ celebritatis exstiterunt ut etiam in collectiones græcas translati migraverint, tum de quibusdam collectionibus gallicanis et aliis pluribus.

His autem omnibus exploratis, firmam existimant Ballerini thesim initio capitis positam, nempe *ante sæculum VI, primum et solum codicem canonum Nicænorum et Sardicensium, publicæ auctoritatis fuisse apud Occidentis Ecclesias;* licet simul vim legis obtinerent in universo mundo decreta Romanorum Pontificum, in scriniis seu archivis Romanæ Ecclesiæ authentice asservata.

CAPUT V.

DE CELEBRI DIONYSII EXIGUI COLLECTIONE, SÆCULO SEXTO.

§ I.

A quo et quomodo confecta.

« Fuit hic Dionysius instituto monachus, natione Scytha, » moribus et domicilio Romanus, doctrina vero ac vitæ in- » tegritate præclarus... Romam venit Anastasio II Pontifice, » qui pontificatum tenuit usque ad annum 498. Sub eo, aut » sub Symmacho, qui proxime Anastasium secutus est, pri- » mam suæ collectionis partem edidit; sed pars altera certe » post Anastasii obitum vulgata est. Nam in ea sunt Anasta- » sii epistolæ, non item Symmachi; et cum Dionysius dicat » *se præteritorum Sedis Apostolicæ præsulum constituta* colle- » gisse, manifestum est hanc partem, quæ Anastasii epistolas » habet, eo mortuo vulgatam fuisse... Dictus autem est Dio- » nysius *Exiguus*, non quod corpore pusillus esset, uti plu- » res existimarunt, cum neque id tradiderint antiqui scrip- » tores, neque credibile sit Dionysium qui semetipsum » *Exiguum* appellat suum hoc corporis vitium præ se ferre » voluisse. Potius sese Exiguum Dionysius vocasse videtur » modestiæ causa, quo nomine alii etiam, atque imprimis » monachi, quorum e numero ille erat, uti solebant » (Devoti, Instit. juris can. proleg., c. 5, § 59). Obiit Dionysius circa annum 556. Præclarum de illo testimonium reliquit Cassiodorus in suo libro De divinis lectionibus, capite 23 : *Generat etiam*, inquit, *hodieque catholica Ecclesia viros illustres probabilium dogmatum decore fulgentes. Fuit enim nostris*

temporibus et Dionysius monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus, in utraque lingua valde doctissimus... Qui Scripturas divinas tanta curiositate discusserat atque intellexerat, ut undecumque interrogatus fuisset, paratum haberet competens sine aliqua dilatione responsum : qui mecum dialecticam legit, et in exemplo gloriosi magisterii plurimos annos vitam suam Domino præstante transegit. Pudet me de consorte dicere quod in me nequeo reperire. Fuit enim in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas : ut in nullo se vel extremis famulis anteferret, cum dignus esset regum sine dubitatione colloquiis. Interveniat pro nobis qui nobiscum orare consueverat... Qui petitus a Stephano Salonitano Episcopo, ex græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis ut erat planus atque disertus, magnæ eloquentiæ luce composuit, quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur. Hos etiam oportet vos assidue legere, ne videamini tam salutares ecclesiasticas regulas ignorare. Alia quoque multa ex græco transtulit in latinum, quæ utilitati possunt Ecclesiæ convenire. Qui tanta latinitatis et græcitatis peritia fungebatur, ut quoscumque libros græcos in manibus acciperet, latine sine offensione transcurreret; iterumque latinos attico sermone legeret, ut crederes hoc esse conscriptum quod os ejus inoffensa velocitate fundebat.

Dionysiana collectio in duas partes distinguitur, quarum altera synodorum canones, altera Romanorum Pontificum epistolas complectitur.

Priori parti præfixa est epistola nuncupatoria ad Stephanum Episcopum Salonitatum. In qua sic de opere suo loquitur ipsemet Dionysius : *Canones qui dicuntur Apostolorum, de græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare sanctitatem. Deinde regulas Nicænæ synodi, et deinceps omnium conciliorum, sive quæ ante eam, sive quæ postmodum facta*

sunt, usque ad synodum 150 *Pontificum qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, a primo capite usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in græca auctoritate, digessimus.* In eadem epistola monet se ex latinis exemplaribus desumpsisse Sardicensis et Africani concilii statuta, *quæ latine sunt edita.* Post illam ad Stephanum epistolam quæ præfationis instar initio apponitur, sic procedit collectionis prima pars : 1° tabula omnium titulorum; 2° canones Apostolorum; 3° sub una numerorum serie canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochæni, Laodiceni et Constantinopolitani; 4° canones Chalcedonenses; 5° Sardicenses 21, ex originali latino; 6° Africani distincti in numeros 138. Hæc prima Dionysianæ collectionis pars cum omnium plausu, ac præsertim Juliani titulo S. Anastasiæ presbyteri, fuisset excepta, hic ipsi Dionysio auctor fuit ut Apostolicæ quoque Sedis constituta, quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, pari studio colligeret.

Est autem posterior illa pars in hunc ordinem a Dionysio redacta : 1° apponitur epistola ad Julianum presbyterum, quæ præfationis vicem gerit et in qua sic proloquitur Dionysius : *ea qua valui cura diligentiaque collegi et in quemdam redigens ordinem titulis distinxi compositis : ita dumtaxat ut singulorum Pontificum quotquot a me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem, omnesque titulos huic præfationi subnecterem, eo modo quo dudum de græco sermone Patrum transferens canones ordinaram.* 2° Post illam epistolam sequitur tabula titulorum; 3° epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem, distincta in numeros 15; 4° epistolæ Innocentii 22, dispertitæ in numeros 57; 5° Zozimi epistola ad Hesychium Salonitanum, in tres numeros distributa; 6° Bonifacii I decreta, quatuor numeris comprehensa; 7° Cœlestini epistolæ tres, in 22 numeros; 8° Leonis epistolæ 7 in 48 numeros; 9° Gelasii decreta in 28 numeros;

10° epistola Anastasii II ad Anastasium Augustum in 8 numeros.

Cæteris antiquioribus collectionibus multum præstabat Dionysii collectio, tum distinctione canonum a decretis Pontificum Romanorum, tum perspicuitate versionis, tum documentorum ordine, et aptioribus titulis appositis, tum sinceritate monumentorum; nihil enim apocryphum recepit, præter Apostolorum canones, quos tamen peculiari adnotatione a certo genuinis distinguendos præmonuit. Illæ vero dotes « adeo perstrinxerunt et rapuerunt oculos omnium, ut » statim a cunctis passim exquiri ejus exemplaria, ac ipsa in » Urbe mox in usum induci cœperint... Hinc paucorum an- » norum spatio ita passim adhibebatur, ut sub medium » sæculi sexti Cassiodorus scripserit, *quos* (nempe translatos » canones) *hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complecti-* » *tur*. De solo usu loquitur, qui ei collectioni nullam auctori- » tatem publicam vindicavit, nec eam publicum Romanæ » Ecclesiæ codicem reddidit. » (Fratres Ballerini, De antiq. collect. canonum, pars 3, c. 1, § 2.)

Utrum autem eas quas collegit Pontificum Romanorum epistolas ex apostolicis scriniis Dionysius eduxerit, affirmarunt aliqui, sed falsum existimant et ostendunt Ballerini fratres (loco citato).

§ II.

Num Dionysius primus collegerit decreta pontificia, et an inde concludi possit olim canones conciliorum tantum, non vero decretales pontificias, auctoritatem habuisse.

Ex eo quod primus omnium Dionysius separatim canones conciliorum et decreta Pontificum collegerit, sic arguere tentarunt Van Espen, et alii quidam, quos perpetuo excæcat præconceptum in sanctæ Sedis auctoritatem odium : *Diony-*

sius Exiguus primus collegit decreta pontificia; ergo ante ipsum hujusmodi decreta vim canonum minime habebant. In isto autem ratiocinio falsum antecedens, falsum et consequens.

« Neque vero dicendum est cum nonnullis (aiunt Balle-
» rini fratres), Dionysium primum fuisse qui Apostolicæ
» Sedis decreta collegerit. Fuit quidem ille primus qui ea
» tomo separato a canonibus conciliorum sejunxit, ordina-
» timque recensuit; cum in anterioribus collectionibus una
» cum synodorum decretis, vel inter se confuse permisceren-
» tur, uti cernere est in collectionibus quas antecedenti parte
» descripsimus. » En confutatum antecedens.

« Qui vero hac Dionysiani codicis distinctione utuntur,
» perinde ac si ante Dionysium soli canones, non vero apo-
» stolica constituta auctoritatem obtinerent, nimium fallun-
» tur. Etsi enim verum esset (quod non concedimus) vetu-
» stiores Dionysio codices, qui ad nos non pervenere, solos
» canones græcorum conciliorum latine redditos prætulisse,
» quid inde? Cum hi privati essent codices, nullus autem
» publicus, ut alibi ostendimus, cumque inter canones græ-
» carum synodorum soli Nicæni cum Sardicensibus olim
» essent apud Latinos recepti,... nihil ex his codicibus ad
» auctoritatem adstruendam vel adimendam decretis Roma-
» norum præsulum elici potest. Apostolicis certe constitu-
» tionibus satis per sese manebat auctoritas, sive eæ essent
» privatis illis codicibus insertæ, sive non essent. Perspicua
» sunt testimonia Cœlestini I in epistola ad Episcopos Apuliæ
» et Calabriæ, necnon Leonis epistola 4 ad Episcopos Cam-
» paniæ, in quibus non canonum tantum, verum etiam de-
» cretalium auctoritas commendatur. Auctor Vitæ sancti
» Hilarii Arelatensis (cap. 16) accusatum tradit Cælidonium
» Episcopum, ac si viduam olim duxisset uxorem, *quod*
» *Apostolicæ Sedis auctoritas, et canonum prohibent statuta:*
» ubi perspicitur et canones et apostolicas constitutiones

» apud Gallicanos viguisse. » (Ballerini, loco citato, part. 3, c. 1, § 2.)

« Vis earum (nempe constitutionum pontificiarum) non » ex his privatis collectionibus, sed ex Pontificis potestate, » atque ex ipso autographo in Archivo servato repetebatur. » Certe Siricius (epist. ad Himerium, — Coustant, col. 637), » postquam Himerium hortatus est *ad servandos canones et* » *tenenda decretalia constituta*, generalem illam sententiam » pronuntiat, quod *statuta Sedis Apostolicæ, vel canonum ve-* » *nerabilia definita nulli sacerdotum Domini ignorare sit* » *liberum*. Etiam Leo Magnus... memorat decretalia *constituta* » *decessorum* suorum. Et comprovinciales Episcopi Metropo- » lis Arelatensis (Opera S. Leonis, t. I, p. 995, edit. Ve- » net. 1753) non ex aliquo canonum codice, sed ex *scriniis* » Sedis Apostolicæ, decretorum Zozimi Pontificis vim omnem » et auctoritatem repetunt. » (Devoti, Hist. can. Prol., c. 5, § 58.) Vide insuper testimonia quæ supra attulimus, agendo de promulgatione decretorum Romani Pontificis in provinciis non necessaria (parte 2, sect. 2, cap. 6).

Ergo nec verum est Dionysium Exiguum primum fuisse qui decreta Romanorum Pontificum collegerit; et etiamsi hoc verum esset, non sequitur hæc decreta prius non habita fuisse tanquam leges ecclesiasticas, vim et auctoritatem canonum habentes.

CAPUT VI.

DE BREVIATIONE SEU INDICULO CANONUM FERRANDI DIACONI CARTHAGINENSIS, SÆCULO SEXTO.

Eodem fere tempore quo Dionysius Exiguus Romæ, in Africa Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis ecclesiæ diaco-

nus, suam concinnabat canonum Breviationem. In chronico enim Victoris Turonensis claruisse dicitur anno 547. E vivis autem excesserat anno 551, cum Facundus Hermianensis, qui hoc anno scripsit pro defensione trium capitulorum, Ferrandum appellet (cap. 3) *laudabilis virum memoriæ*. Breviatio canonum Ferrandi diaconi, cum cæteris ejus scriptis, inserta est tomo IX Bibliothecæ Patrum.

Non servavit Ferrandus synodorum ordinem chronologicum, nec etiam ea quæ sunt ejusdem concilii simul descripsit; sed, habita materiarum ratione, canonicam disciplinam titulis 232 complexus est; et sub titulis canones non retulit, sed indicavit tantum. Omne canonicum jus, paucis exceptis, ad personas revocavit hoc ordine, ut primo loco posuerit quæ ad Episcopos, presbyteros et diaconos, tum quæ ad omnes simul clericos, tandem quæ ad clericos simul ac laïcos spectare visa sunt. Nonnunquam plures canones in unum contulit, et aliquando canonum numerum aut omisit aut mendose assignavit. Duo tantum hujus breviationis codices hactenus inventi sunt, Trecensis nempe et Corbeiensis; ex quibus simul collatis conflata est editio quæ tomo IX Bibliothecæ Patrum inserta est.

CAPUT VII.

DE COLLECTIONE SEU CAPITULIS S. MARTINI BRACARENSIS EPISCOPI, SÆCULO SEXTO.

Hunc in Pannonia ortum testatur sanctus Gregorius Turonensis (Hist. Francorum, l. 5, c. 38). Ex Pannonia, ad visitanda loca sancta, in Orientem migrans, græcas litteras et optimas scientias ibidem excoluit. Ex Oriente in Galliciam trajecit, ibique constructo Dumiensi Monasterio primum

præfuit : tum ecclesiæ Dumiensi Episcopus, tandemque anno 560 Bracarensis Archiepiscopus factus est. Obiit anno 583.

Compingendæ collectionis suæ causam et methodum ipse in præmissa epistola exponit his verbis : *Canones in partibus Orientis ab antiquis Patribus constituti, græco prius sermone constituti sunt; postea autem succedente tempore, in latinam linguam translati sunt. Et quia difficile est ut simplicius aliquid ex alia lingua tranferatur in alteram, simulque et illud accidit, ut in tantis temporibus scriptores, aut non intelligentes, aut dormitantes multa prætermittant, et propterea in ipsis canonibus aliqua simplicioribus videantur obscura : ideo visum est, ut cum omni diligentia, et ea quæ per translatores obscurius dicta sunt, et ea quæ per scriptores sunt immutata, simplicius et emendatius restaurarem... Hoc simul observans, ut illa quæ ad Episcopos vel universum clerum pertinent, una in parte conscripta sint; similiter et quæ ad laïcos pertinent simul sint adunata; ut de quo capitulo scire aliquis voluerit, possit celerius invenire.*

Canones e Græcis synodis potissimum hausit, nonnullos vero ex Hispanicis et Africanis conciliis. Licet autem intenderit collectiones suo tempore exsistentes *emendatius restaurare*, non omnia tamen sunt apud ipsum emendata. Interdum canones diversorum conciliorum in unum conflavit : interdum quædam addidit, detraxit, immutavit, ut Græcorum disciplinam suorum moribus accommodaret. Sic, verbi gratia, canon 10 synodi Ancyranæ, quem præ oculis habuit, vult in ministerio permanere diaconos, qui in ordinatione sua protestati sunt se velle uxorem ducere, et postea jam ordinati matrimonio conjuncti sunt. Martinus autem dicit (cap 39) eos post talem protestationem non posse ordinari.

Edita est Collectio Martini Bracarensis in tomo I *Bibliothecæ juris canonici veteris.*

CAPUT VIII.

DE BREVIARIO ET COLLECTIONE CRESCONII, SÆCULO SEPTIMO.

Cresconium seu, ut alii malunt, Crisconium, Africanum Episcopum, anno 697 floruisse ex certis documentis colligitur. Duæ ipsius de re canonica laudantur collectiones, *Breviarium* nempe, et *Concordia canonum*. Ante Ballerinos fratres dubitatum est inter eruditos num duo essent opera distincta, an potius duæ ejusdem operis partes; item utrum *Concordia canonum* a Cresconio ipso an ab alio juxta *Breviarii* ordinem fuisset concinnata. Ballerini autem multis veteribus codicibus feliciter inventis (De antiq. coll. can. pars 4, c. 3) ostenderunt et utrumque opus esse Cresconii, et ad unam eamdemque collectionem pertinere. *Breviarium* scilicet est quasi tabula collectioni præmissa, in qua ponuntur 300 tituli cum sola indicatione documentorum : tum subjungitur eodem ordine ipsorum documentorum seu canonum collectio, quæ ex collectione Dionysii Exigui desumpta est.

Notant Ballerini, Cresconium primum fuisse qui in sua collectione synodos et epistolas Romanorum Pontificum non ediderit integras servato temporum ordine, ut antiqui fecerant, sed sectas in partes, et in titulos distributas; non proinde Burchardum et Ivonem Carnutensem primos hac methodo usos fuisse; sed Cresconium ex sola Dionysiana collectione documenta excerpsisse, Burchardum vero et Ivonem ex aliis quoque fontibus.

Cresconii *Breviarium* et *Canonum concordiam* ediderunt Voellus et Henricus Justellus in tomo I *Bibliothecæ juris canonici veteris*, sed separatim : *Breviarium* nempe cum Fer-

randi breviatione pagina 456, *Concordiam canonum* in ejusdem tomi appendice.

De veteri *Collectione hispanica,* anno circiter 633 concinnata, fuse disserunt Ballerini in citato opere, part. 3, c. 4. Cum autem eam, prout primitus exstabat, non habeamus, non est cur in ea brevis nostra synopsis immoretur.

CAPUT IX.

DE COLLECTIONE HADRIANA, ANNO 774 CAROLO MAGNO TRADITA.

Hadriana vocari solet collectio, quam Hadrianus I Papa Carolo Magno Francorum Regi Romæ tradidit. Ter Romam petiit Carolus Magnus : primum nempe anno 774; tum anno 781 ; et dein anno 787. Porro prima vice qua Romæ affuit Carolus Magnus, cum nempe Papiam obsideret, ipsi traditum fuisse codicem Hadrianum merito concludit Coustant (*Epistolæ Romanorum Pontificum,* præf.) ex his verbis epistolæ ipsi codici Hadriano præfixæ : *Illæsus cum tuis victor manebis; nempe per ipsos* (Petrum et Paulum), *qui aditum petunt urbis Papiæ te ingredi victorem, nefaria perfidi regis calcabis Desiderii colla.*

Non differt autem collectio hæc a Dionysiana, nisi additamentis quibusdam; in duas ergo, sicut Dionysii Exigui codex, distribuitur partes. Prior conciliorum canones, posterior Romanorum Pontificum decreta complectitur. Quænam autem in unaquaque Dionysianæ collectioni addita sint, describunt per singula Ballerini fratres (loco sæpe citato, parte 3, cap. 2).

Hujus autem collectionis auctor non est Hadrianus I, ne eo quidem sensu quod addimenta per ipsum codici Diony-

siano apposita sint : exstabat enim ante Hadrianum illa collectio. Sed cum Pontifex ille hanc Carolo Magno tradiderit, et sic approbare visus sit, Apostolicam quamdam auctoritatem ei contulit, ita ut *Codex canonum* antonomastice passim in Galliis, Romæ et alibi appellari cœperit. Quando postea prodiere Isidori Mercatoris falsæ decretales, eas rejiciendas esse quidam intellexerunt, eo quod *in toto codicis canonum corpore non continerentur conscriptæ*, ut habetur in epistola 42 Nicolai I ad Episcopos Galliæ (Conciliorum collectio regia, t. XXII, p. 784). Per istum autem *Codicem canonum* intelligebant collectionem Hadrianam, ut clarius patet ex Hincmaro Remensi, qui Isidorianas decretales repudiabat, ac tantum retinendos contendebat canones, *quos Apostolica Sedes... et omnis catholica Ecclesia canones appellat; quique... in nostris codicibus quos ab Apostolica Sede majores nostri acceperunt sequendos,* locum habent. Hinc recte concludit Coustant (epist. R. Pont. præf. § 8, n. 128), codicem quem Hadrianum vocamus, ab Hincmaro *canonum codicem,* ex usu apud Romanos et Gallos recepto, vocatum fuisse.

CAPUT X.

DE FAMOSA ISIDORI MERCATORIS COLLECTIONE, SEU DE FALSIS DECRETALIBUS, SÆCULO NONO.

Exponendum ante omnia quid sit illa collectio et quænam circa ipsam oriantur quæstiones. Percelebris evasit hæc collectio ob insignem imposturam per plura sæcula non detectam : fraudulenter nempe ei inserta sunt plura documenta supposititia et conficta. Vetustissimorum Romanorum Pontificum a sancto Clemente ad sanctum Sylvestrum usque,

quorum nulla exstant decreta, plures epistolas præfert : aliisque Pontificibus usque ad Gregorium Magnum aliquas item imponit, ac genuinis interserit. Acceptus est liber et ubique diffusus, fraudem suspicante nemine. Nam quod dicunt quidam, Hincmarum Remensem illam subodorasse, verum non est. Contendebat quidem Hincmarus decretales illas quæ in *Codice canonum*, id est in collectione Hadriana tunc receptissima, non inveniebantur, auctoritatem non habere, eo quod in isto codice non exstarent. Sed eas fictitias esse, aut non certo sinceras, nunquam dixit : imo ipse et alii Gallicani Præsules iis tanquam sinceris utebantur, in iis quæ sibi favebant, ut recte iisdem objiciebat Nicolaus I. Invaluit ergo impostura, adeo ut subsequentes collectores Burchardus, sanctus Ivo Carnutensis, et præsertim Gratianus, Isidori Mercatoris fraudes nihil suspicando suas fecerint et confirmaverint. Et sic a nono sæculo usque ad dimidiam partem sæculi decimoquinti nulla exorta est reclamatio.

Primus omnium circa annum 1450 cardinalis Nicolaus Cusanus in suo libro de *Concordantia catholica* (l. III, c. II) decretales supradictas ut falsitatis suspectas indicavit et tenuit. Erasmus item eas suspectas habuit. Tum auctores protestantes Magdeburgi, qui *Centuriatores Magdeburgenses*, ob suam historiam ecclesiasticam per centurias seu spatia centum annorum distributam dicuntur, easdem rejecerunt, non tam ex eo titulo quod spuriæ essent, quam quod doctrinam catholicam ipsis invisam continerent. Centuriatores confutare tentavit anno 1572 jesuita Franciscus Torres, qui et Turrianus dici solet; sed minime impedire potuit quin pro dubiis Isidorianas decretales habuerint cardinales Bellarminus, Baronius, et Du Perron; itemque Fronto Ducæus, et Jacobus Sirmondus. Antonius Contius jurisconsulta pluribus probavit illas probabilius esse falsas. Antonius Augustinus indicavit insuper, quibus ex fontibus impostor quæ-

dam suarum pseudo-epistolarum fragmenta desumpsisset.

Anno tandem 1627 David Blondellus, e calvinistis vir eruditione et fama præcipuus, defensionem Centuriatorum edidit sub hoc titulo : *Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes*. Quo in opere ita clare patefecit quibus veterum monumentorum fragmentis impostor suas decretales consuerat, ita vi e copia argumentorum fraudem manifestam denudavit, ut ex tunc et pro semper apud eruditos quosque in rem judicatam quæstio abierit. Opinionem tamen oppositam frustra adhuc tueri conati sunt Bonaventura Malvasia e familia Franciscanorum et etiam cardinalis d'Aguirra in sua collectione conciliorum Hispaniæ. Sed imposturam Isidorianæ collectionis luce clarius exhibuere viri doctrina præstantissimi, Petrus de Marca, Christianus Wolf, vulgo dictus Lupus, Stephanus Baluzius, cardinalis Noris, cardinalis Schelstrat, Labbe, Papebroch, Nicolaus Antonius, duo Pagi, Natalis Alexander, Coustant, Bartoli, Daude, fratres Ballerini, Zaccaria et alii.

Ex facto tam extraordinario hujus imposturæ per multa sæcula ubique terrarum absque suspicione obtinentis, multæ ortæ sunt quæstiones. Et primo quidem de auctoris nomine, patria, ævo et scopo, curiosius, ut par erat, investigarunt eruditi. Tum quælibet infensæ in sanctam Romanam Ecclesiam ejusque doctrinam sectæ, incredibili ardore factum istud tanquam ineluctabile telum arripuerunt, quo se papismum, ut aiunt, certo configere gloriantur. Affirmant nempe veram priorum sæculorum doctrinam catholicam per falsas decretales omnino fuisse deturpatam, et inde ortam quam tenent catholici de summi Pontificis potestate sententiam. Proximi post protestanticum agmen, et ferventiori etiam zelo ad prælium incedunt Isidorianis decretalibus instructi Jansenistæ. Item multi ex iis qui gallicano adhærent systemati, insinuant, conscia et connivente Romana Sede, propagatam imposturam; indebita hinc accessisse pontificiæ auc-

toritati incrementa; corrosa Episcoporum et provincialium conciliorum jura; eversam denique et obnubilatam veram Ecclesiæ disciplinam; atque inde querelis et lamentationibus opera sua impleverunt Fleury, Van-Espen, Febronius, id est, Episcopus de Hontheim, et alii innumeri.

Quæ quam falsa et inania sint, nunc est patefaciendum.

§ I.

Quis auctor, quo tempore, et quem in scopum scripserit.

I. *Quis auctor*. — Codex Vaticanus numeri 630, quem cæteris præferendum utpote antiquissimum omnium existimant Ballerini, hunc habet titulum : *Incipit præfatio S. Isidori Episcopi. Isidorus Mercator, servus Christi lectori conservo suo et parenti in Domino, fidei salutem.* Idem *Mercatoris* nomen invenitur in codice Parisiensi, et Modenensi; et hoc etiam nomine utitur Ivo Carnutensis. Unde opinio Petri de Marca, qui legendum putat *Isidorus Peccator* et non *Isidorus Mercator*, minus probabilis est, utpote antiquioribus codicibus contraria. Vox *Episcopi* in titulo citato contenta, deest in codice Modenensi, ubi tantum legitur : *Incipit præfatio sancti Isidori libri hujus*. Ex hujusmodi titulis verisimile est ortum habuisse errorem qui collectionem hanc sancto Isidoro, Hispalensi Episcopo, initio attribuit. Inter argumenta quæ certo demonstrant sanctum Isidorum Hispalensem minime fuisse hujus libri auctorem, unum proferre satis sit : continet collectio Toletanas synodos a sexta usque ad trigesimam; unum insuper Concilium Barcarense; et in præfatione mentio fit de sexto concilio œcumenico : porro ante omnes illas synodos obierat S. Isidorus Hispalensis; ergo non potuit illas colligere aut commemorare. Ergo *primo*, certo falsa est opinio quæ sanctum Isidorum Hispalensem dictæ collectionis auctorem facie-

bat. *Secundo,* nec admittenda videtur opinio quæ auctorem Hispanum fuisse existimat. Opinio illa fundatur præcipue hoc textu Hincmari Remensis Episcopi (in opusculo contra Hincmarum Laudunensem, cap. XXIV) : *Si vero ideo talia quæ tibi visa sunt de præfatis sententiis ac sæpe memoratis epistolis detruncando... collegisti, quia forte putasti neminem alium ejusdem sententias vel ipsas epistolas præter te habere..., res mira est; cum de ipsis sententiis* (nempe Angilramni) *plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculphus Moguntinus Episcopus, in hujusmodi sicut et in capitulis regiis studiosus, obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit.* Hæc quidem probant sparsam fuisse hanc famam de allata ex Hispaniis collectione; sed bene potuit impostor ne detegeretur illam famam ipse spargere, eoque facilius quod Monachi Hispani aliquot revera Riculphum inviserant, et quod jam obierat Riculphus. Unde potuit et ipse Hincmarus sic decipi. Collectorem vero non fuisse Hispanum hæc, quæ certa sunt, satis probant : nempe tot inter decretales, una tantum aut altera ad Hispanos Episcopos diriguntur, dum perpetuo allegantur pontificiæ epistolæ ad Galliæ, Germaniæ et Italiæ Præsules. Si Hispanus fuisset collector, decretales potius ad Hispanias directas sæpius allegasset. Præterea incognita Hispaniæ fuit illa collectio usque ad Innocentii III tempora (1); et omnes qui exstant noni sæculi codices in Galliis exscripti sunt, ut liquet ex caracterum forma et certis aliis indiciis. Insuper idiotismi qui in illa occurrunt, alieni sunt a scriptoribus hispanis hujus temporis, et contra cum moribus scriptorum gallo-germanorum ejusdem ætatis optime concordant. Excerpta e litteris S. Bonifacii Episcopi Moguntuni, probabile etiam indicium exhibent impostorem fuisse ex illis Germaniæ regionibus quæ inter Gallias tunc numerabantur : et non

(1) Ut eruitur ex epist. 12 ejusdem Pontificis, l. II.

tantummodo in Isidoriana collectione citantur epistolæ S. Bonifacii, sed etiam abbatissæ Caugith ad S. Bonifacium; quæ non in Hispania, sed in Germania, ubi illi versati sunt inveniri potuerunt.

Concludunt Ballerini (De antiq. collect. can., p. 3, c. 6, § 4), et Zaccaria (Antifebr. diss. 3, c. 3), impostorem fuisse aliquem Gallum aut Gallo-Germanicum. Putat Zaccaria fraudem tribuendam esse cuidam *Benedicto Levitæ*, Ecclesiæ Moguntinensis clerico, a quo etiam tres libri Capitularium Caroli Magni et Ludovici Pii conflati sunt anno 845. Hæc autem de auctore Gallo aut Gallo-Germanico sententia, duabus aliis rationibus a Ballerinis confirmatur : *Ex Moguntia quidem,* aiunt, *collectionem prodiisse et per Gallias disseminata fuisse exemplaria Hincmaro teste accepimus : qui, licet in eo falsus sit, quod præsumens auctorem S. Isidorum Hispalensem, eam ex Hispania allatam tradidit, in eo tamen quod e Moguntia eadem collectio vulgata fuerit, conlato Benedicti Levitæ testimonio maxime confirmatur... Accedit tandem argumentum omnium, ut nobis quidem videtur, gravissimum. Dum impostor hispanicam collectionem suæ inseruit, non usus est codicibus hispanæ originis, sed illis originis Gallicanæ* (hoc probant Ballerini ex variis codicibus a se collatis, tum sic concludunt) : *Nihil ergo dubitandum est quin Pseudo-Isidorus... codicem adhibuerit non Hispanæ originis, sed Gallicanæ. Quid ita? Nisi quia in Galliis, ubi erant hujusmodi codices, non autem in Hispania suam collectionem digessit. Quis ergo post tot ac tam manifesta indicia de auctore Gallicano seu Germano-Franco adhuc ambigendum putet?* Ergo Gallia, in qua tam vehementer contra sanctam Sedem ob falsas decretales proxime elapsis sæculis clamitatum est, imposturæ auctorem sibi vindicare debet.

II. *Quo tempore liber editus.* — Continet collectio quasdam decretales Urbani I et Joannis III, in quibus impostor de verbo ad verbum inseruit quasdam sententias concilii Parisiensis

anni 829; ergo huic anno collectio posterior est. Præterea advertit Blondellus aliqua etiam hinc inde ex epistola Jonæ Episcopi Aurelianensis ad Carolum Calvum fuisse deprompta. Regnum autem obtinuit Carolus Calvus anno 839; ergo et huic anno posterior est collectio. Ex quibusdam aliis indiciis concludit Zaccaria (loco supra citato) ad annum 846 referendas esse falsas Isidori decretales.

III. *In quem scopum excogitata impostura.* — « Quo autem » spiritu, quo consilio Pseudo-Isidorus tot documenta con- » finxerit omittendum non est. Non desunt qui eum amplifi- » candæ vel defendendæ auctoritatis Romanorum Pontificum » studio ductum ad ea procudenda excitatum fuisse arbitren- » tur. At falluntur manifeste. Licet enim in iis Apostolica am- » plitudo et auctoritas pluribus commendetur, non tamen » hic impostoris scopus fuit; nec eadem Sedes cujus privile- » gia et jura quam plurimis sinceris et vetustis documentis » nituntur, illis apocryphis indigebat... Pseudo-Isidori au- » tem consilium longe aliud fuisse, et ipsa collectionis præ- » fatione satis dignoscitur. Postquam enim indicavit docu- » menta quæ suæ collectioni erant inserenda, hanc eorum » colligendorum rationem subjicit : *Quatenus ecclesiastici* » *ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta, et* » *sancti Præsules paternis instruantur regulis, et obedientes Ec-* » *clesiæ ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis,* » *et non malorum hominum pravitatibus decipiantur. Multi* » *enim pravitate et cupiditate depressi, accusantes Sacerdotes* » *depresserunt.* Et multis prosequitur in eos acriter invehens » qui Episcopos accusare audent, *ut se per illos excusent, vel* » *eorum bonis ditentur.* Ac plura ejusmodi judiciorum incom- » moda referens, illud urget, non posse cogi Episcopos ad di- » cendam causam, si fuerint accusati, et rebus suis exspoliati » et a sede pulsi, nisi prius fuerint restituti : additque non- » nulla de accusatoribus et accusationibus rejiciendis. Quibus » omnibus palam significat se ea potissimum mente collec-

» tionem confecisse, ut Episcopis qui accusabantur prospice-
» ret. Id quidem in apocryphis quæ conflavit documentis
» multo clarius elucet... Idem quoque consilium maxime
» perspicitur in capitulis (1) Hadriano tributis, quæ ex apo-
» cryphis præsertim epistolis decerpta, apocryphorum docu-
» mentorum velut compendium et compilatio vocari queunt.
» Pleraque enim illorum capitulorum eo spectant ut ne
» Episcopi accusari a quibuslibet possint, nec, si accusentur,
» accusatoribus facile deferatur, sed ex multis causis tum
» accusatores repellere, tum judices liceat recusare. » (Ballerini, de collect. ant., part. 3, c. 6.)

Idem quod Ballerini animadverterat Fleury : « La prin-
» cipale matière de ces décrétales sont les accusations des
» Évêques : il n'y en a presque aucune qui n'en parle et qui
» ne donne des règles pour les rendre difficiles. Aussi Isi-
» dore fait assez voir dans la préface qu'il avait cette matière
» fort à cœur. » (*Hist. eccl.*, l. 44, n. 22).

Imo idem confitetur et ipse Van Espen, qui de Gratiano disserens sic affirmat : *Hic rursus adducit varia fragmenta decretalium, quæ præcipue ad eximendos Episcopos ab omni criminali judicio adornatæ apparent.* « Sed, inquit Devoti (Prolegom. c. 5, § 71), vide fidem et inconstantiam homi-
» nis (2) quem rapit in Sedem Apostolicam virus acerbitatis
» suæ : adversus hanc quam noscit veritatem, inquit (*Jus*
» *eccles.*, part. 3, c. 4, n. 16) Isidorianam collectionem perti-
» nere *præcipue ad amplificandam Sedis Apostolicæ auctorita-*
» *tem.* »

(1) Hæc compilatio ab eodem Pseudo-Isidoro confecta est.
(2) Nempe Van Espenii.

§ II.

Falsum est Isidorianam imposturam, conscia et connivente Romana Sede, fuisse contextam.

Impudentissimum illud mendacium de connivente Romana Sede in conficiendas et introducendas falsas decretales, apud auctores Protestantes et Jansenistas, imo et apud eos qui se Gallicanos tantummodo profitentur, recurrit frequentissime. Sic inter alios habet jansenista Ægidius Witte in suo *Augustino Iprensi vindicato*, parte 2, capite 5 : *Fictitias et adulterinas epistolas... Nicolaus I, vir alacer et in mala causa tuenda confidentissimus, tota animi contentione asseruit; ut et hinc subolere queat emunctæ naris arbiter, merces illas adulterinas non sine annutu et interventu Romanæ curiæ, ne dicam ipsa parente et auctrice, suis ab institutoribus in foro publico Ecclesiæ fuisse expositas.*

Episcopus de Hontheim (sub nomine *Febronii*, c. 3, § 9), eamdem calumniam, nulla prolata probatione, indicio nullo, incunctanter obtrudit, affirmando falsas decretales post annum 744 compositas fuisse, *et Romæ quidem, ut gravis fert suspicio.*

Quidam Gasparus Barthel conatibus sancti Nicolai I tribuit præcipue Isidorianæ collectionis receptionem. Hunc auctorem sibi similem ita citat Episcopus de Hontheim (ibid.) : *Gasparus Barthel... observat Isidorianum codicem, urgente vehementissime Nicolao I a tota Ecclesia, in Germania adnitente potissimum Reginulpho* (*Richulpho* legendum notat Febronius) *archiepiscopo Moguntino receptum esse.*

Duplici ergo accusatione urgetur calumnia : 1° falsas decretales Romæ, annuente vel etiam auctrice Romana curia, confictas esse. 2° Nicolaum I ardentissimum fuisse falsatæ

collectionis propagatorem. Porro utraque accusatio vanissima est.

I. Falsæ decretales confictæ jam erant, ut supra vidimus, anno 846; hoc nedum neget Febronius, vult e contra eas antea prodiisse. Ergo si Romæ et auctrice Romana curia confictæ sunt, debuerunt ibi cognosci sub Leone IV, id est, ab anno 847 usque ad annum 858. Præterea, si præfatus Pontifex occasionnem habuit describendi codicem qui Romæ suo tempore in usu erat, debuit indicare Isidorianum, et non alium. Atqui Leo IV in sua ad Britannos epistola (apud Gratianum dist. 20, c. 1) declarando quinam codex receptus esse Romæ, quemque sequi omnes deberent, non Isidorianum, sed Dionysianum describit. Quo plane ostendit se falsas decretales vel non cognoscere vel rejicere. En ipsius verba quæ totam prorsus calumniam evertunt : *De libellis et commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, et sanctorum conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum canonibus. Quibus autem in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis sunt, canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanorum, Carthaginensium; et cum illis regulæ Præsulum Romanorum Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilari Symmachi, Hormisdæ, Simplicii, et Gregorii junioris. Isti omnium sunt et per quos judicant Episcopi, et per quos Episcopi simul judicantur et clerici.* Ergo nedum codicem Isidorianum inducere nitatur Leo IV, illum e contra excludit. Ergo nec Romæ, nec connivente Romana Sede falsæ decretales confictæ sunt. *Non ergo Romam calumnietur Febronius,* ait Zaccaria (Antif. dissert. 3, c. 3, n. 4) : *de sua Moguntia, de sua Germania et vicina Gallia doleat; ibi enim magna impostura contexta est, ibi excrevit et firmata est, et inde in Italiam atque ipsam Romam invecta.* Ad Nicolaum I gradum faciamus.

II. Certum est ab illo Pontifice, in causa quam habuit cum schismatico Photio, allegatas non fuisse decretales *Evaristi, Alexandri, Sixti,* et alias hujusmodi ante Pseudo-Isidorum incognitas. Certum est, in sua epistola ad Hincmarum mensis aprilis anni 863, in qua fontes indicat unde Romana Ecclesia disciplinæ regulas hauriebat, ipsum memorasse quidem decretales *Siricii, Innocencii, Zozimi, Cœlestini* et aliorum juxta collectionem Dionysii Exigui, minime vero falsas decretales Isidorianas; ita ut etiam falsæ collectionis exsistentiam tunc ignorasse videatur. Certum est, in sua octava ad Michaelem imperatorem epistola, anni 865, in qua totus est in asserendis et vindicandis contra Photium Romanæ Sedis juribus et privilegiis, nullam item ab eo allegatam fuisse falsam Pseudo-Isidori decretalem.

Videtur tamen paulo post ipsi ex Gallia allatam de Isidoriana collectione notitiam, et forte etiam aliquod exemplar inde sibi tunc comparavit. Sed illud omnino certum est, ipsum jam rescivisse hanc collectionem in usu esse in Gallia quando epistolam suam 47 *ad Episcopos Galliæ* direxit, siquidem in illa epistola sic de falsis illis Isidori decretalibus habet : *Cum ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem potestatis Sedis Apostolicæ, et ad suorum argumentum privilegiorum minus accepta esse præbeant.* Et revera quod tunc receptus esset apud Galliæ Ecclesias Isidorianus codex, testatur synodus Carisiacensis (Quiercy), anni 857, quæ illo usa est.

Quid ergo egit Nicolaus I, et unde in illum exorta calumnia? De duobus redarguit Hincmarum et alios Gallicanos Episcopos : 1° quod codicem Isidorianum reciperent quando agebatur de ipsorum privilegiis, rejicerent vero quando agebatur de privilegiis Sedis Romanæ : patet hæc exprobratio ex verbis ipsius modo relatis. 2° Immerito ab ipsis rejici decretales veterum Pontificum ex ea tantum ratione quod illas

non contineret codex Hadrianus, cum possint esse multa authentica, quæ tamen in hoc codice non fuerint relata : *Porro, si ideo non esse decretales epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum* (ita vocabatur Codex Hadrianus ut supra ostendimus) *non habentur adscriptæ, ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in Codice canonum non habeatur adscriptum... Sed quare multum immoremur, cum nec ipsas divinas Scripturas novi et veteris Testamenti jam recipimus, si istos duxerimus audiendos : etenim neutrum horum in Codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum.* En totum quod fecit Nicolaus I : exprobravit nempe modum agendi et ratiocinandi qui erat revera illegitimus. An autem affirmavit decretales a Pseudo-Isidoro editas esse authenticas? Ne syllaba quidem. An ipse eas allegavit quando fontes juris ecclesiastici pluries enumeravit? Nunquam. De illis tantum egit cum Gallis qui eas in usu habebant, eas urgens tanquam *argumentum*, ut dicunt, *ad hominem*. Cum autem eas ipse nondum satis exploratas haberet, ab illarum tum asserenda tum neganda authenticitate prudenter abstinuit. Unde merum mendacium est supra citata affirmatio, *urgente vehementissime Nicolao I, Isidorianum codicem a tota Ecclesia fuisse acceptum.*

Quod confitetur et ipse Natalis Alexander, licet Gallicanus et ob Gallicanismi sui vigorem Romæ condemnatus. *Dico itaque*, inquit, *Nicolaum, emunctæ naris virum et eruditum Pontificem, epistolas veterum Pontificum, quas apprime noverat supposititias* (1), *directe propugnandas non suscepisse, sed hoc unum contendisse, Gallicanos Antistites earum auctoritatem inefficaci ratione impetere. Gallicani enimvero Episcopi hac*

(1) Si *apprime* supposititias novisset, probabilius illud declarasset. Potius existimandum est ipsi nondum satis exploratas fuisse, et ideo de ipsa quæstione authenticitatis tacuisse.

una ratione illas rejicere videbantur, quod in Codice canonum non essent : quam rationem ut nullam ostendat Pontifex ita contra eos ad hominem argumentatur.

In Gallia primum et Germania magnam auctoritatem obtinuit Isidorianus codex, quem allegatum videmus in Concilio apud S. Macram anni 881, in Coloniensi anni 887, Metensi anni ejusdem, Moguntino anni 888, Triburensi anni 895, Troslejano anni 990, et Remensi anni 992, a quo præcipue falsæ decretales auctoritatem accepere. Sensim vero in regiones cæteras ipsamque Italiam invectæ sunt; et tandem in librum Gratiani transfusæ ubique prævaluerunt. Sed neque ab ullo Papa, neque ab ullo concilio œcumenico solemnem aut authenticam approbationem unquam obtinuerunt.

§ III.

Falsum est per confictas decretales exstructam Romano Pontifici quam sibi vindicat jurisdictionem, novam introductam disciplinam, perturbata Episcoporum jura, et alia rei ecclesiasticæ illata damna.

Hisce querelis pleni sunt ut diximus Jansenistarum et Gallicanorum libri. Sic Fleury : *Mais de toutes ces pièces fausses, les plus pernicieuses furent les décrétales attribuées aux Papes des quatre premiers siècles, qui ont fait une plaie irréparable à la discipline de l'Église, par les maximes nouvelles qu'elles ont introduites touchant les jugements des Évêques et l'autorité du Pape* (3e discours, n. 2, p. 173, édit. de Paris, 1724). Sic Racine in Opere suo *Réflexions sur l'État de l'Église* (t. 1, p. 202, édition dite de Cologne, 1759) : *Pour sentir toute l'étendue du mal que produisirent les fausses décrétales, il faut considérer qu'elles établirent des maximes nouvelles en les faisant regarder comme étant de la première antiquité, et qu'elles affaiblirent la plupart des canons et énervèrent toute la vigueur*

de la discipline... Mais pour réussir dans le dessein qu'il avait de changer entièrement la discipline, il (le faussaire) *prit un détour, ce fut d'étendre à l'infini les appellations au Pape.* Episcopus autem de Hontheim sub nomine Febronii : *Quamvis autem Romanæ curiæ sub præsidio Isidori et Gratiani successerit jura sua primatialia et patriarchalia in quamdam monarchiæ ecclesiasticæ speciem proferre.* (Cap. 8, § 3.) Similia Quesnel, Van Espen, et istiusmodi doctrinæ permulti alii perpetuo clamitant.

Quæ omnia statim ruent si probetur falsas decretales nihil innovasse, neque in doctrina circa auctoritatem Romani Pontificis, neque in disciplina. Illud vero triplici argumento demonstrari potest.

Argumentum I. — *Ex tenore ipso collectionis Isidorianæ.* — « Novæ et immutatæ disciplinæ reprehensio quam minus » æqua sit, quisque facile intelliget, si duo animadvertat, ni- » mirum pleraque pseudo-epistolarum Isidori excerpta esse » ex sententiis sanctorum Patrum, ex sinceris constitutioni- » bus Romanorum Pontificum post Siricium, ex canonibus » conciliorum, ac ex Romanis legibus; quæ sane novi juris » novæque disciplinæ non sunt: cætera vero eam disciplinam » plerumque exhibere, quæ vel jamdiu inoleverat, vel jam » ante aliquanto induci cœperat. Impostura autem in eo sita » est quod Pseudo-Isidorus eas sententias iis auctoribus » imposuerit quorum non sunt, et posterioris ævi discipli- » nam antiquioribus Pontificibus affixerit, quasi prioribus » Ecclesiæ sæculis æque viguisset.» (Ballerini fratres, De antiq. collect., pars III, c. 6, § 3.)

Ab omnibus illis qui clamant per falsas decretales novum exstructum pontificium jus, novam inductam disciplinam, hoc unum sciscitamur : quodnam est punctum in quo facta est illa immutatio? Si nullum assignare potestis quod non ex authenticis documentis probetur ante falsas decretales viguisse, quid mutationem per illas decretales somniatis?

Porro singula quæ in Isidoriana collectione sunt, probantur doctrinæ ante Isidorum receptæ et disciplinæ ante ipsum vigenti consona. Quod cum nimis longum esset de omnibus hic ostendere, satis sit cum Ballerinis ea tantum percurrere de quibus fuit cum Hincmaro quæstio. « Nonne causæ majo-
» res quæ circa accusationes Episcoporum versantur certis
» antiquorum Pontificum decretis reservatæ, sine ejus assen-
» su definiri non poterant? Vide inter cætera Leonis episto-
» las 6, 13, 14, et Gregorii IV epistolam primam ad universos
» Episcopos. Nonne Episcoporum appellationes ad eamdem
» sedem antiquis canonibus et consuetudini, ac primatus
» etiam juri innixas probavimus?... Ne omnes promiscue ad-
» mittantur ad accusandum Episcopum, cautum fuerat in
» canonibus codicis Africani 128, 129, 130 et 131, nec non
» etiam canone 6 concilii Constantinopolitani, quem ex Græ-
» co codice Nicolaus I laudat epistola octava. Episcopos ejec-
» tos et suis rebus exspoliatos non cogendos ad judicium, nisi
» prius in suum gradum restituantur.., colligitur ex codice
» Ecclesiæ Africanæ, c. 87. Hæc et quædam alia ejusdem ge-
» neris, quæ novæ disciplinæ a pseudo-isidorianis decretali-
» bus inductæ tribuuntur, legere licebit in epistolis 8, 9 et 38,
» Nicolai I, qui tamen ipse non ex illis apocryphis quibus
» carebat sed ex antiquioribus documentis confirmat » (loco supra citato). Cum ergo quælibet tum doctrinæ circa potestatem Romani Pontificis, tum disciplinæ puncta, in Isidoriana collectione contenta, demonstrentur aliunde certis monumentis ante Isidorum recepta, figmentum omnino est illa prætensa per falsas decretales immutatio et rei ecclesiasticæ perturbatio.

Argumentum II. — *Ex acceptatione falsarum decretalium.* — Certum est illas absque reclamatione ubique acceptas fuisse, quin oriretur de earum falsitate dubium. Atqui impossibilis fuisset hujusmodi pacifica introductio, si exsistentem tunc disciplinam et doctrinam evertissent. Cujus argumenti vis si

bene perpendatur omnino etiamsi solum esset ad assentiendum cogeret. Ideo nempe fraudem non suspicatæ sunt ecclesiæ, quia cum traderetur consueta doctrina et exponeretur ubique vigens disciplina, nemo de inquirenda veritate allegatorum documentorum sollicitus erat. At omnino aliter evenire debuisset, si illæ decretales vigentem tunc temporis disciplinam et doctrinam perturbassent. Nulli autem tumultus, clamores nulli auditi sunt ob inductas decretales. Ergo revera nulla per eas facta est nec circa doctrinam, nec circa disciplinam immutatio. Sed dices : cur ergo impostor documenta fingebat ? Respondeo ipsum vidisse ea quæ a jure statuta erant in gratiam Episcoporum accusatorum et in judicium vocatorum, male observari et in desuetudinem alicubi abire; unde, ut melius ipsis provideret, non tantum vera, sed falsa protulit, et quædam vera antiquioribus temporibus affixit. Unde non mentiebatur jus novum fingendo, sed fictis simul cum veris documentis jus vigens propugnando. Putavit autem se melius sic obtenturum quem intendebat scopum.

Argumentum III. — *Ex assensu generali Ecclesiæ in doctrinam et disciplinam qualem exhibebat Pseudo-Isidorus.* — Est factum omnino certum, quod neque ab adversariis negatur, falsas decretales, præsertim ex quo in codicem Gratiani transfusæ sunt, ubique assensum obtinuisse : ita ut doctrina et disciplina ab Isidoro et, quod idem est, a Gratiano exhibita, admissa constanter fuerit per plura sæcula, a Romanis Pontificibus, a conciliis, ab Episcopis totius christiani orbis, et in scholis catholicis tanquam laudabilis tradita. Aliunde autem Ecclesia errare nequit in approbando aliquam doctrinam aut aliquam disciplinam generalem. Et licet Ecclesia approbando doctrinam quæ communiter in scholis catholicis traditur, non certa faciat argumenta per quæ doctores illam adstruunt, doctrinam tamen ipsam certam facit. Nec catholicus est, sed plane hæreticus, qui sustinet abusum et perniciem esse disciplinam aliquam universalem et ab universa Ecclesia ad-

missam et probatam, ut in tractatibus de Ecclesia probari solet. Ergo disciplina quam exhibent Isidori et Gratiani codices, utpote ab universa Ecclesia probata, et in praxim universalem de facto inducta, ab omni viro catholico debet admitti ut bona et laudabilis. Sed bona et laudabilis non esset, si genuinam et retinendam veteris Ecclesiæ disciplinam immutasset, si jus Romanorum Pontificum ultra limites extendisset, si jura Episcorum et conciliorum provincialium evertisset, si rei ecclesiasticæ exitiale vulnus, ut aiunt, intulisset; ergo illa omnia mala per falsas decretales invecta nihil aliud sunt quam figmenta, in sanctam et a Christo infallibilitate donatam Ecclesiam prorsus injuriosa, et ab hæreticali isto principio profecta, quod errare possit Ecclesia doctrinam aliquam probando, aut sectando, proponendove et recipiendo disciplinam aliquam universalem.

Videant qui tam incaute, post Fleury, Quesnel, Van Espen et istiusmodi alios venenatos auctores, de disciplina a falsis decretalibus introducta lamentantur, an profiteri audeant fallibilem Ecclesiam in disciplinis universalibus.

Cæterum probavit quidem Ecclesia disciplinam juxta quam Isidorus scripsit; de authenticitate autem monumentorum ab ipsa adductorum nullum judicium tulit. Omnes quidem scholæ catholicæ monumenta illa ut genuina habuerunt; sed infallibilis non est unanimis scholarum consensus nisi in doctrina quam unanimiter tenent, non autem quoad argumenta et facta in probationem adducta. Ne erret in doctrina unanimis scholarum consensus, debuit Deus providere, quia alioquin erraret ipsa Ecclesia; quod autem infallibilis etiam sit in adhibitis probationibus, necesse non est; quod præclare exposuit Melchior Cano (De locis theologicis).

Veneno plena sunt illa ubique recurrentia de prioribus Ecclesiæ sæculis præconia, quibus impugnatur indirecte tanquam lugenda dejectio posterior ejusdem Ecclesiæ disciplina, quasi fluminis illius vitales undæ possint unquam,

etiam in crassissimæ ignorantiæ temporibus, luto permisceri, et potantibus pestem pro divinis augmentis infundere ! Quas incautorum hominum declamationes libet hic, non gravioribus Ecclesiæ doctoribus et sanctorum effatis, quæ ubique occurrunt, sed suspecti etiam viri confessione retundere. Sic Erasmus : *Quum Ecclesia, quemadmodum res cæteræ mortalium omnes, habeat rudimenta, progressum et summam, nunc subito illam ad primordia revocare, nihilo fit absurdius, quia rerum status multa commutavit in melius. Olim clanculum in ædes privatas conveniebant pauci christiani, nunc in templum publicum et consecratum congregantur omnes. Utrum decentius?... Olim in cœnis sumebatur Eucharistia in quibus, teste Paulo, alius esuriebat, alius ebrius erat : nunc a jejunis sumitur ad sacram mensam. Utrum religiosius ? Olim in Ecclesia alius habebat hymnum, alius apocalypsim, alius psalmum : alius loquebatur linguis, alius prophetabat, et interim garriebant mulierculæ : nunc certis hominibus distributa sunt officia ; cæteri taciti compositique auscultant aut orant. Numque religiosius ? Olim in nocturnis vigiliis cursitabatur ad sepulcra martyrum a pueris, puellis, viris, monachis, uxoribus, sacris virginibus. At flagitia quæ sub umbra pietatis admittebantur persuaserunt ut hoc vigiliarum genus tolleretur. Noctu populus obambulabat cum candelabris argenteis canens hymnos, et interdum... hymni versi sunt in rixam, candelabra in arma... Olim corpus Domini dabatur in manum...; populi suffragiis creabantur Episcopi ; ejusdem libine dejiciebantur...; res erat plena tumultus interdum et cædis. Itaque res ipsa persuasit ut penes paucos ac certos homines esset jus designandi Episcopos aut etiam submovendi... Olim Ecclesia nullas habebat scholas publicas, dumtaxat in re theologica : solus Episcopus erat doctor omnium ; liberum erat monachorum genus... Nunc redacti sunt necessario in vitæ genus adstrictius. Olim adversus hæreticos non pugnabatur nisi gladio spiritus ; verum posteaquam eo pervicacia studiorum efferbuisset, ut res ad cruentum orbis*

tumultum spectare videretur, coacta est potestas Cæsarum legibus et armis publico occurrere discrimini. Quid multis? Si Paulus hodie viveret, non improbaret, opinor, præsentem ecclesiæ statum : in hominum vitia clamaret... » (Apud Zaccaria, Antif. diss. 3, c. 5, in fine.)

Cui de falsis decretalibus quæstioni finem faciendo, id etiam adnotare inutile non erit, immerito gloriari protestantes, quod primi imposturam detexerint, atque vel ex crassa ignorantia vel egregie mentiendo idem affirmasse Claudium Fleury. Jam supra plures recensuimus viros catholicos quibus fraus prius perspecta fuerat, quam de illa ullus protestans quæstionem movisset : aliam a Joanne Polito exhibitam indicationem subjungimus :

« Ut antiquiores (vide epistolam cardinalis Deusdedit ad » Victorem III, quam ediderunt Ballerini *in Append. ad* » *S. Leonem*, p. 4, c. 14) criticos missos faciamus, qui in Isi- » dorum censoriam virgulam distrinxerunt, Petrus Comestor » sæculo XII (in Hist. schol. ad act. apost.), atque sæculo XV, » Gobellinus (in Comodromio, act. 6, c. 7), cardinalis Cusa- » nus (De conc. cath, l. III, c. 2), Enricus Kalteisenius (in » tractatu : an imperium sit unquam a Romanis ad Græcos » translatum), Isidorum de falsi crimine postularunt; ut » proinde dicendum sit Claudium Fleury (Hist. eccles., » l. XLIV, n. 22), palpasse protestantibus, cum eos omnium » primos Isidorum ad censorium tribunal rapuisse pronun- » tiavit. Protestantes eorumque simiolos amariore felle re- » spersisse Isidori cineres non negaverim; at catholicos om- » nium primos Isidorianis decretalibus diem dixisse, nemo » ausit inficiari. Quare ac merito Sirmundus ait Blondel- » lum, in ventoso suo opere, cui titulus *Pseudo-Isidorus et* » *Turrianus vapulantes*, actum egisse et Leoni mortuo insul- » tasse. » (Politi, *jurisprudentia ecclesiastica universa*, t. I, Proœmium, quæst. 7.)

CAPUT XI.

DE LIBRO DIURNO. SÆCULO OCTAVO.

Prænotandum. — Exiguus quidem ille liber qui *Diurnus Romanorum Pontificum* inscribitur, sed ad summam celebritatem evectus decimo septimo et sequenti sæculo, tum ob documentorum quæ continet gravitatem, tum etiam et maxime ob suppressam editionem primam quæ Romæ facta fuerat, et subortam inde suspicionem apud Protestantes, Jansenistas et Gallicanos quosdam, in absconso hoc et latebroso codice eximia recondi arma ad profligandam eam quam sibi tribuunt Romani Pontifices infallibilitatis præsertim auctoritatem (1). Rem totam hic paucis narraturi, præmonitum lectorem volumus, nos secutoros præcipue præclaram Patris Zaccariæ dissertationem, quam edidit in sua *Bibliotheca rituali* (tomi secundi secunda parte, dissertatio 2, p. cclii, edit. Romæ, 1781).

Ad vocabulum *libri Diurni* quod attinet, videtur eo tempore quo descriptus est, voces *diurnus* et *quotidianus* pro synonymis fuisse usurpatas; quod ex eodem libro patet : nam cap. 7, Privilegio 13 (secundum Garnerii editionem) sic legitur : *diurnis sanctæ disciplinæ precibus decorandos,*

(1) Dictum mihi Parisiis (verumne an falsum, non mihi adhuc plane constat), paulo post expugnatam et occupatam Romam a Generali militum duce Oudinot, aliquem ex Instituto Franciæ (un membre de l'Institut) eodem venisse, et codicem manuscriptum *libri Diurni* transcripsisse, ea mente ut eum Parisiis ederet, litemque iterum moveret. Inania autem hujusmodi molimina, vel ex perpensa diligentius quæstione, vel certe ex non defuturis confutationibus ipse agnoscet. Parcendum tamen viro laico, in re ecclesiastica hospiti, quod in spem hujusmodi, ex primo rei (cæteroquin inquisitione dignissimæ), intuitu, abreptus sit.

ubi vox *diurnis* idem procul dubio significat ac *quotidianis*.

Ideo autem liber sic inscriptus fuisse videtur, quod formulas, quarum frequens seu quotidianus usus erat, contineret.

Quid vero liber ipse, sic describit Garnerius : *Romani Diurni nomine appellatur codex in quo, præter formulas scribendi, quibus sexto, septimoque et octavo sæculo atque etiam nono summi Pontifices uti solerent, continentur insuper ordinationes summi Pontificis et Episcopi suburbicarii, cum suis omnibus adjunctis, professiones fidei, privilegia, præcepta, concessiones, aliaque hujusmodi non pauca.*

§ V.

Quinam olim mentionem fecerint de libro Diurno.

1° Ivo Carnutensis (Decreti parte 4, cap. 132) sic *ex libello Diurno* refert partem professionis fidei quam post electionem suam solebant Romani Pontifices emittere : *Sancta octo universalia concilia, id est 1 Nicænum... ad unum usque apicem immutilata servare, et pari honore et veneratione digna habere, et quæ prædicarunt et statuerunt omnimodis sequi et prædicare ; quæque condemnaverunt, ore et corde condemnare profiteor.* Idem præterea Ivo, in epistola 60 ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum : *In libro quoque Pontificum qui dicitur Diurnus, ita continetur de professione Romani Pontificis : nihil de traditione quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam et servatam reperi, diminuere vel mutare.*

2° Gratianus (Distinctione 16, c. *Sancta*) : *Item ex Diurno libro professio Romani Pontificis.* Post hunc titulum ponit Gratianus eadem quæ modo ex Ivone transcripsimus. Ad hunc Gratiani locum correctores Romani (illi nempe qui ex

jussu Pii V *Corpus juris canonici* correxerunt) sic notant : *Item ex Diurno integram professionem fidei, quando quis in Romanum Pontificem promovebatur, refert Deusdedit cardinalis, in collectione canonum quæ servatur in Bibliotheca Vaticana.*

3° De libro Diurno mentionem etiam fecit S. Anselmus Lucensis in sua canonum collectione, teste Garnerio (in Præfatione ad suam *libri Diurni* editionem).

4° Antonius Augustinus non cognoscebat exsistentiam libri Diurni; professionem tamen fidei ex illo a Gratiano et Ivone citatam noverat : *Hic liber,* inquit, *non exstat, quod sciam, hoc titulo; professionis tamen vidi aliquot exempla* (Dial. 20). Baronius integram hanc fidei professionem refert ad annum 869.

Et ita quidem res se habebat ante Holstenium, qui primus repertum Romæ codicem edidit, eo singulari exitu, qui eruditos postea ad acriter concertandum impulsurus erat.

§ II.

De codice romano, de modo quo ab Holstenio editus est, et a Romana Sede suppressus, et de suppressionis causa.

Exstabat Romæ vetustus libri Diurni membraneus codex in octavo, venerandæ antiquitatis, siquidem ab octingentis annis exscriptum existimavit Mabillonius. Illum in Vaticana bibliotheca repositum dixerunt Petrus de Marca (Concordia, l. 1, c. IX, § 7), et Antonius Arnaldus (Recueil de diverses pièces, p. 71); sed erraverunt. Erat is codex Romæ quidem, sed in bibliotheca monasterii Cisterciensium Sanctæ Crucis in Jerusalem. Præerat monasterio abbas doctissimus Hilarion Rancatus, quando celeberrimus Lucas Holstenius, qui de re litteraria tam bene meritus est, et quem Zaccaria vocat

magnum illum librorum helluonem, bibliothecarii in Vaticano munus obibat. Codicem a Rancato petiit sibi ad brevissimum tempus commodari Holstenius. Obtinuit, et una nocte transcribendum curavit.

Audierat autem Holstenius alterum magnæ antiquitatis ejusdem libri exemplar Parisiis, in collegio Jesuitarum *Claromontano* dicto (hodie Louis-le-Grand), apud P. Sirmundum servari. Scripsit ad patrem Sirmondum, et adhibitis simul auctoritate et litteris cardinalis Francisci Barberini, codicem obtinuit sibi transmitti, anno 1646. Illum postea P. Sirmondo remisit, et in sua editione illo parisino codice non usus est.

Non multo post prælo suum commisit. Exemplar hujus editionis vidit P. Zaccaria, qui sic testatur : *Impressum vidi Vaticanum Holsteniani operis exemplum in octavo, nemini, quod sciam, hactenus notum.* Deerat titulus impressus, quem sic propria manu Holstenius affixerat : *Diurnus Pontificum, sive vetus formularium, quo S. R. Ecclesia ante annos mille utebatur. Lucas Holstenius edidit cum notis. Romæ, typis Lud. Griniani,* 1650. Porro notas illas in titulo promissas nondum ediderat Holstenius, neque edidit postea. Mutatæ etiam fuere ultimæ sexdecim paginæ.

Divulgando operi censores Romani obstiterunt, Holstenio indicantes supersedendum et exspectanda æquiora tempora.

Scripsit interea Holstenio Petrus de Marca, die 1 Januarii 1660, se in ea cogitatione versari, ut peculiarem de *exemptionibus monachorum* tractatum aggrederetur. Rescribens Holstenius simul misit duo priora folia (1) et postremum folium libri Diurni a se editi, eo quod in istis foliis exstarent antiquæ formulæ privilegiorum monasteriis concessorum a Romanis Pontificibus. Ea folia Baluzio, Labbæo

(1) Quodlibet ex istis foliis continebat paginas 16, siquidem liber in-8° erat.

et Launoio communicata sunt. Mox Cœlius Piccolominæus, tunc in Gallia nuntius, eadem folia recuperavit e manibus Petri de Marca, et retinuit. Obiit Holstenius mense Februario anni 1660; et postea, id est, circiter anno 1662, liber Diurnus, cujus divulgatio, ita sentientibus Romanis censoribus, hucusque dilata fuerat, decreto omnino suppressus est.

Hinc ingentes hæreticorum et aliorum querelæ : *Suppressionem illam* (ait heterodoxus Fabricius, *in Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis*) *a curialibus magistris et inquisitoribus factam Romanis, utpote non modo tanquam injustam et cognitioni antiquitatis ecclesiasticæ inopportunam, sed contumeliosam quoque in Pontificem et Ecclesiam Romanam, variis epistolarum locis exagitat Launoius.* E Protestantium secta Tentzelius non minus acriter in hanc suppressionem invehitur : *Launoius exiguum fragmentum, duas nimirum fidei professiones... nactus est, easque tam fortiter contra curiæ Romanæ asseclas ursit : quid putas eum facturum si integro libro potitus fuisset?* (Exercit. 9, p. 354.) Eademque de causa lutheranus Antonius Reiserus Launoium vocat *testem et confessorem veritatis evangelico-catholicæ.* Quæ hæreticorum laudes digna Launoio fuere effrænis et dementissimæ audaciæ præmia.

Baluzius (*Notæ ad Augustini tractatum de emendatione Gratiani*, p. 335) suspicatus est ideo suppressum librum Diurnum, *quia in initio nimium multa circa electionem Romani Pontificis tribuuntur imperatori et exarcho apud Ravennam commoranti.* Alii alias excogitarunt suppressionis causas. Veram autem causam patefecit Zaccaria, et hæc est :

In secunda *professione fidei* Romani Pontificis (editio Garnerii, pag. 41), simul cum monothelitis damnatur Honorius Papa : *Auctores vero novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum et Petrum Constantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit.* Porro scimus unum inter consultores congregationum Indi

cis et Sancti Officii præstantissimum, cui liber traditus fuerat ut de eo judicium ferret, non divulgandum opus judicasse. Fuit is Johannes Bona, tunc generalis Bernardinæ congregationis abbas, postea vero Cardinalis; cujus judicium, pro insigni doctrinæ et pietatis fama qua merito fruebatur clarissimus vir, multum valere debuit apud Alexandrum VII aliosque Romanos proceres. Illam autem Bonæ opinationem, ab ipsomet propria manu descriptam, detexit et transcribere potuit P. Zaccaria, his scilicet verbis concinnatam : *Post Lucæ Holstenii mortem, notæ quas promisit, nullibi inventæ sunt* (1). *Et cum folio* 59, *in professione fidei electi Pontificis, n°* 11, *damnetur Honorius Papa ideo quia pravis hæreticorum assertionibus fomentum impendit, si verba delineata sint vere in autographo, nec ex notis apparere possit quomodo huic vulneri medelam afferat, præstat non divulgari opus.* Ejusdem sententiæ invenimus fuisse celeberrimum P. Sirmondum, circa prædictam professionis fidei formulam. Sic enim ad ipsummet Holstenium scribebat : *De Honorii etiam defensione recte, opinor, judicasti, eam optimam videri quam ex Maximo et Anastasio didicimus. At mihi hac in re non tam insolens videri solet Græcos Monothelitas Honorium in erroris sui trahere invidiam, quam mirandum Romanos olim ipsos in electi Pontificis professione cum hæretici dogmatis auctoribus Sergio, Pyrrho, Paullo et Petro Constantinopolitanis, una etiam Honori nomen infamasse, quod primus* eorum assertionibus fomentum impendisset : *sic enim se habent verba illius professionis ; quam cum inter veteres Ecclesiæ Romanæ formulas, quæ in manus meas venerunt, offendissem, ab illarum editione, cujus spem D. Cardinali Sanctæ Susannæ feceram, hæc una me potissimum caussa deterruit.*

En ergo vera causa suppressi libri Diurni ab Holstenio

(1) Invenit eas postea Zaccaria, sed imperfectas et necdum ordine positas.

editi : ex textu hujus libri videbatur damnari Honorius Papa tanquam qui in monothelismum incidisset. Non fuerant appositæ notæ quibus ille textus explanaretur et lector a pravo sensu præmuniretur. Nondum præterea fuerat tunc temporis factum Honorii plene discussum. His stantibus circumstantiis, prudentis œconomiæ Romanis censoribus visum est edendo hujusmodi libro pro tempore supersedere, et hinc suppressionis decretum : justa profecto de causa, si justum sit Romanam Ecclesiam ea a populis christianis arcere, quæ positis rerum et temporum circumstantiis, noxia forent.

Nunc autem mutatæ illæ circumstantiæ. Probarunt doctores catholici plurimi, reum quidem fuisse Honorium et merito a sexta synodo condemnatum; culpam autem ejus non fuisse hæresis professionem, sed in præpedienda et exstirpanda hæresi conniventem negligentiam. (Circa lapsum Honorii vide Garnerii librum Diurnum, p. 174, edit. 1680, — et etiam Marchesium, Corgnium et Bartholum.)

§ III.

De codice Parisino a Garnerio (Garnier) edito, de alio codice Galliæ, quomodo suum ediderit Garnerius.

Exstabat Parisiis apud P. Sirmundum, ut supra diximus, codex libri Diurni magnæ etiam antiquitatis, cui scilicet Garnerius 900 annos tribuebat; Labbæus vero et Possinus 700 aut 800. Missus ad Holstenium anno 1646, et postea ad Sirmundum reportatus, edebatur Parisiis a P. jesuita Garnier, anno 1680. De isto manuscripto sic anno 1662 referebat ad cardinalem Franciscum Barberinum vir eruditione conspicuus Possinus : *Codex Diurni, qui fuerat apud P. Sirmundum, exstat nunc in manibus patris Labbe, qui ad me scribit*

illum exaratum esse in membrana antiquissima, litteris præ vetustate evanescentibus, et ætatem 700 *aut* 800 *annorum referentibus.* (Translatio ex italico textu, a Zaccaria relato, in *Bibliotheca rituali,* tomi II parte 2, dissert. 2, p. CCLII, edit. Romæ, 1781.)

Exstabat autem et alius in Gallia *Diurni* codex, ut in eadem epistola se a Labbæo didicisse testatur Possinus : *Jam vero codex ille* (nempe qui in manibus P. Labbæi) *conformis est* (1) *alteri quem possederat dominus de Montchal* (Archiepiscopus Tolosanus), *et qui nunc in bibliotheca domini Fouquet asservatur. Nec scitur Parisiis exstare aliud libri Diurni exemplar.*

Anno ergo 1680, P. Garnerius codicem edidit illum qui fuerat apud P. Sirmundum et postea apud P. Labbe, et qui est in multis diversus ab eo quo usus fuerat Romæ Holstenius. Notas et dissertationes adjecit eximiæ eruditionis, licet in quibusdam castigandas, ait Zaccaria, utpote quæ aliquid ex gentis suæ præjudicatis opinionibus retinent.

Dicit autem P. Garnerius a se nunc *primum* in lucem edi librum Diurnum ; ex quo sequitur ignotam illi fuisse Romanam Holstenii editionem. Nec mirum, cum suppressa hæc fuerit. Quod autem Holstenio acciderat, idem P. Garnerio imminere rumor sparsus est. Ita quod hac fama deceptus P. Papebroch, crediderit Garnerii librum fuisse revera Romæ a congregatione Indicis confixum. Licet vero Romæ tunc agitatum fuerit utrum in Indice reponendus esset liber, et ob easdem forte rationes quæ Holstenianum impediverant, tamen hodie constat nullum condemnationis exiisse decretum.

An et ubi nunc exstent duo Galliæ codices, ignoramus : Romanum vero cum multis Holstenii qui eo usus est notis,

(1) Agitur de conformitate quoad phrasim tantum de qua inquirebat Cardinalis Barberini.

in bibliotheca Vaticana asservari, hac ipsa qua hæc scribimus die certiores facti sumus.

§ IV.

Divulgatus tandem anno 1724 liber Diurnus Holstenii, et quomodo.

Cum Ecclesiam regeret anno 1724 Benedictus XIII, repertum est in angulo Vaticanæ bibliothecæ Holsteniani *Diurni* exemplar. Deerat titulus, quem propria manu Holstenium supplesse supra diximus; deerant et 16 ultimæ paginæ. Editores titulum ita finxerunt : *Liber Diurnus Romanorum Pontificum, ex antiquissimo codice manuscripto nunc primum in lucem editus. Romæ typis Vannacci,* 1758; sub quo solo titulo nota est nunc apud eruditos Holstenii editio. Ultimas autem 16 paginas ex Garnerio suppleverunt. Titulus ergo ille tum quoad annum, tum quoad typographum est ementitus; nec sinceræ sunt 16 ultimæ paginæ, utpote non ex Romano codice, sed ex Garnerii libro desumptæ.

Hinc plures de libri Diurni nova et numeris omnibus absoluta editione consilium iniere, inter quos Baluze, jesuita Daville, et ejusdem societatis eruditissimus Zaccaria. Quorum tamen nullus tanti momenti propositum exsecutus est.

§ V.

Quanti momenti sit Diurnus liber ad fidei confirmanda decreta et ecclesiasticam illustrandam disciplinam.

Hanc sibi provinciam assumpsit Zaccaria ut ostenderet quomodo singula fidei dogmata novis atque gravissimis ex libro Diurno fulcirentur argumentis. Item ad præcipuas de disciplina quæstiones hinc lumen effundi fulgidissimum. De

quo tota quarta dissertationis suæ parte fuse disserit laudatus auctor, ad quem remittimus. Quædam tantummodo ad Romani Pontificis potestatem pertinentia, quia huic potestati contrarium librum Diurnum multi adhuc existimare solent, hic adnotabimus. Sic in libro isto legimus :

Quo jam vota petentium te exaudiens, pium nobis contulisti pastorem, qui sanctam tuam universalem Ecclesiam, et cunctas dominicas ac rationales sibi commissas oves regere atque gubernare, te Domino Deo et Salvatore nostro protegente, valeat. (Pag. 13, editio Garnerii, 1680.)

Quatenus insit (Papa recens electus) *in Apostolicæ Sedis specula, qui et Christi regat Ecclesiam gregemque rationabilium salubriter dispenset ovium.* (Ibid., pag. 26).

Superscriptio : — *Domino sancto, merito Apostolico, et divina benedictione decorato*, ill (1), *Papæ Patrum, summæ Sedis Præsuli.* (Ibid., pag. 54.)

Paschalis festivitas nos hortatur ad vestri Pontificii remedia convolare, in cujus potestate omnium ecclesiarum consistit ornatus. (Ibid., pag. 57.)

In nomine Domini et cætera. Promitto ego ill, *Episcopus sanctæ Ecclesiæ* ill, *Domino meo sanctissimo et ter beatissimo* ill, *Summo Pontifici, seu universali Papæ, et per vos sanctæ catholicæ Ecclesiæ et Apostolicæ Sedi.* (Ibid., pag. 58.)

Quando ergo in eodem libro legitur Romanum Pontificem sic promittere : *Canones et constituta Pontificum nostrorum ut divina et cœlestia mandata custodire,* quid inde erui potest contra pontificiam auctoritatem, et cur hujus auctoritatis hostes tanta fiducia hæc verba objiciunt? Etiamsi summus Pontifex mutare non posset leges a prædecessoribus latas, non sequeretur illum non posse alias ferre. Præterea cum non alia sit ipsius potestas quam prædecessorum, quod po-

(1) Signum illud *ill* designat in his formulis locum ubi ponebatur nomen, ujus loco nos ponimus N.

tuerunt illi, potest et ille : illi autem poterant certe legem a se latam moderari, et etiam, ita suadente animarum bono, penitus tollere; ergo potest easdem leges successor Pontifex immutare. Unde naturalis verborum sensus indicat promissionem fieri de non mutandis prædecessorum decretis *sine rationabili causa,* et nihil aliud. Quod et praxis perpetua Romanorum Pontificum confirmat.

CAPUT XII.

DE ALIIS USQUE AD GRATIANUM COLLECTIONIBUS.

Prætermissis collectionibus multis, de quibus disserunt Ballerini (De antiquis canonum collect.), præcipuas et celebriores commemorabimus.

I. *Collectio Reginonis,* anno circiter 906. — Celebris est Reginonis Abbatis Prumiensis collectio, ex qua subsecuti postea collectores Burchardus et Ivo plura sumpserunt. Hanc ille ineunte sæculo X digessit, præcipiente Rathbodo Archiepiscopo Trevirensi, in cujus diœcesi situm erat Prumiense monasterium. Divisa est hæc collectio in libros duos, quorum prior de personis et rebus ecclesiasticis tractat, posterior de laïcis; quam divisionem Regino a Martino Bracarensi mutuatus videtur. Incipit primus liber ab *inquisitione* seu *monitione,* id est, ab articulis secundum quos Episcopi interrogare debebant circa res et personas ecclesiasticas. Hæc eadem inquisitio iisdem terminis legitur inter Hincmari capitula. Unde vel Regino illam desumpsit ex Hincmaro, vel uterque ex antiquiori formula. Similiter in libro secundo, capite 5, proponitur inquisitio Episcopi circa laïcos. Post utramque autem hujusmodi inquisitionem subjiciuntur *auctoritates canonicæ,* id est, canonum et decretorum loca, quæ firmant singulos harum inquisitionum articulos; et istæ auctoritates desu-

muntur non tantum ex canonibus conciliorum, et Romanorum Pontificum decretis, sed interdum etiam ex codice Theodosiano, ex capitularibus regum Francorum, et ex legibus Burgundiorum et Ripuariorum. Raro allegantur supposititiæ collectionis Isidorianæ decretales. Hanc collectionem edidit Baluzius Parisiis, anno 1671.

Sub finem decimi sæculi collectionem aliam compilavit Abbo, Floriacensis monasterii abbas, cui hic præficitur titulus : *Incipiunt Canones Domni Abbonis abbatis... excerpti de aliis canonibus.*

II. *Collectio Burchardi.*— Plures crediderunt Burchardum fuisse monachum benedictinum monasterii Lobiensis in Germania ; quod negant Ballerini (De antiq. collect. canonum parte 4, c. 12), contendentes eum fuisse canonicum et capellanum regium. Certum est eum ante annum 1002 fuisse ad episcopalem cathedram Wormatiensem evectum , et obiisse anno 1025. Constat Burchardi collectio 20 libris et præfatione. Adverterunt Ballerini præfationem hanc in editione vulgata discrepare a manuscriptis codicibus quos invenerunt. Idem et nos advertimus in veteri codice de quo non agunt Ballerini, et qui exstat Romæ in bibliotheca Barberina , quem cum editione vulgata conferendo, invenimus editorem plures phrases immutasse ut eas elegantioris latinitatis forma donaret. Multa apocrypha ex Pseudo-Isidoro transcripsit Burchardus. Quædam tribuit synodis et Pontificibus, qui tamen talia dixisse in iis quæ exstant monumentis non reperiuntur. Hinc quidam putarunt periisse ea synodorum et Pontificum effata, et ex Burchardo qui ea servavit esse supplenda. Sed Baluzius putat ea potius deprompta fuisse a capitularibus Francorum regum, et ex libris Ferrandi Diaconi, sed maluisse Burchardum eadem inscribere nominibus antiquorum Conciliorum et Patrum; quod si verum esset, ad fraudem Isidori Mercatoris aliqua ex parte accederet.

III. *Collectio sancti Anselmi, Lucani episcopi.* — Vixit et scripsit sanctus Anselmus tempore sancti Gregorii VII, cui et addictissimus fuit. Nondum edita est illa collectio, licet multis vetustis codicibus fuerit hodiedum conservata. Codex Vaticanus inscriptus 3531, sic habet, post librorum indicationem seu tabulam : *Incipit authentica et compendiosa collectio regularum et sententiarum Sanctorum Patrum et auctorabilium Conciliorum, facta tempore Gregorii Sanctissimi Papæ, a B. Anselmo Episcopo Lucensi ejus diligenti imitatore et discipulo, cujus jussione et præcepto desideranter consummavit hoc opus.*

IV. *Collectio Cardinalis Deusdedit.* — A sancto Gregorio VII Cardinalis creatus est Deusdedit. Duo composuit opera; alterum sub Victore III digestum, est collectio canonum; alterum tempore Urbani II, est potius tractatus quidam polemicus contra rerum ecclesiasticarum simoniacos et schismaticos illius temporis invasores. Hujus divisionem posterioris operis sic exponit ipsemet Deusdedit : *Quatuor itaque sunt de quibus, Deo auctore, scribere proponimus. Primum quod regi non liceat sacrosanctis ecclesiis Episcopos constituere. Secundum de simoniacis, schismaticis et eorum sacerdotio et sacrificio, etc. Tertium quod clerus a sæcularibus pasci debet atque honorari, non infamari, etc... Quartum quod sæculari potestati non liceat in Ecclesiam Clericos introducere vel expellere, nec res ecclesiasticas regere vel in sua jura transferre.*

Alteri operi, nempe canonum collectioni, post catalogum Romanorum Pontificum, præficitur epistola cardinalis Deusdedit ad Victorem III, in qua inveniuntur quædam de Sedis Romanæ privilegiis notatu digna. « Novit Beatitudo vestra, » inquit, quod sancta Romana Ecclesia idcirco omnium ec- » clesiarum mater inscribitur et creditur, quoniam B. Petrus » ipsius institutor, prius patriarchalibus sedibus in Oriente, » et postea e latere suo primos dedit pastores omnibus urbi- » bus quæ sunt in Occidente. Ipsi Apostolo hæc ordinatio

» maxime competebat, cui principaliter Christus Dei Filius,
» cœlestis regni clavibus traditis, suas oves pascere jusserat,
» cuique fratres suos in eadem fide confirmare præceperat. Cu-
» jus tam excellentissimi privilegii insignia munera diligenter
» attendentes 318 Patres qui in Nicæno consederunt concilio,
» statuerunt (ut Athanasius Episcopus Alexandrinus scribit
» B. Felici Papæ), non debere absque Romani Pontificis sen-
» tentia concilia celebrari, nec Episcopos damnari, et omnia
» majora negotia ad ejusdem judicium debere deferri. Sed
» et Sardicense Concilium quod 300 Episcopos habuit, teste
» universali synodo... eadem statuit, et ita inter cætera
» B. Papæ Julio scripsit: *Optimum et valde congruentissimum*
» *esse videbitur, si ad caput, id est, ad B. Petri Apostoli Se-*
» *dem, de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacer-*
» *dotes.* Huic etiam ante illam synodum tantum reverentiæ
» ab antiquis Patribus legitur impensum fuisse, ut ille in-
» signis martyr Cyprianus, Africanæ provinciæ Primas, lega-
» tur in suis epistolis presbyterorum et diaconorum, Roma-
» nam Ecclesiam post martyrium Fabiani gubernantium,
» statutis humiliter paruisse, et eorum quæ apud suam pro-
» vinciam gerebantur, directis ad eos epistolis, rationem
» reddidisse. Quin etiam idem clerus legitur in epistolis ad
» eumdem Cyprianum missis, et ad Siciliam, et ad diversas
» partes epistolas direxisse, et nondum præsidente Cornelio,
» pro imminentibus tunc negotiis etiam ad celebrandam Ro-
» mæ synodum Episcopos convocasse. Quæ cum ita sint, satis
» impium videtur, quemlibet qui christiano nomine glorie-
» tur, christianis temporibus Romanæ Ecclesiæ monitis non
» acquiescere, cum sub persecutionis crudelitate Deo digni
» Pontifices tam devote paruerint, etiam dum careret Ponti-
» fice. » Præfationem hanc integram ediderunt Ballerini. (De antiquis collect. canonum, parte 4, c. 14.)

Cardinalis Deusdedit multa ex archiviis Lateranensis ecclesiæ desumpsit ad Patrimonium Sancti Petri pertinentia,

et quorum plura nondum fuerunt edita. Profert integra privilegia Romanæ Ecclesiæ data a Ludovico Pio, Ottone et Henrico I, juramenta Roberti Ducis Apuliæ, ac Jordani et Ricardi principum Capuæ, et id genus alia.

V. *Collectio Bonizonis.* — Bonizo, Sutriensis et postea Placentinus Episcopus, collectionem suam canonum scripsit circa annum 1089. Eam in decem libros divisit, quibus singulis præfigitur argumentum seu materiæ tractandæ indicatio. Hæc argumenta ex codice Brixiensi ediderunt Ballerini (De antiquis collect. canonum, parte 4, c. 15).

VI. *Sancti Ivonis Carnutensis duplex collectio.* — Ivo, in agro Bellovacensi natus sub medium sæculum XI, et anno 1078 constitutus Abbas monasterii Bellovacensis Sancti Quintini, ordinis canonicorum regularium, tandem Episcopus Carnutensis electus anno 1092, mortem oppetiit anno 1115, vel, ut alii malunt, 1117. Vir fuit non solum doctrina egregius, sed etiam zelo, prudentia, constantia, fide et sanctitate conspicuus : ac propterea sanctus Pius V, constitutione data anno 1570, canonicis congregationis Lateranensis concessit, ut die 20 maii Ivonis memoriam celebrarent.

Duæ canonum collectiones Ivonis nomine inscriptæ prodierunt. Una in octo partes distincta *Pannormia Ivonis* appellatur : altera *decretum Ivonis,* quod in 17 partes distribuitur. Utrique eadem affixa præfatio.

Collectionis quæ *decretum* vocatur, Ivonem esse revera auctorem nemo dubitat. De *Pannormia* vero magna inter eruditos movetur contentio.

Præcipuus fons ex quo Ivo canones derivavit, fuit collectio Isidori Mercatoris. Usus est etiam aliquando Reginonis compilatione, ex qua, inter cætera, exemplaria seu formulas litterarum quæ *formatæ* dicebantur (apud Reginonem relata, l. 1, numeris 437, 438, 439) de verbo ad verbum transtulit in suum *decretum,* parte 6, c. 433, 434 et 435. Pleraque vero ex Burchardo sumpsit. Alia non pauca et ipse inseruit, uti sunt

quæ parte secunda *decreti* describuntur adversus Berengarii errores, et quæ parte 16 referuntur ex jure Romano, et ex capitularibus regum Francorum.

VII. *Collectio Gregorii presbyteri.* — Illam sub nomine *Polycarpi* composuit presbyter Gregorius, sub Calixto II Papa, ut putant Ballerini. Præcipuus codex illam continens est Vaticanus, numeri 1354; nondum enim est edita. Dividitur in octo libros, quorum argumentum simul cum præfatione initio operis affixa exhibent laudati Ballerini fratres (De antiquis collect. canonum, parte 4, c. 17).

Sunt et aliæ plures nondum editæ sæculi undecimi collectiones, de quibus agunt iidem Ballerini, loco citato, cap. 18.

CAPUT XIII.

DE GRATIANI COLLECTIONE.

Quis Gratianus. Quo methodo scripserit. Quid paleæ. Quæ libri fortuna. Quæ vitia. Quæ auctoritas.

Natus Gratianus Clusii in Etruria, monasticam vitam sub regula sancti Benedicti amplexus est Bononiæ in monasterio SS. Felicis et Naboris. Celeberrimam collectionem suam ibi edidit circa annum 1151, quam inscripsit, *decretorum canonicorum collectanea, seu concordantia discordantium canonum.* Quod opus totum compegit ex locis Scripturæ sacræ, ex 50 canonibus qui dicuntur Apostolorum, ex conciliis tum generalibus tum particularibus, ex constitutionibus summorum Pontificum, ex sententiis Patrum et plurium scriptorum ecclesiasticorum, ex jure civili Romano, ex capitularibus Regum Francorum, ex historia ecclesiastica, ex libro Diurno, ex Ordine Pœnitentiali, et Pontificali Romano. Vocari solet *Decretum Gratiani.*

Dividitur in partes tres, quarum prima constat *distinctionibus* 101, in canones seu capita distributis : secunda constat *causis* 36, quarum unaquæque subdividitur in *quæstiones*, quæ iterum distribuuntur in canones seu capita : sed in hac secunda parte, una ex quæstionibus, nimirum 3ª causæ 33ª, aliquid peculiare habet : continet enim tractatum *de pœnitentia* in distinctiones 7 divisum. Tertia denique pars de variis rebus agit sub titulo *de consecratione*, et distribuitur in distinctiones 5.

« Percipi vix ac ne vix quidem potest, quid sibi Gratianus » sua hac partitione voluerit. Non enim justam aliquam vi- » detur habuisse causam propter quam postremas distinctio- » nes a primis discerneret, aut varias quæstiones modo sub » causarum, modo sub distinctionum titulo expenderet... » Accedit, quod tam in causis, quam distinctionibus eædem » ferme res explicantur ; ita ut auctor videatur oblitus eorum » quæ jam alio loco pertractaverat. » (Devoti, *De jure can. universo*, t. I, p. 371, edit. Romæ, 1803.)

Distinctiones quidem et causas numeris distinxerat Gratianus, non vero canones seu capitula sub iisdem contenta. Canonibus numeros præfixerunt Antonius Augustinus et Contius, non tamen eosdem : *ego numeros addidi*, ait Antonius Augustinus (De emendatione Gratiani, l. 1, dial. 18) *ante eam editionem, neque divinare potui quid in ea scripturus esset Contius.*

Occurrunt in collectione Gratiani non pauci canones sub nomine *Paleæ*, cujus tituli explicatio pluribus apud eruditos disputationibus locum præbuit. Aliqui putaverunt *paleas* dictos fuisse istos canones, eo quod levioris momenti viderentur; sed prorsus rejicitur opinio hæc, cum canones hoc nomine inscripti minime ab aliis gravitate differant. Alii vocem derivant a græca πάλιν *rursum*, quasi isti canones essent præcedentium repetitio quædam; sed neque hæc sententia fundamentum habet, cum Paleæ differant a canonibus immediate

ante ipsas descriptis. Aliis idem sonant Paleæ ac τὰ παλαία, id est, antiquata; sed non magis antiquati sunt canones qui paleæ dicuntur quam cæteri. Alii exsistimarunt hanc vocem per transcriptorum errorem ortam esse ex istis duabus *post alia;* quod tamen nulla solida ratione probatur. Sunt tandem qui contendunt *paleam* nomen fuisse cujusdam qui hos canones collectioni Gratianeæ addidit. Quidquid sit de his et aliis quas omittimus opinationibus, certum est has Paleas Gratiani non esse, sed aliena deinde manu accessisse; item certum est illas fuisse primum in margine descriptas, et postea translatas in ipsum operis contextum. Hoc enim ex antiquis manuscriptis codicibus compertum habuere eruditi. In tribus scilicet exemplaribus, quæ sunt antiquissima, et videntur scripta paulo post Gratiani ætatem, paucissimæ ex hujusmodi *paleis* habentur. In uno valde emendato, sunt appositæ in margine sine ulla nota; sed non omnes quæ nunc exstant in impressis: quamvis vicissim in illo aliquæ hujusmodi additiones sint, quas non habent hodierna exemplaria. In alio litteris perantiquis descripto, Paleæ recentiori scriptura supervenerunt (1). Porro hæc probant canones, qui palearum nomine inscripti sunt, esse additiones quasdam post Gratianum ipsius collectioni appositas.

Statim ac prodiit Gratiani opus, summo ab omnibus pretio habitum est; ita ut in scholis publice legi cœperit, atque in foro tanquam pars communis juris proponi. Nam cæterarum collectionum in Occidente vix ulla amplius habita ratio est, omnesque ad Gratianum interpretandum aut illustrandum industriam suam converterunt. Plures autem fuere causæ propter quas ea collectio tanto omnium plausu exciperetur; et earum quædam ad temporum rationem, quædam ad ipsam operis præstantiam referendæ sunt.

(1) De his manuscriptis agit Præfatio in editionem Corporis juris canonici, Coloniæ Munitianæ, 1783 (quam editionem utpote accuratissimam præ cæteris commendamus).

Scilicet tunc recens invaluerat scholasticæ theologiæ methodus, auctore inter cæteros vel patrono Petro Lombardo, qua in utramque partem de singulis instituebatur disputatio, omniaque ad concordiam vocabantur. Ea methodo usus est Gratianus : idcirco omnium ad se studia convertit... Accedit quod eadem ætate jus civile Romanorum in Italia reviviscere ac plurimi fieri cœpit, et Gratianus ex eo jure multa desumpsit.

Sed ipsa operis præstantia magnam ei commendationem et hominum exsistimationem conciliavit. Nam Gratianus summo studio ac diligentia vetera complexus est, non ordine servato temporum, sed ratione habita materiarum. Collectionem dedit multo copiosiorem cæteris quæ antea prodierant. Magnoque ingenii acumine, quæ inter se pugnare videbantur, ad concordiam vocare studuit.

Peccavit autem Gratianus (quæ illius temporis conditio erat) monumenta desumendo, non ipsis ex fontibus, sed ex mendosis collectionibus Burchardi, Ivonis et aliorum, qui et ipsi ex Isidori Mercatoris collectione hauserant. Hinc falsis decretalibus pro genuinis utitur : confundit canones Quinisextæ synodi, cum canonibus sextæ œcumenicæ : confundit item sententias Patrum cum decretis Romanorum Pontificum, et unum concilium aut Pontificem cum alio concilio aut Pontifice : corrumpit auctorum et locorum nomina. Neque enim antiquitatis, neque linguæ græcæ gnarus fuit.

Quæ omnia Gratiani menda præclare inter alios correxit Berardi, composito in hanc rem eximio quatuor voluminum opere, in quo spuria et dubia a genuinis accurate distinguuntur.

Quomodo vero auctoritate sanctæ Sedis peracta sit decreti Gratianei correctio, dicetur infra.

Ad auctoritatem hujus collectionis quod attinet, sic esse tenendum multi docent : omnia nempe quæ in eo referuntur, vim eamdem habere ac si seorsim a collectione Gratiani spec-

tentur, non aliam : nunquam scilicet a Romanis Pontificibus donatum esse auctoritate publica decretum Gratiani; licet quidam immerito opinati sint illud ab Eugenio III approbationem et vim legalem accepisse : quin etiam Gregorium XIII (qui antea, cum Cardinalis esset, huic operi emendando a Pio IV et V præpositus fuerat), ei pontificiam auctoritatem tribuere noluisse, quamvis jam absolutum et emendatum prodiret.

At vero rationes illæ minime probant Gratianeam collectionem privati tantum doctoris auctoritate valuisse. Considerari enim potest collectio illa, tum ratione originis, tum historice, seu ratione modi quo ab Ecclesia fuit recepta et adhibita. Et quidem si de origine quæstio sit, certum est compilationem fuisse tantum privati auctoris, et hoc sensu valent allatæ rationes. Si autem spectetur ad usum per plura sæcula universalem quo, non modo in scholis, sed etiam in judiciis, tanquam regula accepta est et adhibita hæc collectio, dicendum ipsi accessisse ex tali ultronea ecclesiarum consuetudine publicam quamdam auctoritatem. Unde dici potest Gratianeam collectionem, quæ originarie privata tantum erat compilatio, ex usu et acceptatione generali fuisse in vim codicis publici erectam et quodammodo canonizatam.

CAPUT XIV.

DE COLLECTIONIBUS POST GRATIANUM USQUE AD GREGORIUM IX.

I. *De collectione cardinalis Laborantis anno* 1182. — Cardinalis Florentinus, ob indefessam in labore constantiam Laborans cognominatus, 30 annis post editum Gratiani decretum, collectionem canonum concinnavit, quæ adhuc est

inedita, et de qua disserit et specimina quædam profert Theiner (Disquisitiones in canonum collectiones, p. 402, Romæ, 1836). Porro collectio hæc a Gratianea, qua sola usus est Laborans, non differt fere nisi materiarum ordine, qui omnino diversus est. Quantum autem methodo præstet Gratiano Laborans, ostendit laudatus Theiner in citato opere. At tanta erat Gratianei decreti fama, ut in oblivione remanserit Laborantis opus, atque frustra laborasse videretur, nisi nunc tandem ejus codicem exagitassent eruditi.

II. *De collectione decretalium quæ dicitur prima.* — Illam confecit Bernardus Circa, præpositus Papiensis, anno circiter 1190, ac sub titulo *Breviarii extravagantium*, id est, decretorum quæ extra opus Gratiani vagabantur. Continet antiquiorum Pontificum decretales, canones Conciliorum, et Patrum sententias quæ Gratiani diligentiam effugerant; et præterea constitutiones pontificias post Gratianum editas, id est Alexandri III, Lucii III, Urbani III, Clementis III, et canones Concilii Lateranensis 3. Collectio hæc *Prima* vocari solet, relative ad alias similes quæ subsecutæ sunt.

III. *De collectione secunda.* — Hanc perfecit Joannes Vallensis, addendo constitutiones Cœlestini III. Sed illa collectio sicut et prior studio privato exarata est, nulliusque Pontificis auctoritate firmata.

IV. *De collectione quæ dicitur tertia.* — Sub Innocentio III edita est, et huic accessit pontificia auctoritas, quod nondum pro anterioribus collectionibus usurpatum fuerat.

V. *De collectionibus quæ quarta et quinta dicuntur.* — Quarta superioribus addidit posteriores decretales Innocentii III et canones concilii Lateranensis.

VI. Quinta vero decretales Honorii III complectitur et sicut duæ præcedentes, auctoritate Sedis Apostolicæ vulgata est. Sed quinque illæ collectiones in oblivionem abiere quando sub Gregorio IX prodiit celebris collectio quæ proprio nomine *decretalium* ex tunc decoratur.

CAPUT XV.

DE COLLECTIONE DECRETALIUM AUCTORITATE GREGORII IX.

§ I.

In quem finem et quomodo edita.

Concilium iniit Gregorius IX ex variis quæ præcesserant collectionibus novum et authenticum exarare codicem, in quo, resecatis quæ vel antiquata jam erant, vel minus utilia, vel confusione et obscuritate laborabant, auctoritate sanctæ Sedis exhiberetur corpus aliquod totius legislationis ecclesiasticæ apte dispositum et vim juris habens. Simile quoddam olim in re civili executus fuerat Justinianus imperator, quem imitari voluisse videtur, in ecclesiastico jure nova forma edicendo, Gregorius IX.

Quod grande incœptum ut ad exitum perduceret Pontifex, usus est opera sancti Raymondi de Pennafort, qui Barcinona oriundus, et sancti Dominici institutum amplexus, apud summum Pontificem capellani et pœnitentiarii obibat munus. Is in collectione sua complexus est non tantum decretales Romanorum Pontificum a Gregorio I usque ad Gregorium IX, sed etiam loca quædam Scripturæ sacræ, canones qui dicuntur Apostolorum, decreta conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV, multaque alia, tum ex Patrum, tum ex aliorum scriptorum operibus desumpta. Titulus tamen, eo quod decretales pontificiæ majorem voluminis partem replerent, sic positus est : *Decretalium D. Gregorii Papæ IX compilatio.*

Divisa est collectio in quinque libros. Primus agit de judicibus ecclesiasticis seu de Prælatis; secundus de judiciis

civilibus eorumque ordine; tertius de rebus ecclesiasticis quæ ad forum episcopale deducuntur in civilibus causis; quartus de sponsalibus et connubiis; quintus de judiciis criminalibus, delictis et censuris. Quarum materiarum indicatio et series sequenti versu exprimi solet : *Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.*

Manum operi admovit sanctus Raymundus anno 1230, et nonis septembris 1233 expletam collectionem sequenti constitutione publicavit Gregorius IX :

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis doctoribus et scholaribus universis Bononiæ (in uno manuscripto Vaticano legitur *Parisiis,* et in alio *Bononiæ et Parisiis*) *commorantibus, salutem et Apostolicam benedictionem. — Rex pacificus,* etc... *Sane diversas constitutiones et decretales epistolas prædecessorum nostrorum, in diversa dispersas volumina, quarum aliquæ propter nimiam similitudinem, et quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur, aliquæ vagabantur extra volumina supra dicta, quæ tanquam incertæ frequenter in judiciis vacillabant. Ad communem et maxime studentium utilitatem, per dilectum filium fratrem Raymundum, capellanum et pœnitentiarium nostrum, illas in unum volumen (resecatis superfluis) providimus redigendas; adjicientes constitutiones nostras et decretales epistolas, per quas nonnulla quæ in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis et in scholis, districtius prohibemus ne quis præsumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali.* Habetur illa pontificia epistola in Corpore juris canonici, ante libros decretalium.

§ II.

Quomodo differat a Gratianea quoad auctoritatem.

Maxime advertendum est discrimen hujus a Gratianea collectione quoad auctoritatem. Gratiani enim decretum, ut supra monuimus, nullam *per se* (1) habet publicam auctoritatem; sed quæ in eo reperiuntur tantum valent quantum valerent si ea non collegisset Gratianus, ita ut nulla ipsis ex collectione ipsa supervenerit publica auctoritas. Quinque autem libri decretalium Gregorii IX, utpote ab ipso editi ut in judiciis pro regula vim juris habente usurparentur, nihil continent quod non vim legis habeat (2). Unde factum est ut etiam ea quæ ante ipsum respui forte potuissent, sive quia minus authentica, sive quia jam antiquata viderentur, non minori quam cætera vi pollere cœperint, ex eo quod collectionem hanc ingressa sint.

Quod autem dicitur de quinque decretalium Gregorii IX libris, idem dicendum de libro sexto decretalium, et de Clementinis, utpote per similem pontificiam vulgationem juris publici factis.

Hinc canonistæ in exponendo ecclesiastico jure, non Gratiani decretum, sed decretales tanquam juridicum codicem sequuntur et commentariis adornant.

(1) Dicitur *per se;* nam ex generali usu quo de facto in judiciis et scholis usurpata est Gratiani collectio, per plura sæcula majorem quam privati collectoris auctoritatem habuisse videtur, sed hoc ex ecclesiarum ultronea consuetudine, non ex ullo sanctæ Sedis decreto.

(2) Postea tamen novis mutationibus ab auctoritate Ecclesiæ suprema introductis, aut etiam oppositis et legitime præscriptis consuetudinibus, plura vim legis amiserunt.

CAPUT XVI.

DE ADDITIS GREGORIANÆ COLLECTIONI, SEU DE SEXTO DECRETALIUM LIBRO, DE CLEMENTINIS ET EXTRAVAGANTIBUS, DE BULLARIO BENEDICTI XIV, ET DE BULLARIO ROMANO.

I. *De sexto decretalium.* — Post editam Gregorianam collectionem, novæ a Pontificibus Romanis prodiere constitutiones, quas authentice colligi opportunum existimavit Bonifacius VIII. Opera ergo Guillelmi de Mandagotto Archiepiscopi Ebredunensis, Berengarii Fredoni Episcopi Biterrensis, et Cardinalis Richardi de Senis, in unum redegit anno 1298, tum Gregorii IX decretales post collectionem ipsius editas, tum sequentium Pontificum, tum etiam canones duorum generalium conciliorum Lugdunensium, quæ anno 1245 et 1274 habita fuerant. Inscriptus est liber, *Sextus decretalium,* ut nempe tanquam additamentum quinque Gregorianis libris accederet. Illum promulgavit Bonifacius VIII, per constitutionem *Sacrosanctæ Romanæ,* ad doctores et scholares universitatis Bononiensis directam, in cujus fine sic legitur : *Universitati vestræ igitur per apostolica scripta mandamus, quatenus librum hujusmodi cum multa maturitate digestum, quem sub bulla nostra vobis transmittimus, prompto suscipientes affectu, eo utamini de cætero in judiciis et in scholis : nullas alias præter illas quæ inseruntur aut specialiter reservantur in eo decretales aut constitutiones, a quibuscumque nostris prædecessoribus Romanis Pontificibus post editionem dicti voluminis* (nempe Gregorii IX) *promulgatas recepturi ulterius, aut pro decretalibus habituri.* Quæ autem sic mandabantur universitati Bononiensi, sufficienter in

legem universalem ubique introducebantur, eo quod ad hanc universitatem jurisprudentiæ discendæ causa ex omni regione tunc temporis accederent. Probabile est insuper eamdem bullam ad cæteras quoque universitates fuisse directam.

Sextus decretalium dividitur et ipse, sicut Gregoriana collectio, in libros quinque, eadem servata titulorum et materiarum serie.

II. *De Clementinis.* — Clemens V decretales post *Sextum* a sancta Sede emanatas collegit. Cum autem ante publicatam collectionem suam e vivis excessisset, eam publica auctoritate donatam promulgavit Joannes XXII anno 1317, sub *Clementinarum* nomine. Continent Clementinæ statuta in concilio Viennensi œcumenico. Dividuntur autem et ipsæ in quinque libros, et eumdem quam *Sextus* et collectio Gregoriana ordinem sequuntur.

III. *De extravagantibus.* — Duæ aliæ collectiones supervenere, sed utraque privato tantum studio, non pontificia auctoritate vulgatæ. Prior continet decretales Joannis XXII, et noscitur sub nomine *extravagantium Joannis XXII.* Posterior habet constitutiones 25 sequentium Pontificum, nempe usque ad Sixtum IV, et usuvenit sub denominatione *extravagantium communium.* Licet privata industria concinnatæ, sensim tamen receptæ sunt tanquam fuissent authentice collectæ, et Corpori juris adjectæ sunt; unde non deberent jam vocari extravagantes, cum a multo tempore desierint vagari extra Corpus juris canonici; sed denominatio hæc, qua primum designatæ sunt, illis immutabiliter adhæsit.

IV. *De Bullario Benedicti XIV.* — Constitutiones suas colligi curavit Benedictus XIV et promulgatione authentica, sicut fecerat Gregorius IX, collectionem hanc munivit. Unde collectio illa plenæ auctoritatis censenda est, non minoris scilicet quam quinque libri decretalium, et liber sextus, et Clementinæ.

V. Collectio autem quæ *Bullarium magnum Romanum* vocari solet, nulla sanctæ Sedis publicatione fuit communita. Licet autem *quatenus collectio* auctoritatem non habeat, id non impedit quin unaquæque constitutio in eo contenta legem faciat, si aliunde constet eam fuisse in legem universalem promulgatam, nec revocatam aut desuetudine sublatam.

CAPUT XVII.

DE CORPORE JURIS CANONICI.

§ I.

Quibus constet partibus.

Constat liber ille, qui a multo jam tempore *Corpus juris canonici* per antonomasiam vocari solet :

1° Decreto Gratiani, ad cujus calcem adjici solent canones pœnitentiales et canones Apostolorum. 2° Quinque libris Decretalium auctoritate Gregorii IX editis. 3° Sexto libro Decretalium. 4° Clementinis. 5° Extravagantibus Joannis XXII. 6° Extravagantibus communibus. His scilicet partibus sex expletur et clauditur Corpus juris canonici.

Obtinuit tamen usus ut in plerisque editionibus duæ aliæ partes ad calcem reponerentur; nempe 1° liber septimus Decretalium, quem Petrus Mathæus Lugdunensis jurisconsultus concinnaverat ex constitutionibus post Extravagantes communes editis. 2° Institutiones juris canonici a Lancelotto conscriptæ.

Codicem autem illum *juris canonici Corpus* dictum, præ manibus habeat, perpetuoque, nostris etiam temporibus, pervolvat necesse est, quisquis in jurisprudentia canonica non vult penitus cæcutire atque hospes remanere. Licet enim

multa immutaverint, tum concilium Tridentinum, tum novæ constitutiones pontificiæ, tum recentiora pro variis gentibus concordata, innumera tamen immota prout in Corpore juris canonici exstant remansere. Est præterea Corpus juris canonici fons amplissimus et necessario adeundus frequentissime, in discutiendis plerisque tum circa dogmata, tum circa disciplinam quæstionibus. Cum enim omnes per plura sæcula scholæ doctores perpetuo ex textibus Corporis juris canonici arguerint et doctrinam suam contexerint, ab eo solum intelligi et perpendi eorum argumenta possunt, cui familiaris erit ejusdem codicis usus.

§ II.

De ratione allegandi Corpus juris canonici.

I. Quæ citantur ex decreto Gratiani, allegantur per *canones :* quæ vero ex decretalibus, per *capitula.*

II. Quæ citantur ex prima parte decreti Gratiani, id est, *ex distinctionibus,* allegantur sic : *c. Audite,* dist. 34 ; quod indicat canonem distinctionis 34, qui incipit per vocem *Audite :* unde, ad inveniendum hunc locum quærenda est distinctio 34, et dein oculis percurrendo initialia verba canonum hujus distinctionis, facile reperietur canon *Audite,* qui est sub n° 6. Aliquando canon non indicatur per verbum initiale, sed per numerum sub quo jacet in distinctione, verbi gratia : *c.* 6, dist. 34. Hodierni aliqui auctores utrumque ponunt, nempe et verbum initiale canonis et ipsius numerum, verbi gratia : c. *Audite,* 6, dist. 34.

III. Quæ citantur ex secunda parte decreti Gratiani, id est, *ex Causis,* sic allegantur : *c. Omnibus,* c. 2, q. 5 ; quod indicat, in quæstione 5ª causæ secundæ, canonem cujus initiale verbum est *Omnibus.* Loco verbi initialis, aliquando ponitur

tantum numerus; unde ad indicandum prædictum canonem *Omnibus*,qui est sub numero 19, sic poni potest : c. 19, c. 2, q. 5; id est, canon 19 causæ 2 quæstionis 5. Auctores aliqui veteres indicant causam per solum numerum omissa littera c; verbi gratia : *c. Aperte*, 24, *q.* 1 ; id est, canon *Aperte* causæ 24, quæstionis 1.

IV. Monuimus supra aliquid peculiare reperiri in *causa* 33. Tertia nempe hujus causæ *quæstio* est tractatus quidam *de pœnitentia*, divisus in septem speciales distinctiones; et ideo modus etiam specialis adhibetur ad allegandos hujus tractatus canones. Citantur sic : *c. perniciose, De pœnit., dist.* 1; id est, canon *perniciose* distinctionis 1 in tractatu *De pœnitentia,* quem tractatum omnes sciunt esse unum et idem cum *quæstione tertia* causæ 33.

V. Quæ citantur ex tertia Gratianei decreti parte, id est, ex tractatu *De consecratione,* sic allegari solent : *c. triforme, de consecr., dist.* 2; hoc est, canone *triforme,* distinctionis 2, in tractatione *De consecratione.* Vel etiam loco verbi initialis poni potest canonis numerus : *c.* 22. *de consecr., dist.* 2.

VI. Ad calcem decreti Gratianei reperiuntur *canones pœnitentiales* et *canones apostolorum.* Citantur autem sic : *c. Pœnit.* 14, — *c. Apost.* 15.

VII. Ad allegandos *quinque libros decretalium*, indicatur primo capitulum per initialem ejus vocem; deinde scribitur titulus libri, tum additur vox *extra* vel *supra* quæ monent textum inveniri extra decretum Gratiani, id est, in quinque libris decretalium; et vox *extra* suppleri potest per litteram X. Verbi gratia : *cap. Quotiens X De pactis;* id est, capitulum cujus primum verbum est *quotiens*, inter decretales, et sub titulo *De pactis.* Quisnam autem sit numerus hujus tituli, et in quo ex quinque libris decretalium inveniatur, non indicari solet. Et ideo in omnibus editionibus Corporis juris apponitur indiculus alphabeticus omnium titulorum. Quærendus ergo primum est titulus in isto indiculo. Pro indicatione

citata, verbi gratia, descendo per istum indiculum usque ad litteram p, et ibi reperio titulum *De pactis* esse titulum 35 libri I decretalium. Aliquoties autem citatio fit sine voce *extra* et sine X : *cap. Quotiens, De pactis.*

VIII. Ad allegandum *sextum decretalium* ponitur in fine citationis *in* 6, id est, in libro 6 decretalium. Verbi gratia : *c. gratia, de rescriptis, in* 6; id est capitulum *gratia,* in titulo *de rescriptis,* in sexto libro decretalium. Quærendus ergo est in indiculo alphabetico titulorum sexti, ad litteram r, titulus de rescriptis; et indiculus docebit hunc titulum esse tertium primi libri in sexto.

IX. *Clementinæ* allegantur sic : *Clem. multorum, de pœn.;* id est inter Clementinas capitulum *Multorum* tituli *De pœnis.* Quærendus titulus *De pœnis* in indiculo titulorum pro Clementinis, et ibi monetur hunc titulum esse octavum libri 5 Clementinarum.

X. *Extravagantes* Joannis XXII allegantur sic : *extrav. Ecclesiæ, De majoritate et ob.;* id est, inter extravagantes Joannis XXII, capitulum *Ecclesiæ,* in titulo *De majoritate et obedientia.* Ille vero titulus quærendus in indice titulorum alphabetico.

XI. *Extravagantes communes* sic allegantur : *extrav. comm. Etsi. De præbend. et dign.;* id est, inter extravagantes communes, capitulum *Etsi,* in titulo *De præbendis et dignitatibus,* qui titulus, quæsitus in indiculo, reperietur esse secundus libri tertii extravagantium communium.

XII. *Liber septimus decretalium* allegatur sicut *sextus,* excepto quod ponatur *in* 7, et non *in* 6.

Institutiones Lancelotti rarius allegantur, cum auctoritatem non habeant.

CAPUT XVIII.

DE CORRECTIONE DECRETI GRATIANI, PUBLICA AUCTORITATE FACTA, SUB PIO V ET GREGORIO XIII.

Viri ad hanc emendationem electi et ex diversis nationibus arcessiti vocari solent *correctores Romani*. Annotationes subjecerunt Gratianeis canonibus ubi opus erat; citationes auctorum mendosas reformarunt et multa alia correxerunt.

Quanti momenti visum sit Pio V et Gregorio XIII arduum illud correctionis opus, quanta prudentia et sollicitudine ad exitum tandem incœptum laborem perduxerint, jam perspicuum omnibus fit ex nuper editis a Theinero (1) congregationis ad id deputatæ actis, pluribusque ab eadem directis et receptis epistolis.

Designavit initio sanctus Pius V cardinales septem et doctores duodecim, quorum omnium nomina habes apud laudatum Theinerum (loco citato). Additi postea duo alii cardinales et doctores tres, inter quos unus et solus ex Gallia Arnoldus Pontacus. Constituerunt sibi ante omnia leges quasdam in correctione Gratiani servandas : in quarum ultima, quæ est sub numero 14, habetur insigne testimonium de collectione canonum a sancto Anselmo Lucensi exarata : *De Anselmo vero Lucensi, decretorum scriptore vetusto, cujus exemplar extat diligentissime manuscriptum apud doctorem Hieronymum Parisetum absque nomine Anselmi, sed sub hac inscriptione,* authentica canonum, *quoniam apud omnes constat auctorem fuisse Anselmum Lucensem, visum fuit in privata congregatione, citationes ex Anselmo propter auctorita-*

(1) *Inquisitiones in canonum collectiones, appendix prima.* — Multa in hoc opere eruditis utilia collegit P. Theiner, e familia S. Philippi Nerii.

tem illius exemplaris hoc modo esse describendas : Anselmus in authenticis canonum.

Habebantur primum congregationes privatæ doctorum quibus præfuit initio cardinalis Alciatus, et postea ipso discedente, cardinalis Caraffa; atque ibi decernebantur correctiones faciendæ.

Tum in congregatione generali cardinalium difficiliora decidebantur. Cum autem multa decreta ex sacris Conciliis et Patribus allegata non invenirentur in fontibus a Gratiano indicatis, decrevit congregatio consulendas esse academias virosque doctos. Hinc ad multos directæ et vicissim ab eis receptæ epistolæ. Inter quas plures exstant eruditione insignes Francisci Richardoti Atrebatensis Episcopi, et Amyoti Episcopi Antissiodorensis. Scriptum est etiam ad Christophorum de Thou, primo præsidi parlamenti Parisiensis, et similiter primo præsidi Tolosano. Ex quibus patet quantis curis quantoque labore hæc Romana Gratiani correctio peracta sit.

Non omnia tamen abstulerunt menda; atque in eumdem scopum non pauci postea utilem operam contulerunt. Inter quos Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus in suis *De emendatione Gratiani dialogis,* Petrus et Franciscus Pithæi, aliique plures : sed palmam omnibus præripuit Berardus in suo absolutissimo opere cui titulus, *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti.*

Hæc autem tanta Romanæ Ecclesiæ cura in emendando Gratianeo decreto plane confirmat plus auctoritatis quam privatæ collectioni fuisse illi attributum. Non enim pro collectione quæ nullam publicam auctoritatem obtinuisset tot labores suscepti fuissent. Auctoritatem autem hanc publicam adsciverat usus.

CAPUT XIX.

DE JURE QUOD VOCANT NOVISSIMUM, ID EST A CLAUSO CORPORIS JURIS USQUE AD PRÆSENTEM DIEM.

Considerando chronologice varia quæ ab ineunte Ecclesia invaluere jura, solent auctores illa in tres classes distribuere. Jus *antiquum* vocant illud quod ante Gratianum viguit; jus *novum* quod in Corpore juris canonici c'auditur; jus *novissimum* quod constat documentis post clausum juris canonici Corpus editis usque ad præsentem diem. Voluere quidem auctores sectæ jansenisticæ et quidam alii jus *novum* incœpisse ab Isidoro Mercatore; sed immerito : nulla nova disciplina introducta est ab Isidoro, ut supra ostendimus, sed spuria tantum invecta monumenta. Unde retineri debet communis supradicta partitio. Quibus autem partibus constet jus novissimum singulatim est indicandum.

I. Post clausum juris canonici corpus, id est, post extravagantes in corpore juris collectas, novæ in dies emanarunt a sancta Sede constitutiones. Has a viris doctis colligi, atque ex eis *septimum* librum decretalium effici curavit Gregorius XIII. Cum autem ipse re infecta decessisset, et neque eam Sixtus V absolvisset, sub Clemente VIII tantum collectio typis mandata est. Ast obortis quibusdam difficultatibus opportunum visum est editionem non divulgari, et exemplaria supprimi ; ita ut nunc rarissima sint et ingenti pretio emenda. Eodem vero tempore Petrus Mathæus Lugdunensis jurisconsultus exaravit et ipse illum librum *septimum decretalium* qui habetur in Corpore juris canonici; sed illud opus præterquam quod caret auctoritate publica, multis vitiis et omissionibus laborat.

Remanserunt ergo et adhuc remanent extra omnem collectionem publica auctoritate vulgatam omnes pontificiæ constitutiones post clausum corpus juris canonici editæ, excepto, ut supra diximus, Benedicti XIV bullario. Collectæ sunt nihilominus a multis auctoritate privata; earumque collectionum præcipua quæ *magnum bullarium* dicitur, valde imperfecta est, et majori adhuc negligentia hodie Romæ, continuatur. Omittuntur maximi momenti multa, inseruntur inutilia, et scatent ubique mendis typographicis paginæ.

II. Ad jus novissimum pertinent regulæ cancellariæ, id est, eæ leges quibus Apostolica cancellaria regitur. Illas primus Joannes XXII scripto mandari jussit. Auctæ a variis Pontificibus, ad numerum 72 pervenere; quas omnium uberrime quatuor voluminibus commentatus est eruditus Rigantius. Vim habent tantum vivente Pontifice. Sed cum mos invaluerit ut quilibet Pontifex recens electus, primo post electionem suam die illas confirmet, perinde est ac si vim legis perpetuæ obtinerent. Iis in pluribus derogatum est per recentiora cum variis nationibus concordata.

III. Partem præcipuam juris novissimi constituunt concilii Tridentini decreta, ut omnibus notum est.

IV. Tandem ad jus novissimum pertinent Congregationum Romanarum decisiones et decreta.

Synopsis hæc quam ab ineunte Ecclesia descripsimus, de juris canonici origine, evolutione et ad hodiernum statum deductione, jus commune sive universale respicit. Cæterum sub isto generali jure, multa exstitere variis ecclesiis privata jura, ex privilegiis vel legitimis consuetudinibus inducta. Hodie etiam jus illud novissimum supra descriptum, quasdam exceptiones apud ecclesias non paucas patitur. Præcipuæ vero ex his exceptionibus per concordata ortæ sunt. Sicut ergo noscenda præcipue est juris communis historia,

ita et necessaria est exceptionum huic juri apud singulas ecclesias, seu jurium particularium, notio.

Notionem illam, non hic separatim per varias excurrendo regiones (quod in immensum tractationem hanc traheret), sed in institutionum decursu data occasione exhibebimus. Discusso scilicet pro qualibet quæstione communi jure, si qua opponatur sive in Gallia, sive in Germania, sive in Hispania, aliisve regionibus legitima exceptio, adnotabimus et pro posse expendemus.

PARS QUARTA.

DE JURE ECCLESIÆ CONSTITUTIVO.

Constitutiva Ecclesiæ vocamus primaria illa jura, quæ ex ipsa Ecclesiæ divina constitutione immediate sequuntur, et quibus tanquam fundamento reliquum totius ecclesiastici juris ædificium superextruitur. Ad divinam autem Ecclesiæ constitutionem hæc pertinent : 1° Ecclesiam suam in mundo instituit Christus cum forma veræ et propriedictæ societatis. 2° Eam instituit cum hierarchia, constante Episcopis presbyteris et ministris. 3° Unum ex Episcopis, Romanum scilicet Antistitem, toti Ecclesiæ præposuit tanquam supremum Pastorem seu monarcham, suumque in terris vicarium, cum plena potestate docendi ac gubernandi cætera membra omnia, id est, tum ea quæ sunt sub hierarchia, tum ea etiam quæ sunt de hierarchia. 4° Præter memoratam hierarchiam, Romano Episcopo tanquam capiti subjectam, quam solam Christus Dominus instituit, alias possibiles fecit, et Ecclesiæ

suæ auctoritati evolvendas reliquit. 5° Instituit in Ecclesia sua Christus magisterium, seu potestatem docendi; jurisdictionem, seu potestatem gubernandi; et sacerdotium, seu potestatem sanctificandi, id est, gratiam hominibus per sacramentorum confectionem et collationem infundendi.

Hæc nunc exponenda visa sunt Ecclesiæ constitutiva, ut simul pandantur primaria seu fundamentalia ipsius jura.

CAPUT I.

DE FORMA SOCIALI ECCLESIÆ CONSTITUTIVA.

Duo hic inquirenda : 1° An revera Christus Ecclesiam cum forma sociali instituerit. 2° Quænam sit illa forma socialis Ecclesiæ propria.

§ I.

Christus Ecclesiam instituit cum sociali forma.

Essentia societatis humanæ consistit in collectione hominum actione communi ad finem aliquem communem concurrentium; atqui cum hac forma instituta fuit a Christo Ecclesia. Ille enim instituit Ecclesiam tanquam collectionem hominum actione communi ad finem communem concurrentium, qui illam expressit typis formam hanc socialem referentibus, quique illi præfixit finem communem ad quem concurrerent ipsius membra, uno verbo, qui ipsi dedit proprietates societatis constitutivas; atqui Christus Ecclesiam a se institutam sic expressit et constituit.

1° Ecclesiam suam expressit typis formam socialem referentibus. Illam enim expressit typo *regni*, eam sæpe sæpius, vo-

cando *regnum cœlorum* : typo *civitatis*, illam exhibendo ut *civitatem supra montem positam*, in quam confluere debent omnes gentes : typo *ovilis*, eam proprio nomine dicendo *unum ovile*, homines quos in eam vocat nuncupando *oves*, ipsumque sese dicendo pastorem, et instituendo pastorem sibi subjectum cui dicit, *pasce oves meas, pasce agnos meos* : typo *corporis*, eam dicendo corpus Christi et seipsum dicendo *caput corporis Ecclesiæ*. Atqui typi isti varii accurate formam socialem referunt. Nam *regnum* est collectio hominum, ad communem boni publici finem communi actione coordinatorum et concurrentium; et idem dicendum est de *civitate*. *Ovile* autem ex hominibus constans eamdem formam exhibet, quatenus oves omnes communiter sub communi pastore pascuntur. Et tandem *corpus* morale ex hominibus compactum exprimit arctissimam cohæsionem qua homines sibi invicem tanquam alii aliorum membra conjunguntur et ad bonum totius corporis coaptantur et concurrunt. Ergo varii typi quibus Christus Ecclesiam suam expressit, formam socialem accuratissime referunt.

2° Christus hominum collectioni ex quibus coalescit Ecclesia finem communem præfixit. Etenim duplex est finis a Christo Ecclesiæ præfixus, alter ultimus, proximus alter. Finis ultimus est ut singuli per Ecclesiam perducantur ad finem suum proprium ultimum, qui est Deus ipse intuitive videndus et possidendus. Finis vero proximus est ut in societate ecclesiastica singuli profiteantur veram religionem, qua sola accurate servata possint prædictum finem ultimum assequi.

3° Christus Ecclesiam instituit cum forma sociali, si in ea constituit auctoritatem quæ fidem ab omnibus tenendam traderet, et omnes in agendo seu quoad mores regeret; et præterea si Ecclesiæ membra noluit nisi per communem hanc in credendo et in agendo obedientiam ad finem æternæ beatitudinis pervenire. Atqui ita statuisse Christum omnino cer-

tum est : *Euntes docete omnes gentes : qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo instituit aliquos cum auctoritate docendi, et voluit omnes teneri sub damnationis pœna ad credendum doctrinæ ab ista auctoritate traditæ. Ergo ita statuit Ecclesiam, ut omnes tenderent ad communem finem æternæ beatitudinis, et simul ad hunc finem obtinendum tenerentur ad communem professionem fidei. Dictum etiam est à Christo Domino : *Pasce agnos meos, pasce oves meas... Confirma fratres tuos... Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis... Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Porro verba hæc iterum exprimunt Ecclesiæ præpositam fuisse auctoritatem, ad pascendam seu gubernandam totam collectionem illam, quam Christus vocabat Ecclesiam suam : et supponunt per eamdem auctoritatem Ecclesiam hanc firmandam et coadunandam fore, sicut per fundamentum firmantur et in unitate retinentur omnes alicujus ædificii partes ; quod expressius significavit Christus dicens, *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam :* exprimunt insuper citata verba non posse Ecclesiæ membra ad finem beatitudinis æternæ pervenire, nisi per obedientiam omnibus injunctam auctoritati ecclesiasticæ, ad docendum, regendum et pascendum præpositæ. Ergo revera Christus Ecclesiam suam ita instituit ut per actionem communem omnia membra tenerentur ad finem communem tendere ; ergo Ecclesiam instituit cum forma sociali.

Idem probari posset aliis sacræ Scripturæ textibus, et præsertim perpetua Ecclesiæ traditione, expressis ejus definitionibus, et praxi, Patrumque testimoniis. Sed evolvendis hujusmodi probationibus non ducimus hic immorandum ; cum vix reperire sit, etiam inter hæreticos, qui negare ausi sint inditam a Christo fuisse Ecclesiæ suæ formam socialem, licet in determinando quænam sit illa forma multum aberraverint.

§ II.

Quænam sit forma socialis Ecclesiæ propria.

PROPOSITIO 1ª. — *Ecclesia a Christo instituta est externa et visibilis.* — I. Probatur ex verbis Christi. — Christus enim Ecclesiam suam expressit typis regni, civitatis, ovilis, ædificii, et corporis; atqui typi isti visibilem societatem referunt. In regno enim, ut rex possit regere, debet subditos suos discernere, et scire ubi sint, et posse illos alloqui, quæ omnia sunt impossibilia si subditi sint ipsi invisibiles; et vicissim, nisi rex sit visibilis subditis, id est, nisi subditi possint discernere ubi sit et quinam sit, et ipsius præcepta audire, non poterunt ei tanquam regi subjici. Item in regno necessarii sunt magistratus, sub ipso rege partem quisque regiminis exercentes. Porro impossibiles sunt magistratus hujusmodi, nisi et rex ipsis visibilis sit et ipsi visibiles sint regi et subditis. Imo cum subditi debeant actione communi ad finem communem tranquillitatis publicæ concurrere, necesse est ut sint ad invicem visibiles. Ergo ex typo regni sequitur Ecclesiam esse visibilem; et idem dicendum de typo civitatis, ut patet. Sequitur etiam proprietas visibilitatis ex ovilis typo : nisi enim oves pastor, et pastorem oves videant, subsistere ovile nullatenus potest. Quod etiam in aliis typis, nempe moralis ædificii et corporis, facile verificari potest. — Multa alia sunt verba Christi et Scripturæ sacræ quæ eamdem visibilitatem Ecclesiæ demonstrant : 1° *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ibi exprimit Christus suam societatem niti debere Petro homine, sicut ædificium fundamento nititur. Sed nec Petrus, nec ullus homo potest esse fundamentum alicujus societatis humanæ, nisi visibilis sit hominibus hanc societatem componentibus, et hi vicissim sint ipsi visibiles. 2° *Pasce agnos meos ; pasce*

oves meas. Impossibile est aliquem præfici alicui collectioni hominum, et istos homines ab ipso gubernari tanquam a pastore oves, nisi visibilis sit qui regit, et visibiles qui reguntur. 3° *Quodcumque ligaveris*, etc. *Quæcumque ligaveritis*, etc. Ut aliquis homo liget et solvat alios homines, debet illos videre; et ut magistratus inferiores ex voluntate principis idem facere possint, debet princeps esse ipsis visibilis, et ipsi principi. 4° Eodem modo visibilitas concludi potest ex sequentibus textibus : *Alias oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere, et audient vocem meam, et fiet unum ovile et unus pastor* (Joann. 10, 16). *Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis in ædificationem sui in charitate.* (Ephes. 4, 6.)

II. Probatur traditione. — Abundant textus Patrum et monumenta antiquitatis, quibus constat Ecclesiam Christi semper intellectam fuisse tanquam societatem externam et visibilem. Videri possunt præcipua hujusmodi testimonia apud Tournely et Hook. (Religionis naturalis et revelatæ principia, t. III, pag. 94.)

III. Probatur ex facto visibilitatis Ecclesiæ; quæ nimirum statim ab exordio suo visibilis esse cœpit, et talis permansit usque ad præsentem diem. — Christus enim sicut verbis omnino fallacibus usus fuisset, si Ecclesiam tantum invisibilem voluisset constituere, ita et Apostolos quibus opus illud exsequendum mandavit in errorem induxisset. Nam de facto Apostoli statuerunt Ecclesiam visibilem, et Ecclesia hæc semper visibilis perseveravit, et semper visibilitatem existimavit tanquam formam sibi propriam. Semper enim Ecclesiæ præfuit monarcha visibilis, Romanus scilicet Pontifex; et per ipsum, nec non per Concilia visibilia, leges credendi et agendi latæ sunt; et qui huic auctoritati visibili restiterunt, semper ab Ecclesia Christi excidisse reputati sunt. Ergo, nisi

Christus voluerit revera suam Ecclesiam esse societatem visibilem, et Apostolos et totum humanum genus per 18 sæcula in errorem induxit; quod dicere, insanire prorsus est.

IV. Probatur ex eo quod Ecclesia sit *societas*. — Societas enim constare nequit nisi ex agentibus rationabilibus, qui communi consensu et actione concurrant ad communem aliquem finem, et a quibus coadunentur qui extra societatem adhuc vivunt, ut possint bonorum societati propriorum participes fieri. Atqui hæc constitutiva societatis cujuscumque proprietas, visibilitatem tum ad intra tum ad extra arguit : ad intra quidem; non enim possunt multi in unum convenire et communi actione concurrere ad finem communem, si sese mutuo ignorent; necesse est ergo ut sese invicem cognoscant et discernant, atque ad invicem communicent; ergo necesse est ut intra societatem membra sint ad invicem visibilia. Item necessaria est visibilitas ad extra : ut enim alicui societati coadunari queant extranei, necesse est ut ipsa sit conspicua, possitque ab extraneis cognosci et discerni. Et hoc verum remanet etiamsi societas constaret meris spiritibus. Ergo ex eo solo quod Ecclesia sit societas, sequitur necessario illam esse visibilem.

V. Probatur ex eo quod Ecclesia sit *societas humana*. — Talis enim est hominum natura, ut nonnisi modo sensibili possint seipsos mutuo cognoscere; ergo non possunt nisi sese invicem videntes in societatem convenire; ita ut omnis humana societas sit hoc ipso et necessario externa et visibilis.

VI. Probatur ex eo quod Ecclesia sit societas *religiosa*. — Nam ex eo quod sit religiosa, homines eam conflantes concurrere debent ad communem fidei religiosæ professionem. Porro si fidem quisque a Deo immediate revelante recipiat, erunt quidem plures individuæ professiones fidei, sed nulla erit socialis religiosæ fidei professio; nec proinde ulla religiosa societas; ergo ut exsistat societas religiosa, necesse

est ut singula membra fidem communem recipiant, non immediate a Deo, sed a ministerio quodam societati proposito, et omnes quoad fidem regente. Porro ut hoc fieri possit, debet ministerium istud esse visibile, ita ut et qui jam sunt Ecclesia, et qui sunt extra, possint communem doctrinam a ministeriali auctoritate illa traditam tenere, et sic societatem religiosam ingredi et ejusdem membra effici.

VII. Probatur ex eo quod Ecclesia sit usque ad finem mundi *duratura*. — Nam cum homines quibus constat moriantur, necesse est ut possit alios atque alios perpetuo in sinum suum inducere ; alioquin societas illa periret. Sed ut nova membra in societatem sic introduci possint, necesse est ut et ipsa visibilis sit introducendis membris, et membra ista sint ipsi visibilia.

Ergo non tantum falsa est, quam excogitarunt Protestantes, invisibilis Christi Ecclesia, sed ridiculum et naturæ rei oppositum figmentum.

Propositio 2ª. — *Ecclesia Christi est societas specialis, id est, distincta et per se stans.* — I. Probantur ex eo quod habeat finem sibi proprium. — Nam finis Ecclesiæ est ut homines ad æternam beatitudinem perducat per doctrinæ Christi prædicationem, per veræ fidei propagationem, per dispensationem et applicationem mediorum a Christo ad salutem hominum institutorum. Porro hicce finis proprius ipsi est, et nulli alteri societati competit. Societas civilis, verbi gratia, proxime ordinatur ad bonum temporale civium, illorum nempe tranquillitatem et securitatem ; et licet iste finis proximus societatis civilis referri etiam debeat ad beatitudinem æternam, cum homines non debeant uti bonis temporalibus nisi tanquam mediis ad finem suum ultimum æternæ felicitatis, tamen civilis societas non nisi *indirecte* ad hunc finem ultimum tendit. Ecclesia autem ad finem ultimum æternæ beatitudinis tendit *directe*, et per finem proximum, a fine proximo societatis civilis diversum. Ergo finis

Ecclesiæ non est ipsi cum ulla alia societate communis, sed ipsi omnino proprius.

II. Probatur ex eo quod pro fine habeat promovere ipsummet finem a Christo redemptore intentum. — Ecclesiam a Christo institutam fuisse ut ipsi quodammodo substitueretur, et finem ab ipso intentum per media ab ipso instituta promoveret, probant hæc Scripturæ sacræ testimonia : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Jo. 21). *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : euntes ergo docete* (Matth. 18, 18). *Pasce agnos meos; pasce oves meas.* Ibi enim instituuntur quidam qui finem a Christo redimente intentum exsequantur et promoveant. Quod confirmatur ex eo quod de facto Ecclesia ab Apostolis usque nunc proprium hunc finem prosecuta fuerit, fidem nempe prædicando, morum sanctitatem legibus suis procurando, errores judicando et corrigendo, corruptelas reformando, et rebelles puniendo et ejiciendo.

III. Probatur ex eo quod habeat media sibi soli propria. — Nam media quibus societas quælibet finem suum prosequitur, sunt leges quibus membra sua ad hunc finem seu commune societatis bonum intentum dirigit, et vis qua legum suarum observationem promovet. Porro Ecclesia habet specialia et sibi propria hujusmodi media. Nam ipsa et quidem sola potest leges ferre quibus veritatem et unitatem fidei diffundat et tueatur : item sola statuere potest circa modum applicandi media a Christo ad salutem instituta : item sola potest statuere quibus conditionibus nova membra recipi possint et in bonorum quæ ipsa dispensat participationem admitti : item pœnis sibi propriis rebelles et perturbatores frænat et punit, eos nempe privando bonis spiritualibus, omnino a sua communione resecando, et mortem etiam spiritualem infligendo. Ergo Ecclesia habet finem et media sibi propria; ergo est societas specialis et distincta.

Propositio 3ª. — *Ecclesia est societas completa.* — Triplex distingui potest societatum humanarum gradus : societas

inchoata, societas imperfecta, et societas completa. *Inchoata* societas est collectio hominum ad aliquem communem finem tendentium, sed absque mutuo vinculo eos ad invicem obligante; qualis est societas eorum qui, ad regionem aliquam proficiscendo, sese coadunant eo fine ut iter jucundius et securius agant, sed absque ulla obligatione vel in coadunatione remanendi, vel aliquid aliud præstandi. Societas est *imperfecta*, quando intercedit quidem obligatio membrorum ad invicem, sed ita ut alii ab aliis non dependeant, et ita ut tota societas subjiciatur alicui alteri societati sibi superiori : tales sunt, verbi gratia, societates quas inter se ineunt mercatores; in his nempe societatibus omnia membra, ex pacto sociali, communi aliqua obligatione ligantur; sed per illam obligationem unus mercator non fit superior alteri, et tota societas subjicitur societati civili. Societas vero totalis seu *completa* illa est, in qua præsidet auctoritas a qua omnia membra dependent, et quæ simul independens est ab auctoritate cujuscumque alterius societatis. Tale est omne regnum quod auctoritati nullius alterius regni vel reipublicæ subjacet.

Unde ad probandum Ecclesiam esse societatem *completam*, probanda sunt tantum hæc duo : 1° Ecclesiæ præesse auctoritatem cujus regimini omnia membra subjacent; 2° Ecclesiam sic constitutam a nullius diversæ societatis auctoritate dependere. Porro hæc duo certa sunt.

1° Christum instituisse in Ecclesia auctoritatem cui docenti et regenti tenerentur omnia membra obtemperare, probant sequentes textus : *Data est mihi omnis potestas... Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. — Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. — Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus. — Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. — Quæcumque ligaveritis... — Pasce agnos meos; pasce oves meas.*

— Ex his verbis clare sequitur Christum præfecisse Ecclesiæ suæ quosdam, qui docerent, et quorum doctrinæ omnes adhærere tenerentur; qui pascendi, id est, gubernandi jus haberent, et quorum proinde gubernio omnes deberent sese subjicere.

2° Ecclesia Christi independens est ab auctoritate cujuscumque alterius societatis.

Primo. Sequitur ex eo quod Christus omnes homines auctoritati Ecclesiæ subjecerit. *Prædicate evangelium omni creaturæ. — Qui non crediderit, condemnabitur. — Qui vos spernit, me spernit. — Pasce agnos; pasce oves. — Quodcumque ligaveritis.* — Ergo quilibet homo cujuscumque societatis sit aut potestatis, tenetur auctoritati Ecclesiam regenti obtemperare, fidem quam docet illa auctoritas profitendo, et regimini ejusdem auctoritatis sicut ovis pastori sese subjiciendo. Sed si nullus sit homo qui non subjiciatur auctoritati docenti et regenti Ecclesiæ, nulla esse poterit collectio hominum seu societas quæ pariter de jure non debeat subjici eidem auctoritati in ordine ad finem ipsi proprium. Ergo nulli alteri societati aut societatis auctoritati subjecta fuit a Christo Ecclesiæ auctoritas, in quantum est et remanet ecclesiastica. Ergo Ecclesiæ auctoritas est vere et proprie independens.

Secundo. Illa societas est ab omni alia prorsus independens quæ habet finem sibi proprium, et media sibi propria. Atqui talis est Ecclesia, ut in præcedenti propositione probatum est. Nulla scilicet alia societas præter Ecclesiam, a Christo instituta est, ut homines ad beatitudinem æternam, per prædicationem veræ fidei, per morum rectam ordinationem, ac per sacramentorum a Christo institutorum dispensationem, perduceret. Ergo, cum sola Ecclesia hanc potestatem et missionem a Christo Deo acceperit, si qua alia societas tentaret Ecclesiam regere, potestatem et missionem Ecclesiæ propriam evidenter usurparet, injuste et tyrannice ageret.

Tertio. Ecclesia nunquam ignorare potuit verum jus suum

a Christo acceptum, nec ultra jus illud excedere; alioquin enim corrupta fuisset, errasset, desiisset esse vera Christi Ecclesia, et *portæ inferi contra ipsam prævaluissent*, quod nunquam eventurum promisit Christus. Porro Ecclesia perpetuo sese credidit et affirmavit ab omni alia societate independentem. Hoc enim clamat tota traditio scripta. Videri possunt textus apud auctores, ubi probant res ecclesiasticas civilibus potestatibus non subjici. Sed idem non minus arguit traditio practica. Nam Ecclesia perpetuo tanquam independens sese gessit, et independentiam hanc multis decretis definivit, et alienam potestatem in ipsius regimen sese intrudere volentem vehementer repulit. Unde quando errores damnavit et decreta disciplinæ sancivit, non tantum non requisivit tanquam necessarium alienæ potestatis consortium aut consensum, sed sæpe contra renitentes et persequentes hujusmodi potestates actionem suam exercuit, illas etiam censuris puniendo et a communione sua rescindendo. Unde cum independentiam suam omnimode docuerit et professa perpetuo fuerit, nec errare potuerit, independens revera sit necesse est.

Quarto. Idem probatur ex ipsa idea Ecclesiæ. Nam Ecclesia est societas instituta ad salutem hominum procurandam per doctrinæ Christi et veræ fidei prædicationem, per morum informationem juxta normam ejusdem fidei, per applicationem mediorum a Christo institutorum, per leges quibus ad sanctitatem et salutem dirigantur homines. Atqui hujusmodi societas est necessario independens.

Nam ordo societatum sequitur ordinem finium. Unde societas, cujus finis est necessario subordinatus fini alterius societatis, est ipsa subordinata huic alteri societati. Atqui fini Ecclesiæ subordinantur fines aliarum societatum. Nam finis Ecclesiæ est bonum spirituale et ad salutem pertinens atque per se conducens, ac proinde bonum absolutum et omni ex parte necessarium. Finis vero societa-

tum aliarum, per se est tantummodo bonum temporale, ad vitæ præsentis commoda pertinens. Atqui bonum temporale quodlibet est necessario subordinatum bono spirituali, et non potest esse nisi medium aliquod ad bonum spirituale tanquam ad finem referendum; ergo finis aliarum societatum est necessario subordinatus fini Ecclesiæ; ergo licet societas temporalis possit esse independens ab Ecclesia, quatenus Ecclesia non instituta est ad bonum temporale hominum promovendum, et ad res temporales (quatenus mere temporales sunt) regendas, attamen tenetur in modo promovendi finem suum temporalem sese aptare fini Ecclesiæ, et prout exigit finis ille, sua omnia ordinare. Ergo Ecclesia a Christo instituta est ab omni alia societate independens; ergo est societas totalis et completa.

Corollarium.—Hinc concludi potest quam falsum sit, *Ecclesiam esse in statu;* si intelligatur eam auctoritati quæ statui præsidet subjacere.

Propositio 4ª. — *Ecclesia Christi est necessario ineunda.*

Iª Probatio. — Ex fine Ecclesiæ proprio. — Ecclesia, ut modo vidimus, est societas divinitus instituta ut veram fidem et morum sanctitatem docendo et tradendo, homines perducat ad finem ultimum æternæ beatitudinis. Ergo hujus societatis membrum debet esse quisquis tenetur ad Deum ut verum finem ultimum per veræ fidei professionem, et morum sanctitatem tendere, id est, omnis homo; ergo Ecclesia est societas ab omnibus hominibus stricta obligatione ineunda.

IIª Probatio. — Ex Scripturæ sacræ testimoniis. — Christus Ecclesiam dixit esse *suum regnum*. Atqui omnes homines stricta obligatione tenentur esse de regno Christi, cum teneantur Christum tanquam regem agnoscere et ipsi sese subjicere; ergo Ecclesiam ingredi tenentur. — *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus :* qui Ecclesiam non audit, non deberet haberi tanquam ethnicus et publica-

nus, id est, tanquam peccator, nisi revera peccatum esset Ecclesiam non audire; ergo sub peccato tenetur quisque Ecclesiam audire, id est, ipsi docenti et præcipienti sese subditum facere; ac proinde ipsam ingredi. — *Pasce oves... pasce agnos :* tenentur omnes esse de ovili Christi ; sed ex auctoritate Petro tradita quælibet ovis Christi pascenda est ab auctoritate Ecclesiæ; ita ut Petrus jus habeat quamlibet ovem Christi pascendi; ac proinde peccet ovis quæ renuit sese pastori Ecclesiæ subjicere; ergo sicut tenetur quisque esse ovis Christi, tenetur Ecclesiæ pascenti sese subjicere, quod idem est ac Ecclesiam ingredi. — His aliisque multis textibus Scripturæ facile demonstratur Ecclesiam ita a Christo fuisse institutam, ut ab omnibus stricta obligatione ineunda sit.

IIIª Probatio. — Ex traditione practica. — Ecclesia omni tempore credidit et professa est fuisse sibi hoc munus a Christo impositum, ut gentes et homines omnes infideles in sinum suum advocaret, et devios seu hæreticos reduceret; hinc Apostolos seu missionarios deputavit, qui ab Ecclesia probatam doctrinam docerent, leges Ecclesiæ imponerent, et declararent necessarium esse ad salutem Ecclesiam ingredi. Insuper omnem doctrinam suæ contrariam reprobavit, et errorem profitentes anathemati devovit atque tanquam a salute alienos habuit. Porro nisi Christus ipse necessitatem revelasset Ecclesiam ingrediendi, errasset Ecclesia hanc necessitatem docens et tanquam certam suo agendi modo supponens. Unde ab initio et perpetuo portæ inferi contra Ecclesiam prævaluissent, quod nunquam eventurum affirmavit Christus.— Idem confirmat traditio scripta : omnes enim sancti Patres qui contra infideles scripserunt, eos habuerunt tanquam a salute alienos, ex eo quod Ecclesiæ doctrinam non amplecterentur. Omnes pariter hæreticos habuerunt tanquam a salute alienos, eo præcise nomine quod ab Ecclesia et ab ipsius doctrina recederent, *Non potest,* ait Cyprianus, *Deum habere*

Patrem qui Ecclesiam non habet matrem. Si quis, inquit Augustinus, *absque Ecclesia inventus fuerit, alienus est a numero filiorum.* Et similia frequentissime occurrunt apud omnes Ecclesiæ Patres.

IVª Probatio. — Ex eo quod repugnet sapientiæ Christi Ecclesiam instituentis, illam non esse ab omnibus ineundam. — Ex præcedentibus propositionibus constat Christum Ecclesiam instituisse cum forma societatis; et quidem societatis visibilis, distinctæ et completæ. Atqui repugnat sapientiæ Christi talis institutio, nisi etiam statueret Ecclesiam ab omnibus ineundam. Repugnat enim Christum societatem instituere quæ nullam haberet firmitatem; atqui talis esset Ecclesia si ab omnibus non esset ex obligatione ineunda. Nam si homines non teneantur Ecclesiam a Christo institutam ingredi, bene possunt omnes absque peccato et salutis dispendio extra illam vivere, ipsius auctoritati non subjici, illam docentem et regentem non audire. Sed posse homines Ecclesiam sic deserere et extra illam manere, idem est ac posse eam quando ipsis placuerit supprimere, siquidem recedentibus membris societatis alicujus, perit illa societas; ergo ita Ecclesiam suam instituisset Christus ut homines possent pro libitu suo eam destruere; ergo nullam firmitatem haberet Christi institutio, quam tamen promisit firmissimam fore; ergo nisi Ecclesia ab omnibus ineunda sit, in Verbo Dei incarnato sapientiam defecisse dicendum est. — Præterea ideo Ecclesia non esset ex obligatione ineunda, quia quisque posset privatim et extra societatem a Christo institutam, veram Christi doctrinam profiteri, veram regulam morum et præcepta Christi noscere et exsequi, et media a Christo ad salutem assequendam instituta sibi applicare. Sed si ita est, inutile fuit Christum societatem instituere in hunc finem, ut homines veram fidem docendo, et media salutis ipsis applicando et ipsis aptam morum regulam imponendo, ad æternam beatitudinem perduceret. Porro sapientiæ Christi repugnat inu-

tilem societatem instituere. Ergo si vere Ecclesiam instituit cum societatis forma, societatem illam simul instituit ab omnibus ineundam.

Vª Probatio.—Ex eo quod Christus non instituerit pro singulis hominibus revelationes privatas. — Voluit Christus religionem a se revelatam cognosci et observari. Certum est aliunde ab ipso institutam fuisse Ecclesiam in hunc finem ut veram fidem, veramque morum regulam et omnia media ad salutem necessaria doceret, atque omnes homines, sicut pastor oves, regeret. Jam vero si non esset obligatio talem societatem a Christo institutam ingrediendi, ideo tantum quia Christus, præter hanc Ecclesiæ actionem, instituisset aliud medium quo religionem a se revelatam singuli possent cognoscere et apte colere. Atqui non instituit. Nam istud medium non posset consistere nisi in revelationibus privatis unicuique factis. Porro hujusmodi privatas revelationes non instituit Christus. Duplici modo intelligi possunt eæ privatæ revelationes : nempe vel eo sensu quod Christus unicuique homini immediate revelaret religionem suam, vel eo sensu quod revelationis alicui primario factæ, verbi gratia, evangelistis, et scripto traditæ, veram interpretationem singulis revelaret. Atqui in neutro sensu Christus revelationes privatas instituit. Et *primo* certum est Christum non revelare cuique immediate omnes veritates credendas et alia ad religionem christianam pertinentia. Interrogentur homines, et quisque testabitur se nunquam hujusmodi revelationes habuisse. Imo eos fidei articulos ignorant omnino ii omnes qui ab aliis hominibus eos non didicerunt, vel in libris non legerunt; quod certe probat eos hujusmodi revelationes non habuisse. *Secundo*, nec revelat singulis Christus verum sensum librorum sacrorum. Unusquisque enim, si interrogetur, testari poterit se legendo sacram Scripturam, nullam revelationem accipere; sed quod intelligit, ex naturali tantum perceptione intelligere. Jam vero Scripturam cum naturali

rationis lumine conjunctam non sufficere, patet ex perpetuis disputationibus circa sensum Scripturæ per 18 sæcula subortis, et ex plurimis erroribus quos Ecclesia decretis suis configere debuit. Ergo revelationes ad singulos homines, quocumque modo intelligantur, non institutæ sunt a Christo tanquam medium sufficiens; ergo Christus non instituit aliud medium sufficiens quam Ecclesiam; ergo Ecclesia est medium ad quod omnes recurrere tenentur; ergo Ecclesia est ab omnibus ex obligatione et necessitate salutis ineunda. Non tantum de facto Christus revelationes privatas non instituit, sed probari etiam posset hujusmodi institutionem divinæ sapientiæ repugnare, pro qua disceptatione ad theologicos tractatus remittimus.

PROPOSITIO 5ª. — *Christus Ecclesiam suam instituit cum forma monarchica remissive.* — Est de fide. Probationem remittimus ad tractatum de *Papa*.

CAPUT II.

DE HIERARCHIA QUAM IN ECCLESIA SUA CONSTITUIT CHRISTUS.

Prænotanda. — 1. Ex duplici vocabulo ἱερά et ἀρχή coalescit vox ἱεραρχία. Græcis autem ἱερός idem est quod Latinis *sacer;* et ἀρχή modo *initium* modo *principatum* denotat, quando seorsim usurpatur; ast in composito de quo agimus vocabulo, pro significando principatu semper adhibetur. Unde ad etymologiam tantum attendendo, hierarchia idem sonat ac *sacer principatus* seu *præfectura sacra.* Quicumque præfecturam ejusmodi aliquo gradu participant, *de* hierarchia; cæteri vero eis subditi *sub* hierarchia censentur.

2. Latiori quodam et improprio sensu hierarchia nonnun-

quam dicitur generalis totius Ecclesiæ constitutio et ordinatio. Quo quidem modo intellecta, omnia Ecclesiæ membra comprehendit, et nihil aliud sonat quam ipsammet Ecclesiam, quatenus varia potestatum, officiorum et graduum distinctione ordinatam. Illam hoc sensu intellectam describit Hallier : *collectionem et ordinationem personarum quarumcumque, tam agentium quam patientium, tam superiorum quam inferiorum.* (Apud Cellottium, *de hierarchia,* pagina 144, edit. Rothomagi 1641).

3. Strictiori autem ac proprio et ubique recepto sensu intellecta, iis tantum personis constat hierarchia quæ sacram aliquam potestatem seu dignitatem obtinent. Juxta quam acceptionem definitur a laudato Hallier : *Ordo sacrarum in Ecclesia personarum, quibus sacræ alicujus functionis ex officio exercendæ potestas committitur.* (Apud Cellottium, loco citato, pagina 153).

Et in opere *conférences d'Angers* (*de la hiérarchie*, conférence 1, question 2, page 14, édition de Besançon 1830) sic describitur : « La hiérarchie est une principauté ou magis-
» trature spirituelle, composée de divers ordres de ministres,
» subordonnés les uns aux autres, que Jésus-Christ a institués
» pour le gouvernement et le service de son Église, et qu'il a
» revêtus d'une autorité correspondante au rang qu'ils y
» tiennent, avec promesse des secours nécessaires pour bien
» remplir l'office qu'il leur a confié, et conduire les fidèles
» dans les voies du salut. »

Potest autem hierarchia considerari, vel subjective, id est, in personis quibus constat; vel objective, id est, in ipsa re quæ facit ut illæ personæ ad hierarchiam pertineant.

Et objective quidem sumpta, nobis videtur hierarchia sic recte definiri : *Potestas seu præcellentia sacra, quatenus a pluribus personis variis gradibus participata.* Subjective autem : *Collectio personarum, quatenus potestatem seu præcellentiam sacram variis gradibus participantium.* Hierarchiæ scilicet

proprie dictæ conceptus hæc tria involvit : primo sacram seu ecclesiasticam aliquam potestatem, vel saltem dignitatem seu præcellentiam : secundo, plures personas quæ illam possideant : tertio, varios ac subordinatos ad invicem in illa obtinenda gradus.

4. Ad varias species quod attinet, nos hierarchiam immediate dividemus, in *hierarchiam institutionis divinæ* proprie dictæ, et in *hierarchiam auctoritate ecclesiastica evolutam*. Et prioris quidem speciei unica est; hierarchia nempe Episcopis, presbyteris et ministris constans, quam Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus ipsemet instituit ac omninode ordinavit. Posterioris autem speciei hierarchiæ plures sunt : talis est, verbi gratia, hierarchia *graduum episcopalium*, quæ Patriarchis, Exarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis constat. Item *hierarchia jurisdictionalis*, quæ constat personis jurisdictionem vario gradu obtinentibus; prout sunt sacræ Cardinalium Congregationes, Legati Apostolici (qui etiamsi episcopali charactere destituantur, jurisdictionem habent in omnes legationis suæ Episcopos, Archiepiscoposve aut etiam Patriarchas), Nuntii, etc. Hierarchias ejusmodi *evolutivas* vocabimus; quia licet in ipsamet divina institutione fundamentum habeant, et eas possibiles Christus per eamdem divinam suam institutionem fecerit, non tamen eas ipse ordinavit, sed Ecclesiæ suæ evolvendas ac determinandas reliquit.

5. Agimus sub præsenti capite de illa mirabili ac præcipua hierarchia, quam solam Christus Dominus per semetipsum instituit ac ordinavit, quæ nempe constat Episcopis, presbyteris et ministris.

Propositio 1ª. — *Christus in Ecclesia sua hierarchiam instituit, constantem Episcopis, presbyteris et ministris.* — Est de fide. — I. Sic definivit Tridentina synodus, sessione 23, canone 6 : « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse » hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat

» ex Episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. »

II. Idem constat monumentis traditionis quamplurimis; e quibus pauca hæc dumtaxat subjicimus :

Sanctus Ignatius martyr, Joannis Apostoli auditor ac discipulus, qui anno 107 pro Christo sanguinem fudit, ita sacram hierarchiam commemorat : « Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem; et presbyterium, ut Apostolos; diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. » (Epistola ad Smyrnæos, capite 8.) « Saluto Deo dignum Episcopum, et Deo decorum presbyterium, et conservos meos diaconos. » (Epistola ad Smyrnæos, capite 12.) « Episcopo attendite. Devovear ego pro iis qui subditi sunt Episcopo, presbyteris, diaconis; atque mihi contingat habere cum illis partem in Deo. » (Epistola ad Polycarpum, capite 6.) « Quoniam itaque dignus habitus fui videre vos per Damam Episcopum vestrum Deo dignum, et dignos presbyteros Bassum ac Apollonium, conservumque meum Sotionem diaconum; quo utinam fruar; quia subditus est Episcopo ut gratiæ Dei, et presbyterio ut legi Jesu Christi » (Epistola ad Magnesianos, capite 1). « Hortor ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere; Episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis quibus commissum est ministerium Jesus Christi. » (Epistola ad Magnesianos, capite 6.) « Studete igitur ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum...; cum dignissimo Episcopo vestro, et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri, et secundum Deum agentibus diaconis. Subjecti estote Episcopo. » (Epistola ad Magnesianos, capite 13.) « Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis. Sed et presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Christi... Oportet autem et diaconos, mysteriorum Jesu Christi ministros, omnimodo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ ministri... Cuncti similiter revereantur diaconos, ut mandatum Christi : et Episco-

pum, ut eum qui est figura Patris : presbyteros autem ut consessum Dei et ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur. » (Epistola ad Trallianos, capite 2 et 3.) « Memores estote in vestris precibus Ecclesiæ Syriæ, quæ mei loco Deo pastore utitur. Solus Jesus Christus illam vice Episcopi reget, atque vestra charitas. Ego autem erubesco ex eorum numero dici. Neque enim dignus sum, utpote qui sim ultimus eorum et abortivus. » (Epistola ad Romanos, capite 9. — Sancti Ignatii epistolas reperies tomo primo *Bibliothecæ veterum Patrum,* ex quo citatos textus deprompsimus.) Ergo, teste sancto Ignatio, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis exstabat apud unamquamque ecclesiam hierarchia sacra, constans Episcopo, presbyteris et ministris. Nec dubium erat quin hierarchia hæc ab ipso Christo sic instituta fuisset. Item habebatur Episcopus tanquam presbyteris et diaconis jure divino superior.

Origenes : « Plus a me (*presbytero*) exigitur quam a diacono; plus a diacono quam a laico. Qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni ecclesia reddet rationem. » (Tomo 3 operum, pagina 189, editionis Benedictinorum).

Sanctus Cyprianus : « Dominus noster, cujus præcepta et monita observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur et dicit Petro : *Ego tibi dico quia tu es Petrus,* etc. (Matth. 6.) Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit... » (Epistola 27, editionis Baluzii.) « Audio quosdam de presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem sacerdotii sui et cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse.» (Epistola 11, pagina 21, editionis Baluzii). « Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus, salutem... » (Epistola 9, pagina 18, editio-

nis Baluzii.) Apostolis successisse Episcopos assertum a sancto Cypriano reperies ibidem, epistola 42, et iterum epistola 75, pagina 148, necnon pagina 337. Extabat ergo, teste Cypriano, hierarchia constans Episcopis, presbyteris et ministris. Item pro certo habuit Cyprianus Episcopos, ex ipsa divina ordinatione, cæteris gradibus superiores constitutos fuisse.

Tertullianus : « Sed cum ipsi auctores, id est, ipsi diaconi, presbyteri et Episcopi fugiunt... » (*De fuga in persecutione*, capite 11). « Dandi (*baptismi*) quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate. » (*De Baptismo*, capite 17.)

Constitutiones quæ dicuntur *Apostolorum*, quasque sæculo quarto posteriores non esse consentiunt eruditi : « Audi, sacra catholica Ecclesia.. : quæ antea (*id est, in veteri lege*) sacrificia, nunc precationes et obsecrationes et eucharistiæ : quæ tunc primitiæ et decimæ et portiones ac dona, nunc oblationes, quæ per sanctos Episcopos offeruntur Domino Deo per Christum, qui pro omnibus mortuus est. Hi namque (*id est, Episcopi*) sunt vestri Pontifices : sacerdotes vero vestri sunt presbyteri : levitæ autem vestri, qui nunc sunt diaconi. Ὗτοι γάρ εἰσιν ὑμῶν οἱ ἀρχιερεῖς· οἱ δὲ ἱερεῖς ὑμῶν, οἱ πρεσβύτεροι· καὶ οἱ λευῖται ὑμῶν, οἱ νῦν διάκονοι. » (Libro 2, capite 25, conciliorum Mansi tomo 1, pagina 326, edit. Florentiæ 1759). Capite 28 ejusdem libri secundi, iterum mentio fit, tum de Episcopo sub nomine *pastoris* cui Deus *sacerdotium* commisit; tum de *presbyteris*, qui sunt *consilium Episcopi et senatus Ecclesiæ;* tum etiam de *diaconis*.

Sanctus Optatus Milevitanus (adversus Parmenam, l. 1, c. 13) memorat pariter Episcopos, presbyteros et ministros.

Propositio 2ª. — *Dictam hierarchiam instituit Christus per sacramentum ordinis perpetuandam; et ita ut ordinatis conferretur tum character indelebilis, tum inamissibilis quædam potestas, quæ valide exerceri valeret independenter ab omni superiori auctoritate.*—Constat ex definitionibus Tridentini Con-

cilii : « Fateri etiam oportet, in ea (*Ecclesia catholica*) novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacræ litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit. » (Sessione 23, capite 1.)

« Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione et Patrum unamini consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis. » (Sessione 23, capite 3.)

« Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta synodus damnat eorum sententiam qui asserunt novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. » (Sessione 23, capite 4.)

« Si quis dixerit non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi... anathema sit. » (Sessione 23, canone 1.)

« Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines... anathema sit. » (Sessione 23, canone 2.)

« Si quis dixerit ordinem sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum... anathema sit. » (Sessione 23, canone 3.)

« Si quis dixerit per sacram ordinationem... non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit laïcum rur-

sus fieri posse, anathema sit. » (Sessione 23, canone 4.)

Ex his definitionibus palam fit, Episcopos, presbyteros et ministros, tales effici per sacram ordinationem; et illam ordinationem esse verum sacramentum; et per illud imprimi sacerdotibus characterem et potestatem quamdam non auferibilem; et ita a Christo ipso constitutum fuisse. Diximus autem ordinationi alligatam a Christo fuisse potestatem *quamdam*, quæ valide exerceri valeret etiam independenter a superiori auctoritate. Sic Episcopus, quantumvis prohibitus et excommunicatus, valide consecrat, ordines confert, et sacramentum confirmationis ministrat. Nec potest supremus Ecclesiæ Pastor impedire quin actus isti validi sint, quamvis illiciti. Et idem est de presbytero quoad potestatem consecrandi. Aliam autem potestatem sacræ ordinationi annexuit Christus, quæ valide exerceri nequit, nisi concurrente superioris auctoritate. Talis est potestas sacramentum pœnitentiæ ministrandi. Nisi quis ordinatus fuerit presbyter aut Episcopus, non poterit sacramentum istud valide ministrare, quamtumvis ei jurisdictio conferatur. Ast si presbyter sit, potest quidem valide absolvere accepta jurisdictione, non accepta non potest. Item cum Romani Pontificis delegatione valide confirmationis sacramentum ministrat presbyter, invalide absque illa delegatione.

Propositio 3ª. — *Hierarchiam Episcopis presbyteris et ministris constantem, ita instituit Christus, ut Episcopi essent presbyteris superiores.* — Est de fide. — « Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores... anathema sit. » (Concilium Tridentinum, sessione 23, canone 7.) Cæteras probationes vide fuse evolutas in meo tractatu *de Episcopo*, tomo 1, pagina 7.

Propositio 4ª. — *Episcopos eo fine Christus instituit ut Ecclesiam suam regerent; ita ut, de jure divino, regendis variis Ecclesiæ partibus, ordinarie præficiendi sint Episcopi.* — Colligitur ex istis Tridentinæ synodi verbis : « Sacrosancta

synodus declarat... Episcopos... positos, sicut idem Apostolus ait, regere Ecclesiam Dei. » (Sessione 23, capite 4.) Alias probationes vide in meo tractatu *de Episcopo*, tomo 1, pagina 81. Hinc *plena* potestas Romani Pontificis universalem Ecclesiam regendi pascendi ac gubernandi, intelligenda est de plena potestate gubernandi, in partem sollicitudinis vocando et adhibendo Episcopos. Proinde contingere nequit ut desinant in Ecclesia existere numero plures Episcopi; neque ut eos omnes aut fere omnes a regendis variis diœcesibus Papa removeat, ut per se solum, aut per solos presbyteros regat. Sic enim divina ipsa Ecclesiæ constitutio deficeret, quod nunquam accidere potest.

Propositio 5ª. — *Episcopos instituit Christus ut Ecclesiam regerent per triplicem potestatem : docendi nempe seu magisterii, sanctificandi seu sacerdotii, et gubernandi seu jurisdictionis.* — Cum enim voluerit Christus per Episcopos Ecclesiam suam regi seu pasci, voluit hoc ipso ut possent fidelium populos ad finem Ecclesiæ proprium, id est visionem Dei intuitivam æternamque felicitatem, perducere. Ad id autem necesse est ut fideles veram fidem edoceantur, utque eis conferantur sacramenta per quæ gratiam et vitam supernaturalem infundit Christus, et tandem in via mandatorum ejusdem Christi contineantur, ac (si forte aberrent) efficaciter reducantur. Dubium ergo non est quin Episcopi, rite ordinati, et ad suas respective ecclesias *legitime* missi ac deputati, triplicem dictam potestatem obtineant. Ipsorum nempe sic legitime constitutorum officium et jus est magisterium exercere, seu edocere ac puram servare orthodoxam fidem. Item sacerdotium et quidem *plenum;* id est, non tantum quo aliqua sicut presbyteri sacramenta conferant, sed etiam quo filios gignere, et sacerdotium perpetuare possint, ordinando alios Episcopos, presbyterosque ac ministros; et confirmationis sacramentum ex ordinaria sua potestate valide ministrando. Item jurisdictionem qua, per leges præcepta et pœnas, subditos ab errore

ac pravitatibus coerceant, ad virtutes et spiritalia bona consequenda dirigant. Et hoc de Episcopis (dummodo legitime constituti sint) tota traditio clamat atque perpetua Ecclesiæ praxis. Quod hic non tam probare voluimus, quam aliunde certum adnotare, ut ad rectam divinæ constitutionis Ecclesiæ notionem viam sternamus.

Propositio 6ª. — *Hierarchiam a se institutam, et constantem Episcopis presbyteris et ministris, complevit Christus ei præficiendo caput, supremum nempe pastorem seu Monarcham, Romanum Pontificem.* — Id exponimus sequenti capite; sed hic adnotandum fuit, ne existimaretur dictam hierarchiam, quatenus a capite suo Romano Pontifice sejunctam, esse totam et completam Christi institutionem. Sic quippe intellecta, non esset *tota* a Christo instituta hierarchia, sed *pars;* non completa, sed trunca, mutila et monstruosa. Sicut nempe corpus humanum, abscisso capite, jam corpus humanum non est, ita nec dicta hierarchia, si a supremo Pastore Christi in terris vicario abstrahatur, est illa mirabilis et perfecta hierarchia quam instituit Christus. Institutum quidem a Christo hierarchiæ sacræ corpus, sed cum capite. Et vicissim instituit quidem caput, sed compaginato simul a divina sua sapientia corpore.

CAPUT III.

DE SUPREMO PASTORE SEU MONARCHA, QUEM CHRISTUS HIERARCHIÆ A SE INSTITUTÆ ET TOTI SUÆ ECCLESIÆ PRÆFECIT.

Propositio 1ª. — *Romanus Pontifex est jure divino totius Ecclesiæ caput, ac Christi vicarius, cum plena potestate universalem Ecclesiam pascendi regendi ac gubernandi.* — Est

de fide. — A concilio Florentino definitum est : « Sanctam » Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum » orbem tenere primatum ; et ipsum Pontificem Romanum » successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et ve- » rum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium » christianorum patrem ac doctorem existere ; et ipsi in Beato » Petro pascendi regendi et gubernandi universalem Eccle- » siam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem tra- » ditam esse. » (In decreto pro unione Græcorum.) Pro præsenti nostro scopo, hic alias fundamentalis illius dogmatis probationes prætermittimus. Eas reperiet lector in tractatibus theologicis de Ecclesia vel de Romano Pontifice. Nosque in nostro tractatu *de Papa* eas abunde suppeditabimus.

Propositio 2ª. — *Romano Pontifici contulit Christus plenam potestatem pascendi regendi et gubernandi ipsammet hierarchiam divinitus institutam, id est, Episcopos presbyteros et ministros.* — Ipsum enim constituit *totius Ecclesiæ* caput. Dicta vero hierarchia est pars ecclesiæ; ergo et hujus partis caput constitutus est Romanus Pontifex. Item ei contulit Christus plenam potestatem pascendi ac regendi *universalem* Ecclesiam ; ergo et dictam hierarchiam, quæ pars est universalis Ecclesiæ.

Propositio 3ª. — *Quamdam ordinis potestatem non subjecit Christus Romani Pontificis arbitrio, quoad validitatem.* —Voluit Christus validum esse baptismum, a quacumque persona conferatur, modo debita interveniat materia et forma, cum intentione agendi quod intendit Ecclesia. Item presbyteratus ordini permanenter annexuit potestatem valide conficiendi sanctissimum eucharistiæ sacramentum; ita ut valide consecret presbyter, quantumvis excommunicatus et prohibitus. Idem dicendum de Episcopo quoad sacrorum ordinum et confirmationis collationem. Ad validam autem sacramenti pœnitentiæ administrationem, ultra prærequisitam aptitudinem cum ordine presbyterali a Christo collatam, re-

quiritur etiam accepta in subditos absolvendos jurisdictio. Et ut simplex presbyter confirmationis sacramentum valide ministret, pontificia delegatione indiget. Quæ omnia hic certa supponimus. Ex quo patet quamdam Episcoporum et presbyterorum ordinis potestatem, utpote cum indelebili charactere ipsis a Christo inditam et inamissibilem, summi Pontificis arbitrio quoad valorem actuum non subjici.

Propositio 4ª. — *Quod quædam ordinis potestas Episcopis et presbyteris per sacram ordinationem divinitus collata, quoad actuum validitatem a Romano Pontifice non pendeat, nequaquam impedit quin vero sensu* plena *dici valeat et revera sit Romani Pontificis universalem Ecclesiam pascendi ac regendi potestas.* — Nam plena hæc potestas intelligitur et dicitur relative ad ea omnia quæ Christus per auctoritatem ecclesiasticam regenda statuendaque reliquit; non autem relative ad ea quæ Christus ipsemet divina sua auctoritate fixa et immutabilia instituit. Unde sicut non impeditur *plena* Romani Pontificis potestas, ex eo quod non valeat Ecclesiam supprimere, nec sacramentorum substantialem formam ac materiam mutare, eorumve numerum augere; ita nec ex eo quod nequeat valide consecrandi potestatem, presbyterali characteri a Christo immutabiliter alligatam, pro arbitrio dare aut retrahere.

Nimirum *plenitudo* pontificiæ potestatis dicitur relative ad potestatem regendi statuendi ac gubernandi, quam Christus in Ecclesia sua instituit ac exerceri posse voluit. Si nulla extet in Ecclesia potestas regendi, statuendi, docendi, decernendi et quovis modo ordinandi, quæ non sit penes Romanum Pontificem, vere plena est et numeris omnibus absoluta ipsius potestas. E contra, si qua exstaret in Ecclesia statuendi, decernendive aut ordinandi potestas, qua careret Romanus Pontifex, falso assereretur potestatis ipsius plenitudo. Quod autem non possit Papa quod a nulla auctoritate ecclesiastica fieri posse voluit Christus, id nullatenus impedit

potestatis Pontificiæ plenitudinem. Quando nempe agitur de iis quæ dependent ab auctoritate ecclesiastica, potestas ea peragendi plene residet penes Romanum Pontificem, ita etiam ut nullus nisi dependenter ab ipso ea peragere valeat. Et hic est sensus quo intelligitur pontificiæ potestatis plenitudo.

Propositio 5ª. — *Quamvis voluerit Christus Ecclesiam suam ab Episcopis regi ac doceri, atque in hunc finem ipse eos instituerit, ipsorum tamen jurisdictionis et magisterii potestas tota dependet a Romano Pontifice; ita ut abnuente Papa, nullus Episcopus eam legitime exercere valeat.* — Equidem verum est, ut diximus supra, institutam à Christo Domino fuisse hierarchiam, Episcopis presbyteris et ministris constantem; itemque divino jure *positos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et inde sequitur in arbitrio Romani Pontificis non esse, ut deficiat in Ecclesia pluralitas Episcoporum varias ejusdem Ecclesiæ partes actu pascentium ac regentium. Et sequitur etiam non permissurum unquam Christum ut Romanus Pontifex pluralitatem illam de medio tollat aut ab Ecclesiæ regimine omnes simul Episcopos removeat.

At simul certum est ac de fide Romanum Pontificem ab eodem Christo Domino totius Ecclesiæ atque ipsorum adeo Episcoporum caput constitutum fuisse, eique in Beato Petro collatam *plenam* potestatem universalem Ecclesiam simulque proinde ipsosmet Episcopos, pascendi regendique ac gubernandi. Ergo jurisdictionis et magisterii potestatem, ad quam exercendam Episcopos Christus instituit, voluit simul Romano Pontifici subjici ac totam quantam ab ipso dependere. Si valerent Episcopi independenter a Romano Pontifice varias Ecclesiæ partes pascere ac regere, edocere ac gubernare, falsum foret Romano Pontifici jure divino collatam fuisse plenam potestatem illam a Concilio Florentino definitam, et aliunde luce meridiana clarius demonstratam, universalem Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi.

Cavendum ergo summopere, ne solum et exclusive prædicetur dogma illud de institutis jure divino Episcopis ad regendam Ecclesiam Dei. Quippe si solum proferatur, nec statim addatur eos quoad ipsam regendi potestatem uni supremo Pastori subjectos omnino fuisse, statim dabitur ansa pestifero errori de constituta Ecclesia, non monarchice, sed ita ut ipsamet Episcoporum collectio seu corpus supremum ipsius caput sit supremaque potestas. Dogma ergo catholicum est totam cujuslibet Episcopi jurisdictionis ac magisterii potestatem a Romano Pontifice dependere, ita ut potestatem hanc unus quisque Episcopus expeditam seu exercibilem habere nequeat nisi per Romanum Pontificem, possitque per eumdem ea privari.

Et conclusio hæc omnino independens est a controversia, num jurisdictionem accipiat Episcopus immediate a Papa, vel immediate a Christo. Nam etiam in opinione quæ immediate a Christo derivatam jurisdictionem episcopalem propugnat, pro certo dogmate habetur, expeditam seu exercibilem non esse ac proinde nulliter exerceri hanc jurisdictionem, nisi Papa suos Episcopo subditos assignaverit ac commiserit.

Vicissim autem dum exponitur mirabilis illa potestatis plenitudo quam Christus Romano Episcopo contulit, prætermittendum non est institutione divina simul ordinatum esse, ut Romanus Pontifex non aliter universalem Ecclesiam regulariter regere deberet, quam in partem sollicitudinis vocando Episcopos, eosque tanquam ordinarios Pastores variis Ecclesiæ partibus præficiendo.

Propositio 6ª. — *Romanus Episcopus est superior, rex et caput omnium aliorum Episcoporum, non tantum quoad jurisdictionem et magisterium, sed etiam quoad sacerdotium seu potestatem ordinis.* — De potestate regendi et docendi, seu de jurisdictione et magisterio, satis patet ex dictis, cum ejusmodi eorum potestas a Romano Pontifice tota dependeat. Fideles quippe nedum teneantur Episcopo aliter quam Romani

Pontificis auctoritate constituto obedire, debent e contra ipsum repellere ac prorsus habere, non tanquam legitimum, sed tanquam intrusum; non tanquam pastorem, sed tanquam lupum ac latronem.

Sed et quoad sacerdotium superiorem ac Regem sibi habent Romanum Antistitem cæteri omnes Episcopi. Quamvis enim Episcopus quisque ad valide consecrandam divinam eucharistiam, conferendos sacros ordines ministrandumque confirmationis sacramentum a summo Pontifice non dependeat, prorsus tamen dependet quoad legitimum ejusdem potestatis exercitium. Ad Papam siquidem pertinet leges circa ejusmodi exercitium edicere, quibus Episcopi omnes obstringantur. Item potest Papa quodlibet dictæ potestatis exercitium alicui Episcopo prohibere, sub reatus gravis atque etiam excommunicationis pœna. Qua stante prohibitione, si Episcopus dictos potestatis ordinis actus exerceat, validè quidam aget, at simul horrendi sese flagitii reum faciet, et extra Ecclesiam seipsum misere exturbabit. Unde ipsa ordinis potestas, nisi dependenter a Papa exerceatur, jam non est potestas nisi ad flagitium et mortem.

Insuper aliqua ordinis potestas, etiam quoad validitatem a Romano Pontifice dependet. Verbi gratia, pœnitentiæ sacramentum valide non ministrat Episcopus nisi eis quos ipsi in subditos Romanus Præsul assignaverit.

Ergo Romanus Episcopus, sacerdotium seu potestatem ordinis ita possidet, ut ipse independenter a quolibet alio valeat potestatem illam legitime exercere. Alii vero Episcopi non nisi dependenter ab ipso licitum habent ejusdem potestatis exercitium; immo nec validum quoad aliquam dictæ potestatis partem. Ergo sacerdotii potestas major ac superior est, jure divino, in Romano Pontifice. Ergo etiam quoad sacerdotium seu ordinis potestatem, Romanus Episcopus cæteris Episcopis superior est. Nimirum etiam quatenus sacerdos ipsis et caput et rex est.

Equidem, attenta sola potestate quæ per presbyteratus ordinem et episcopalem consecrationem confertur, non plus habet Papa quam cæteri Episcopi. In celebrando sacrificio missæ non plus potest Papa quoad validitatem quam simplex presbyter. Item in conferendis sacris ordinibus et ministranda confirmatione valide agit quilibet Episcopus æque ac ipse Papa. Unde quoad id Romano Pontifici æquales omnino sunt reliqui omnes Episcopi. Ast Romano Episcopo contulit Christus, etiam relative ad sacerdotium seu potestatem ordinis, veram auctoritatem et superioritatem ipsi exclusive propriam. Ipsi nempe subjecit totum hujusce potestatis exercitium; ita ut independenter ab ipso nihil ejusdem potestatis licite, et aliqua nec valide, a cæteris Episcopis et presbyteris exerceri valerent.

Proinde minus recte ac considerate a nonnullis, probatæ cæteroquin et catholicæ doctrinæ, scriptoribus asseritur, *in hierarchia ordinis esse Episcopos omnes Romano Pontifici æquales*. Æquivoca est ac periculosa hæc assertio. Nimirum si per hierarchiam ordinis intelligatur hierarchia illa, Episcopis presbyteris et ministris constans, quam Dominus ac Redemptor noster Christus instituit, falsum est eam institutam fuisse absque superiore et capite Romano Pontifice, qui ipsi præsideat, eamque totam cum plena potestate pascat regat et gubernet. Item falsum est cæteros Episcopos quoad ordinis potestatem divino jure non fuisse Romano Episcopo tanquam superiori ac supremo Pastori subjectos.

Propositio 7ª. — *Romanus Pontifex est superior, Rex et caput omnium Episcoporum, sive divisim, sive collective sumptorum.* — Noster hic scopus non est dogma istud (prout et alia commemorata) proprie dicta probatione firmare; sed tantum cursim adnotare tanquam omnino certum, et apud auctores catholicos peremptorie demonstratum. Illam Romani Pontificis in universos Episcopos, etiam collective sumptos, superioritatem ac supremam auctoritatem probant imprimis e texti-

bus evangelicis. Dixit Jesus Petro : *Tibi dabo claves... Quidquid ligaveris...; Pasce agnos meos, pasce oves meas; Confirma fratres tuos.* Hæc supremam et omnimodam superioritatem et auctoritatem evincunt. Aliunde autem certum est quoad regendæ Ecclesiæ potestatem Petro successisse Romanum Episcopum. Tum adducunt innumera Ecclesiæ monumenta, perpetuamque ipsius praxim. Clamat nempe tota hæc sæculorum traditio et praxis agnitum semper fuisse Romanum Pontificem tanquam Episcopis omnibus, etiam collective sumptis, superiorem. Ita ut etiam ea sola conciliorum quorumlibet decreta vim habuerint, quæ a Romano Pontifice approbationem et confirmationem obtinuerunt; ea vero quæ Romanus Pontifex rejecit, pro nullis et irritis habita sint. Et tandem expresse definivit œcumenica synodus Florentina, *ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Si Episcopi collective sumpti Romani Pontificis auctoritati non subjaceant, jam aperte falsum est, ipsi collatam esse *plenam* potestatem, qua valeat *universalem* Ecclesiam regere. Nedum in hac hypothesi plenam illam potestatem haberet, in collectione seu corpore Episcoporum suprema hæc potestas resideret; ipse vero Romanus Pontifex, non esset nisi minister superioris illius potestatis in senatu Episcoporum residentis; et ipse huic senatui tanquam vero Ecclesiæ capiti subjaceret et obedire teneretur. Unde nec esset ipse *totius Ecclesiæ caput*, nec *vicarius Christi*, nec *omnium christianorum pater ac doctor*. Erroneum ergo prorsus est et anticatholicum systema illud, quo negatur Romani Pontificis in Episcopos collective sumptos superioritas.

CAPUT IV.

DE HIERARCHIIS EVOLUTIVIS, ID EST, QUÆ, SEMEL POSITA DIVINA CHRISTI INSTITUTIONE, PER AUCTORITATEM ECCLESIÆ EVOLVI POTUERUNT, ET DE FACTO EVOLUTÆ SUNT.

PROPOSITIO 1ª. — *Semel posita divina Ecclesiæ constitutione superius descripta, evolvi potuit, et de facto evoluta est hierarchia graduum episcopalium.* — Etenim, ex dictis, instituit ipsemet Christus Episcopos ut Ecclesiam suam regerent, simulque unum ex ipsis, Romanum scilicet, Petri successorem, cæteris præposuit cum plena eos et universalem Ecclesiam regendi pascendi et gubernandi potestate. At præter hunc unum, quem aliis in caput superioremque ac regem constituit, æquales inter se quoslibet alios reliquit; ita ut, vi solius institutionis Christi, præter Romanam Sedem et Romanum Episcopum, nulla sedes nullusque Episcopus ullam auctoritatem ac superioritatem in sedem aliam aliumve Episcopum habuerit. Sed quia Romano Pontifici plenam in omnes alios potestatem contulit, potuit is aliquam hujus suæ potestatis partem per aliquem Episcopum in aliquot alios circumvicinos Episcopos exercendam committere, et sic Episcopum istum relative ad hos alios superiorem cum certis juribus constituere. Potuit, verbi gratia, Apostolorum Princeps Petrus Antiocheno Episcopo certam pontificiæ suæ auctoritatis partem committere, in cæteros totius circumjacentis regionis Episcopos exercendam. Idem potuit quoad Alexandrinum. Atque id revera fecit; et sic duo illi Patriarchatus instituti sunt. His postea, Romani Pontificis auctoritate, duo alii, Hierosolymitanus et Constantinopolitanus accesserunt. Pari ra-

tione ab eadem auctoritate constitui potuerunt sub quolibet Patriarcha Primates, et sub quolibet Primate Archiepiscopi seu Metropolitani. Et de facto, omnes illi gradus, qui semel posita unius in omnes mundi Episcopos suprema auctoritate jam enasci ac evolvi poterant, constituti revera et evoluti fuerunt. Et hæc est venerandæ ac sapientissimæ illius episcopalium graduum hierarchiæ vera genesis. Cum gradus illos per semetipsum Christus non instituerit, nonnisi e suprema totius Ecclesiæ auctoritate manare potuerunt. Et cum Romano Episcopo plenam illam totius regendæ Ecclesiæ potestatem contulerit, non ex alio fonte quam ex hac Romani Antistitis auctoritate jura ista, tum archiepiscopalia, tum primatialia, tum patriarchalia repetenda sunt. Unde tota hæc, quam *graduum episcopalium* vocant, hierarchia, quoad principium ex quo emanat, divinæ institutioni adscribenda est; quoad ipsam vero emanationem, ecclesiasticæ.

Propositio 2ª. — *Evolvi etiam potuit, et de facto evoluta est hierarchia graduum presbyteralium sub Episcopo.* — Cum enim Episcopis tanquam ordinariis Pastoribus ex institutione Christi regendæ diœceses a Romano Episcopo committantur, potest sic legitime constitutus Episcopus aliquos e presbyteris eligere, quibus in variis diœcesis suæ partibus exercendam animarum curam committat. Et sic induci potuit et de facto inductus est parochorum gradus. Item potuit Episcopus unum parochum cæteris circumvicinis quoad aliqua superiorem constituere, sub decani aliove titulo. Quæ quidem hierarchia graduum sub-episcopalium, aliam graduum supra-episcopalium aliquatenus im itatur.

Propositio 3ª. — *Evolvi etiam potuit, et de facto evoluta est hierarchia jurisdictionis, tum ab hierarchia divinæ institutionis, tum etiam ab hierarchiis graduum episcopalium et presbyteralium distincta.* — Nam semel posita Romani Episcopi plenapotestate universalem Ecclesiam pascendi regendi ac gubernandi, potuit hoc ipso Romanus Pontifex universale

istud regimen exercere per viros ecclesiasticos, quibus variis gradibus jurisdictionem conferret, certas eis causas vel personas, certave loca, subjiciendo. Et ita de facto peractum est. Enimvero a remotissima antiquitate Romanorum Antistitum praxis fuit in unoquoque regno vel regionum tractu, alicujus determinatæ sedis Præsules in legatos suos constituere, qui collatam sibi apostolicam jurisdictionem in omnes illius ditionis Episcopos Archiepiscoposve ac etiam Primates seu Patriarchas exercerent. Et hi sunt quos vocamus *Legatos natos*, quia simul cum Episcopali sua sede hanc Apostolicam legationem accipiebant. Habuerunt insuper Romani Pontifices alios legatos, quorum jurisdictio nulli certæ episcopali sedi adnectebatur; quos scilicet (sive Episcopos, sive episcopali charactere destitutos) ad aliquod regnum, regionumve tractum mittebant, ut ibi papalem jurisdictionem, intra præfixos ipsis limites, exercerent. Et hi *Legati missi* dicti sunt; qui in duas classes, *Legatorum a latere* et *Nuntiorum*, distingui solent. Item perpetua Sedis Apostolicæ praxis fuit, Romanæ suæ diœcesis clero papalem jurisdictionem exercendam committere; et quidem non solum ad transitorios quosdam actus (ut quando presbyterum vel diaconum misit ad præsidendum alicui concilio œcumenico) sed cum ordinaria et perenni potestate. Et sic variæ Cardinalium congregationes, quoad sibi demandata negotia, papalem in toto orbe jurisdictionem exercent. Item Vicarii et Præfecti Apostolici eam exercent in assignatis sibi districtibus.

Similiter sub ordinario cujuslibet diœcesis Pastore, jurisdictionalis aliqua hierarchia evolvi potuit. Potuit siquidem Episcopus quisque jurisdictionem suam in totam diœcesim, sive quoad generalitatem causarum, sive quoad certas causarum aut personarum species, aliquibus clericis exercendam committere. Et de facto sic constituti sunt olim Archidiaconi, et recentiori tempore Vicarii generales, necnon Vicarii foranei.

In ejusmodi autem hierarchia jurisdictionali potest simplex presbyter diaconusve aut subdiaconus, utpote papalem jurisdictionem exercens, superior esse omnibus mundi Episcopis Archiepiscopisve, atque ipsis etiam Primatibus et Patriarchis. Et pariter clericus, licet nec presbyter nec etiam diaconus aut subdiaconus, si Vicarius generalis Episcopi constituatur, utpote ipsammet episcopalem jurisdictionem obtinens, vere superior est omnibus diœceseos presbyteris aliisque clericis.

Ad distinctionem quod attinet hujusce jurisdictionalis hierarchiæ, ab ea quæ divinæ institutionis est, et quæ constat Episcopis, presbyteris et ministris, eam ex dictis facile potest quisque perspicere. Christus enim descriptos jurisdictionales gradus ipse non constituit; sed dumtaxat plenam regendæ universalis Ecclesiæ potestatem Romano Pontifici contulit, simulque Episcopos instituit, ut per jurisdictionem a Papa accipiendam, et dependenter ab eodem Papa, suas respective diœceses regerent. In qua divina institutione non reperitur series illa graduum jurisdictionalium ex varia papalis jurisdictionis participatione exurgens; nec etiam altera similis series sub Episcopo, quæ ex Episcopi potestate oritur. Tota nihilominus hæc jurisdictionalis hierarchia in ipsa Christi institutione radicem et fundamentum habet. Posita enim papali in universum mundum et episcopali in diœcesim ordinaria jurisdictione, jam omnes isti gradus possibiles fuerunt, evolvique potuerunt, et de facto evoluti sunt.

Propositio 4ª. — *Evolvi etiam potuit, et de facto evoluta est particularis hierarchia jurisdictionalis religiosarum familiarum.* — Semel enim instituta papali in universam Ecclesiam jurisdictione, potuit Romanus Pontifex religiosas familias localium Episcoporum jurisdictioni non subjicere, earumque regimen sibi reservare, et regimen illud per respectivos regulares Prælatos exercere. Et sic de facto peractum fuisse notorium est.

Propositio 5ª. — *Evolvi etiam potuit, et de facto evoluta est aliqua hierarchia dignitatis, seu meri honoris et præcedentiæ.* — Posita enim divina institutione Romani Pontificis tanquam Christi in terris Vicarii cum plena universalem Ecclesiam pascendi ac gubernandi potestate, consequitur majora ipsi deberi reverentiæ et honoris obsequia, quam ulli Episcoporum, immo et quam ulli hominum. Proinde dignitas, id est, præcellentia illa quæ per jus ad reverentiam et honorem constituitur, suprema est in Romano Pontifice. Sicut autem potest jurisdictio per alios exercenda committi, sic et dignitas committi potest per alios repræsentanda. Et hinc est, verbi gratia, quod maxima honoris obsequia Regum legatis præstentur; eo quod scilicet Principum suorum dignitatem ac majestatem repræsentent. Potuit ergo Romanus Pontifex varios constituere gradus, queis dignitas sua repræsentaretur. Quod et revera usu obtinuit. Cardinales quippe ita pontificiam dignitatem repræsentare voluit Apostolica Sedes, ut eis reverentia honorque ac præcedentia supra quemlibet Episcopum, Archiepiscopum, Primatem ve aut Patriarcham debeatur. Quo jure gaudet quilibet Cardinalis, etiamsi tantum subdiaconatus ordinem receperit. Quæ quidem honorum obsequia quando Cardinalibus præstantur, in eis non ipsorum sed summi Pontificis persona intenditur. Cæterum inter ipsos Cardinales speciali quodam ac quam maximo gradu pontificiam dignitatem repræsentat Cardinalis Legatus *a latere*. Post Cardinales, variæ constitutæ sunt prælatitiæ dignitates, majores vel minores, prout ipsis Apostolica Sedes majora vel minora concessit præcedentiæ privilegia.

Item stante divina institutione qua Episcopi ad regendam Dei Ecclesiam (etsi dependenter a Romano Pontifice et per jurisdictionem ab eo accipiendam) positi sunt, magna quædam ex hoc ipso eis inhæret dignitas; quæ etiam potuit variis gradibus per alios repræsentanda communicari. Et sic in cathedralibus Archidiaconi, Archipresbyteri, Decanive ac aliæ

similes dignitates, etiamsi nullam sibi adjunctam jurisdictionem habeant, vero tamen honoris ac præcedentiæ jure potiuntur. In quibus tamen dignitatibus sub-episcopalibus sive instituendis, sive ordinandis, sive supprimendis, Episcoporum potestas Sedis Apostolicæ legibus seu juri communi subjicitur.

PROPOSITIO 6ª. — *Semel posita divina Christi institutione, evolvi etiam potuit et de facto evoluta est aliqua subsidiaria hierarchia ordinis.* — Nam Dominus noster Jesus Christus instituit quidem per semetipsum Episcopos presbyteros et ministros : itemque per semetipsum episcopali characteri annexuit sacros ordines conferendi et sacramentum confirmationis ministrandi potestatem ; presbyterali vero characteri pariter alligavit potestatem sanctissimum Eucharistiæ sacramentum conficiendi. Atvero inferiores ordines, quibus clerici ad superiores rite disponerentur, non ipse instituit, sed Ecclesiæ auctoritati instituendos ac determinandos reliquit. Item unicuique minorum ordinum suum ipse officium non indixit : immo quod propria subdiaconorum et diaconorum munia ipsemet determinaverit non est dogma catholicum; sed hæc Ecclesiæ auctoritati ab ipso permissa licite sustineri potest. Item ab ipso quidem instituta sunt sacramenta; sed Ecclesiæ inducenda reliquit sacramentalia, et certis sacrorum ordinum gradibus adnectendam circa eadem sacramentalia potestatem. Ita vero stante divina Christi institutione, ecclesiastica auctoritate induci potuerunt et de facto inducti sunt minores ordines qui ad majorum receptionem disponerent. Præterea potuit eadem ecclesiastica auctoritas certorum sacramentalium ministrationem, verbi gratia, sacri olei ac chrismatis confectionem, ecclesiarum consecrationem, etc. Episcopis propriam facere; aliorum autem presbyteris etiam permittere; aliquot etiam ejusmodi sacramentalia inferioribus ordinibus deputare, v. g. exorcistis exorcismos. Et ita revera inductum est. Præterea potuit eadem ecclesiastica auctoritas minores ordines conferendi potestatem certis presbyteris,

verbi gratia, monasteriorum abbatibus, tribuere; atque ita de facto dispositum.

Jamvero ejusmodi institutiones aliquod sunt instituti a Christo sacerdotii seu potestatis ordinis complementum, auctoritate ecclesiastica evolutum; et constituunt, ut patet, subsidiariam quamdam ordinis hierarchiam. Evolutionem illam divina sua institutione possibilem reddidit Christus; existentem fecit Ecclesiæ auctoritas.

Propositio 7ª. — *Evolvi etiam potuit hierarchia magisterii : et forsan aliquatenus de facto inducta dici potest.* — Cum Romano Pontifici a Christo collata sit plena potestas universalem Ecclesiam pascendi ac regendi, hoc ipso et penes ipsum jure divino residet suprema potestas magisterii. Quæ potestas cum sit suprema, infallibilis quoque sit in decernenda fide necesse est. Hanc autem docendi potestatem summus Pontifex aliis exercendam committere valet; non quidem cum infallibilitatis privilegio (quod ipsi ex divina institutione personale est) sed sub sua doctrinam et docentes ipsos regendi ac corrigendi auctoritate. Possibiles ergo sunt quidam gradus docentium, auctoritate apostolica præter Episcopos constitutorum.

Dicimus *præter Episcopos*. Nam ipsi divina institutione positi sunt ad pascendam Ecclesiam Dei, etsi dependenter a Romano Pontifice, et prius ab ipso accepta missione. Unde præsupposita illa missione qua Sedes Apostolica diœcesim alicui Episcopo tanquam ordinario regendam committit, hoc ipso penes Episcopum illum residet ordinaria potestas magisterii; non quidem infallibilis, sed quæ tamen cum vera auctoritate exercetur sub infallibili Romanæ Sedis magisterio. Hæc porro episcopalis magisterii potestas et ipsa concipitur variis gradibus committi posse. Unde sicut possibilis est supra-epicopalis hierarchia magisterii ex participato variis gradibus Romani Pontificis magisterio, ita et sub-episcopalis, ex participato magisterio Episcopi.

An tamen utraque de facto evoluta sit ac constituta, aliorum judicium sit. Fatendum sane ad eam multum accedere nonnullas auctoritate ecclesiastica inductas institutiones. Talis est imprimis sacrarum congregationum Inquisitionis et Indicis institutio. Eis nempe apostolica auctoritate commissum est ut pravas doctrinas pravosque libros damnent et prohibeant. In quo quidem exsequendo officio verum ac summi momenti magisterium exercent. Item sub illa congregatione generalium inquisitorum, eadem apostolica auctoritate constituti sunt alii inquisitores, qui in commissa sibi cuique provincia invigilent ne hæresis venenum irrepat, ac de suspectis doctrinis judicent, et num sanæ, an potius erroneæ aut hæreticæ sint auctoritative pronuntient. Et hi profecto veram magisterii potestatem exercent. Item apostolica auctoritate constitutus est doctorum gradus, facta ipsis potestate ubique terrarum eam facultatem publice docendi, in qua doctores pronuntiati sunt. Et quamvis in diplomatibus tradi solitis sapientissime ipsos hortetur Sedes Apostolica ut hac sua publice docendi potestate non nisi annuente loci Ordinario utantur, hæc tamen ipsa hortatio vere traditam magisterii auctoritatem confirmat. Quibus attentis tribus institutionibus, contendet forte quis nihil desiderari, ut evoluta merito dici queat proprie dicta magisterii hierarchia. Cui opinioni ego sicut non contradico, ita nec adhærentem me pronuntio.

Item Episcopi ad docendas ex officio sacras facultates viros ecclesiasticos deputant. Quæ quidem commissio aliquatenus dici potest quædam episcopalis magisterii participatio.

Propositio 8ª. — *Omnes hierarchiæ evolutivæ, quemadmodum auctoritate Ecclesiæ, non autem divina institutione evolutæ sunt, ita per eamdem auctoritatem ecclesiasticam mutari ac supprimi possent.* — Sicut enim Christus eas ecclesiasticæ auctoritati evolvendas reliquit, ita nec præscripsit ut semel evolutæ immutabiles permanerent. Liberum scilicet Ecclesiæ

reliquit, ut pro temporum et circumstantiarum ratione, illas immutaret vel omnino supprimeret. Hinc, absolute loquendo, et nisi secuturum merito formidaretur aliquod Ecclesiæ detrimentum, auctoritate Sedis Apostolicæ supprimi posset tota graduum episcopalium hierarchia; ita scilicet ut nulli jam existerent Patriarchæ, nulli Primates, nulli Archiepiscopi, sed soli Episcopi.

Item supprimi posset aut aliter ordinari jurisdictionalis hierarchia, tum supra-episcopalis, quæ ex participata variis gradibus Romani Pontificis jurisdictione oritur, tum sub-episcopalis, quæ ex participata Episcopi jurisdictione dimanat. Et quoad jurisdictionalem hierarchiam sub-episcopalem magna de facto intervenit immutatio: suppressa quippe jamdudum fuit jurisdictio Archidiaconorum, et ejus loco inducta Vicariorum generalium potestas.

Item, absolute loquendo, supprimi posset hierarchia graduum presbyteralium; ita scilicet ut nulli exstarent parochi, sed ipsemet Episcopus curam animarum ageret, adhibita opera quorumlibet indistincte sibi bene visorum presbyterorum, et modo hos modo illos ad edocendam sacram doctrinam et ministranda sacramenta deputando. Et primis quidem tribus quatuorve sæculis, nullus in mundo extitit parochus. In civitatibus autem episcopalibus non nisi post mille annos parochi inducti sunt. Quod vide probatum in meo tractatu *de Parocho*.

Pariter supprimi posset, absolute loquendo, peculiaris hierarchia jurisdictionalis religiosarum familiarum; ita ut scilicet in qualibet diœcesi sive vivorum sive mulierum religiosi conventus ab Episcopo quoad jurisdictionalia dependerent.

Ad hierarchiam dignitatum quod attinet, per se patet eam supprimi aut aliter disponi posse. Nec est cur idem non dicatur de supra descripta hierarchia evolutiva ordinis seu sacerdotii. Posito enim quod auctoritate ecclesiastica inducta

sit, eadem auctoritate mutari aut supprimi posset, si daretur casus quo id expediret.

Cæterum possibilitatem illam mutandarum aut supprimendarum ejusmodi hierarchiarum hic asserimus speculative dumtaxat, et eo sensu quod immutationi aut suppressioni non obstet divina earumdem institutio. Nam quoad substantialia saltem seu præcipua, ita utiles sunt ejusmodi hierarchiæ evolutivæ, ita eas ex ipsa veluti rerum natura exposcit generale Ecclesiæ bonum, ut vix unquam absque rei catholicæ detrimento valeant in totum supprimi. Si quando tamen contingeret casus quo earum aliquam vel aliquid supprimi expediret, procul dubio hanc suppressionem, imminutionemve ac mutationem decernere posset Christi in terris vicarius Romanus Pontifex.

Hæc cursim de hierarchiis evolutivis tradenda visa sunt; quas facile jam lector perspiciet haudquaquam confundendas esse cum illa fundamentali hierarchia, Episcopis presbyteris et ministris constante, quam ipsemet Christus instituit, et cui caput et regem præfecit Romanum Pontificem.

CAPUT V.

DE MAGISTERIO SEU POTESTATE DOCENDI.

Propositio I^a^. — *Ecclesia cum potestate docendi a Christo instituta est.* — Probatur I^a^. — Ipsiusmet Christi testimonio. — *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit.* — *Prædicate evangelium omni creaturæ... qui non crediderit, condemnabitur.* — *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* — *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* — *Pasce agnos meos... pasce oves meas... Confirma fratres tuos.* — Ex his Christi verbis patet

a Christo in Ecclesia institutos fuisse quosdam qui veram Christi doctrinam prædicarent. Illi porro ex eo quod mandatum docendi a Christo acceperint, auctoritatem simul ad mandatum illud exsequendum acceperunt. Ergo a Christo institutum est in Ecclesia magisterium seu docendi potestas.

Probatur II°. — Traditione practica. — Ecclesia non potuit persuasum habere sibi a Christo datam fuisse docendi potestatem, et hanc persuasionem perpetua agendi ratione exprimere, si hanc potestatem ipsi non dedisset Christus. Alioquin errasset circa fundamentalem constitutionem suam, et portæ inferi prævaluissent adversus eam, et numquam fuisset vera Christi Ecclesia. Atqui Ecclesia actibus suis perpetuo testata est sibi persuasum esse, potestatem docendi et quæ credenda sunt determinandi sibi competere. Nunquam enim per baptismum sibi homines adjunxit nisi prævio confitentes se credere, et promittentes se credituros, quod Ecclesia nomine Christi docet. Præterea eos qui non permanserunt in professione fidei quam ipsa tradit, in consortio suo non retinuit, sed ejecit. Imo quicumque vel unum articulum doctrinæ ab ipsa traditæ pertinaciter negavit, ab ipsius communione resectus est. Tot Conciliorum quæ celebrata sunt præcipuus ille scopus fuit, ut omnes, aliter ac Ecclesia tradit tenentes, damnarentur atque ab Ecclesia tanquam errantes et rebelles expellerentur. Symbola fidei ipsa confecit, atque omnibus credenda imposuit. Ipsius pastorum, doctorum et thaumaturgorum præcipua cura omni tempore fuit, ut infideles et hæreticos omnes confutarent, atque a via salutis, ex eo quod traditam ab Ecclesia doctrinam rejicerent, aberrare demonstrarent. Ergo Ecclesiæ semper fuit persuasum, se a Christo potestatem docendi accepisse; ergo accepit.

Probatur III°. — Ex eo quod nisi Christus potestatem docendi Ecclesiæ dedisset, imperfectum et irritum redemptionis opus reliquisset. — Ut enim hominibus applicentur salutiferi redemptionis fructus, necesse est ut generationes omnes

possint certo cognoscere veram Christi doctrinam et media salutis ab eodem redemptore Christo instituta. Porro, nisi per docentem Ecclesiam addiscant, notionem hanc acquirere sufficienter nequeunt. Nam Christus per se immediate non docet singulos homines externe et visibiliter. Nec docet per internas revelationes, ut experientia constat. Nec sufficiens medium sunt Scripturæ sacræ, quia nisi auctoritate, eas ut authenticas proponente et earum sensum determinante, muniantur, innumeris et contradictoriis interpretationibus ansam præbent, ut experientia etiam patefecit. Nec supplent quoad istam interpretationem Spiritus sancti privatæ inspirationes seu revelationes; de facto enim non fiunt revelationes hujusmodi, quod testari de se quisque potest. Ergo nisi Christus Ecclesiam cum docendi potestate in terris reliquisset, non providisset de sufficienti medio ad applicandos redemptionis fructus.

Probatur IV°. — Ex eo quod alioquin Ecclesiæ institutio irrita foret atque inutilis. — Nam si homines non tenerentur docenti Ecclesiæ obtemperare, et doctrinam ab ipsa traditam amplecti et veram credere, quisque per se ipsum legitime posset de vera Christi doctrina, et de mediis a Christo ad salutem institutis, et de vera morum regula judicare; cum præter Ecclesiam nulla sit auctoritas per quam hæc omnia nota fiant. Nam de facto nec Deus immediate ea revelat unicuique, etiam positis Scripturis sacris; nec est aliud tribunal humanum præter Ecclesiam a Deo institutum et de his sententialiter decernens. Ergo quotiescumque Ecclesia a Christo instituta aliquid etiam circa meram disciplinam decerneret, quisque legitime posset in dubium revocare num ita decernendo contra veram Christi doctrinam ageret : ergo legitime quisque posset de decretis et de omni Ecclesiæ actione non curare; ergo inutiliter prorsus Ecclesiam Christus instituisset.

Probatur V°. — Ex eo quod de facto nulla legitima existe-

ret Ecclesia. — Nam de facto Ecclesia initio a Christo instituta in sinum suum non recepit, nec membra sua fecit, nisi eos qui sibi docenti credere professi sunt. Sed si potestatem docendi a Christo revera non accepisset, hanc exigendo professionem, tyrannice et injuste ageret. Ergo Ecclesia, per Apostolos inducta et a 18 sæculis perdurans, illegitima esset; ergo non esset vera Christi Ecclesia; ergo nulla exstitisset unquam, nec existeret nunc, legitima Christi Ecclesia. Nulla enim est societas quæ historice demonstretur a Christo fundata et per Apostolos propagata, quam illa quæ dicitur Ecclesia catholica : hæc vero semper haberi voluit tanquam potestate docendi et fidem exigendi prædita.

Propositio 2ª. — *Magisterium seu potestas docendi in Ecclesia residens, est potestas obligandi ad fidem.* — Patet rationibus in thesi præcedenti adductis. Et 1° Scripturæ allatis textibus : *Prædicate Evangelium omni creaturæ... Qui non crediderit, condemnabitur.* Ergo Ecclesiæ prædicanti seu docenti evangelium, id est, religionem a Christo revelatam, ita omnes tenentur credere, ut nisi credant, in æternum damnandi sint. — *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus :* ergo qui Ecclesiam, docentem quæ fide tenenda sunt, non audit, tanquam infidelis et peccator habendus est. — *Pasce agnos... pasce oves...* : potestatem pastor habet pascua determinandi ovibus proficua, eas a pascuis quæ ipse exsistimat venenata arcendi; nec liberum est ovibus aliis uti pascuis quam quæ decrevit pastor. Ergo si pastoralem potestatem Christus in Ecclesia sua instituit, jus habebit illa potestas ut oves sibi creditæ, nempe homines, eas accipiant doctrinas quas ipsa eis tradet, non alias; ergo jus habebit eos ad credendum obligandi.

2° Idem evincitur ex Ecclesiæ praxi et traditione Patrum. Numquam enim Ecclesia ad baptismum et tanquam membra recepit nisi eos, qui fidem profiterentur quam ipsa docet et tradit. Renuentes omnes a communione sua semper rejecit.

Quam obligationem docenti et definienti Ecclesiæ per sinceram fidem obediendi, perpetuo propugnarunt Concilia et doctores sanctissimi. Unde Ecclesia Christi, nisi potestatem haberet obligandi ad fidem, perpetuo errasset. Christus autem provisurum se spopondit, ne portæ inferi unquam contra eam prævalerent.

3° Ex præcedenti propositione admittendum est Ecclesiæ competere potestatem docendi; sed nisi docendo posset simul ad credendum obligare, legitime omnes possent de omnibus doctrinis ab Ecclesia traditis dubitare; ergo per aliud medium deberent cognoscere veram religionem a Christo revelatam : sed de facto Christus nullum aliud instituit medium, ut supra ostendimus; sed dixit tantum Apostolis : *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis;* ergo Christus non sufficienter providisset de notificanda omnibus generationibus religione a se revelata et ad salutem necessaria; quod cum dici nequeat, dicendum omnino est potestatem docendi a Christo Ecclesiæ traditam, esse potestatem fidem exigendi.

Propositio 3ª.—*Magisterium Ecclesiæ, seu potestas docendi, a Christo in Ecclesia sua instituta, errare nequit.* — Sequitur ex præcedenti. Nullus enim teneri potest ad credendum falsa; nec Deus unquam potest talem obligationem imponere. Ergo obligatio credendi doctrinæ ab Ecclesia traditæ, necessario præsupponit doctrinam illam esse veram, et nunquam posse errorem ab Ecclesia doceri. Hinc Ecclesiæ in docendo infallibilitas est in ipsamet Ecclesiæ constitutione radicata.

Propositio 4ª. — *Magisterium Ecclesiæ est divinum simul et humanum.* — Nam, ex dictis, obligat ad credendum et est infallibile; atqui si esset mere humanum, nec obligaret ad fidem, cum nullus homo per se solum jus habeat alterum adigendi ut ex conscientia sibi credat; nec esset infallibile, cum ex conditione humana sequatur fallibilitas : ergo ma-

gisterium Ecclesiæ, utpote infallibile et fidem exigens, divinum est. Est tamen simul humanum, siquidem per homines exercetur. Unde concludendum Ecclesiam, cum doctrinam definit, non solam agere, sed per ipsum Spiritum Dei, seu Deum ipsum docere. Et revera ita esse, persuasum semper fuit Ecclesiæ, et omnium sæculorum Patribus et Conciliis. Quod indicant formulæ in decretis fidei et disciplinæ universalis ferendis perpetuo adhibitæ : *Visum est Spiritui sancto et nobis.* — *Sacrosancta synodus in Spiritu sancto legitime congregata.* — *Potestate a Christo accepta,* etc.

Propositio 5ª. — *Potestas docendi cum infallibilitate et ita ut sequatur obligatio credendi, residet penes Romanum Pontificem ex cathedrâ definientem, sive solus pronuntiet, sive in et cum concilio œcumenico : non autem residet in ullo concilio, quatenus sine Papa aut contra Papam pronuntiante. Remissive.* — Hæc quidem propositio unum e præcipuis juribus Ecclesiæ constitutivis exprimit; ac proinde, attento præsentis tractatus scopo, hic evolvenda firmandaque veniret. Sed adeo grave dogma illud est, et tanti interest illud, non aliqualiter, sed plene ac peremptorie inculcari (quod non nisi sat longa disceptatione peragi potest) ut satius duxerimus ad tractatum nostrum *de Papa* remittere, ubi fuse de illa Romani Pontificis infallibilitate disserimus.

CAPUT VI.

DE JURISDICTIONE SEU GUBERNANDI POTESTATE.

Prænotanda. — Jurisdictio a *jure dicundo* dicta est. Sensu valde restricto usurpabatur vox illa in jure civili Romano. Distinguebant scilicet jurisconsulti veteres quadruplicem in republica potestatem nimirum, *majestatem, imperium, juris-*

dictionem et *notionem*. *Majestatem* dicebant supremum jus, cæterorum omnium jurium fontem. Elucebat vero majestas præcipue in ferendis ad commune bonum legibus; residebatque jus illud supremum penes Romanum populum, tempore reipublicæ; ac deinde ad imperatores migravit. *Imperium* nuncupabant potestatem coercendi facinorosos homines; quod jus potestas gladii quandoque etiam vocatum est. *Jurisdictionis* nomine designabant potestatem causas cognoscendi, judicandi, exequendi, et judicem dandi; quæ potestas penes magistratus perpetuo fuit. Quia vero non potuissent magistratus judicata sua exequi nisi habuissent etiam aliquam coercendi potestatem, ipsis jus aliquod ejusmodi coercitionis, non tamen gravis, concedebatur. Hinc ipsorum jurisdictio *mixta imperio*, seu *imperium mixtum* dicebatur. *Notionis* tandem vocabulo intelligebant facultatem noscendi et judicandi, non tamen judicatum exequendi et judicem dandi. Unde judices hac facultate instructi, iidem fere apud Romanos erant, qui apud nos arbitri.

Aliter sonat in jure ecclesiastico jurisdictionis nomen, et ad multo plura extenditur. Ad jurisdictionem quippe refertur potestas, tum dogmata definiendi et obligandi fideles ut definitis articulis firmiter credant; tum leges ferendi de disciplina et moribus; tum causas ecclesiasticas cognoscendi ac judicandi; tum coercendi reos, depositionis, suspensionis, anathematis, aliave pœna; tum concilia convocandi ac eis præsidendi; tum inferiores corripiendi; præceptis subjiciendi, et ad recte implendum munus suum adigendi; tum beneficia erigendi atque in iis beneficiatos instituendi, necnon de bonis ecclesiasticis alienatione vel variis contractibus disponendi. Imo aliqui auctores sub jurisdictione comprehendunt generatim ecclesiasticam omnem potestatem quæ non est *potestas ordinis*, id est, characteri per sacram ordinationem recepto ex divina institutione alligata. In quo sensu magisterium etiam, seu docendi potestatem includit jurisdictio.

De difficultate circa quosdam ecclesiasticæ potestatis actus, an nempe ad ordinem, an ad jurisdictionem referendi sint, hic non disseremus, cum id non requirat præsentis tractationis scopus. Quibus prænotatis, dicemus, 1° de separabilitate potestatis jurisdictionis et ordinis; 2° de variis speciebus jurisdictionis; 3° de jurisdictione ordinaria; 4° de delegata.

§ I.

Differt et separari potest jurisdictionis potestas a potestate ordinis.

Hanc distinctionem aut separationis possibilitatem inter utramque potestatem impugnarunt Georgius Sicardus et alii heterodoxæ doctrinæ fautores. Litem præcipuæ moverunt de Episcopis, eo fine ut statuerent Episcopos, sicut plenitudinem sacerdotii, ita et hoc ipso plenitudinem jurisdictionis obtinere, sicut a Christo obtinuerant Apostoli quorum successores sunt. Hinc eversa Romani Pontificis suprema et universalis tam agnos quam oves, id est, tam fideles quam Episcopos pascendi atque regendi potestas.

Ut autem plene confutetur error ille gravissimus, hoc ordine disseremus : 1° Certum est potestatem ordinis episcopalis esse plenam et æqualem in omnibus Episcopis, nec posse restringi aut auferri. 2° Certum est potestatem jurisdictionis restringi posse. 3° Certum est potestatem ordinis episcopalis stare posse sine ulla jurisdictione. 4° Certum est jurisdictionem episcopalem stare posse sine episcopali ordine. 5° Conclusio de distinctione et separabilitate utriusque potestatis.

I

Certum est potestatem ordinis esse in omnibus Episcopis inamissibilem æqualem et summam.

Sic habet concilium Tridentinum sessione 23, capite 4 : *Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest; merito sancta synodus damnat eorum sententiam qui asserunt Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, iterum laïcos effici posse, si Verbi Dei ministerium non exerceant.* Sancta synodus damnat sententiam eorum qui contendunt *potestatem* sacerdotum Novi Testamenti esse tantummodo *temporariam;* ergo certum est Episcopos, qui, ex eodem concilio, sunt presbyteris superiores, habere aliquam potestatem perpetuam seu inamissibilem. Ideo autem sacra synodus illam inamissibilem potestatem sacerdotibus tribuit, *quoniam in sacramento ordinis character imprimitur qui nec deleri nec auferri potest;* sed potestas ex ordinatione et charactere ordinis est illa quam vocamus et quam vocant omnes *potestatem ordinis;* ergo potestas ordinis est in omnibus Episcopis inamissibilis. Est etiam æqualis, utpote ex æquali sacramento et charactere profluens. Est etiam summa, siquidem inter varios ordines nullus unquam in Ecclesia habitus est episcopatu altior, sed e contra semper solis Episcopis, utpote plenitudinem sacerdotii possidentibus, tributa est potestas alios in presbyteros et Episcopos ordinandi.

Hinc invicte sequitur potestatem ordinis non posse in Episcopis, sicut nec in presbyteris, restringi, neque in seipsa, neque quoad loca aut populos. Connexa enim est characteri qui semper idem manet. Hinc Hieronymus, de illa ordinis potestate et dignitate loquens : *ubicumque fuerit Episcopus,*

sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, ejusdem est sacerdotii. (Epist. ad Evangelum, 146, n. 1.)

Hæc autem doctrina de potestate ordinis, quatenus inamissibili, et a potestate jurisdictionis distincta, constanter et unanimiter a doctoribus scholæ tradita est : pro quibus satis sit divum Thomam adduxisse : *Spiritualis potestas una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis : sacramentalis quidem potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur... et talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim labatur.* (S. Thomas, 2, 2, q. 39, art. 3, in corp.)

II

Certum est episcopalem jurisdictionem restringi posse.

Propositio 1ª. *Episcopi non successerunt plenitudini jurisdictionis quam extraordinarie habuerant Apostoli in totum orbem.* — Hic probandum est tantum factum istud historicum, nempe post Apostolos unumquemque Episcopum non habuisse jurisdictionem nisi in determinatum aliquem locum. Porro factum istud plenissime constat.

1° Restrictionem jurisdictionis episcopalis ad certum locum innuunt hæc sanctorum Petri et Pauli verba : *Pascite qui in vobis est gregem Dei* (I Petri, 5-2) : monentur scilicet pascere non universos fideles, sed gregem, qui apud ipsos erat. *Reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros* (ad Tit. 1-5) : en provincia ecclesiastica intra terminos locales determinata et Tito assignata. *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Actor., 20, 28) : universus ille grex non est mundi totius, sed ille determinatus *in quo* Spiritus sanctus posuerat Episcopos illos quos Paulus alloquitur.

2° Restrictionem jurisdictionis episcopalis ad certum locum et populum, expresse ut certam tradit S. Cyprianus (Epist. 55 ad Cornelium Papam) : *Singulis pastoribus portio gregis adscripta est, quam regat unusquisque atque gubernet.* Idem Cyprianus in libro de Unitate Ecclesiæ sic habet : *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur :* pars utique potestatis jurisdictionalis : nam potestatis ordinis, non partem quisque Episcopus, sed plenitudinem accepit.

3° Sanctus Chrysostomus commentans citata verba Pauli, *reliqui te Cretæ*, ait : *Neque enim volebat* (S. Paulus) *totam insulam uni committi, sed unicuique suam curam et sollicitudinem assignari* (Hom. 2, in cap. 1 Epistolæ ad Titum, n. 1).

4° Percelebre est sancti Bernardi de Episcopis dictum : *Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos... alii singuli singulas sortiti sunt plebes... aliorum* (Episcoporum) *potestas certis arctatur limitibus.* (*De Consider.*, l. 2, c. 8, n. 15.)

5° Concilium Nicænum (Can. 6. — Labbe, t. II, col. 40) : *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem... Similiter autem et apud Antiochiam cæterasque provincias.* Ergo antiqua consuetudine suos quilibet Episcopus et Patriarcha jurisdictionis habebat limites.

6° Concilium œcumenicum Constantinopolitanum 1, canone 2 : *Secundum regulas constitutas Alexandriæ quidem Episcopus ea quæ sunt in Ægypto tantum gubernet : Orientis autem Episcopi, solius Orientis curam gerant... Sed et Asianæ diœcesis Episcopi ea quæ sunt in Asia et quæ ad Asianam tantummodo Ecclesiam pertinent gubernent. Ponti autem Episcopi, Ponticæ tantum diœcesis habeant curam : Thraciæ vero, ipsius tantummodo Thraciæ* (1). Idem concilium sic initio habet : *Episcopi qui extra diœcesim sunt, ad ecclesias quæ*

(1) Apud Labbe, tomo 2, col. 958. Edit. Parisiis, 1671.

extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant et permisceant ecclesias. (Loco citato, col. 948).

7° In confesso est apud eruditos quosque canonum qui dicuntur Apostolorum veneranda antiquitas. Porro sic habet canon 28 : *Episcopus non audeat extra fines suos ordinationes facere in civitatibus aut pagis ipsi non subjectis. Quod si convictus fuerit hoc fecisse præter eorum sententiam qui civitates illas et pagos obtinent, deponatur et ipse, et ii quos ordinavit.*

8° Sic statuebat anno 461 concilium Turonense canone 9 et 10 : *De præsumptoribus etiam placuit observare, ut si quis Episcopus in jus fratris sui conatus fuerit inserere potestatem, ut aut diœceses alienas transgrediendo terminos a Patribus constitutos pervadat, aut clericos ab aliis ordinatos promovere præsumat, ab universorum fratrum et consacerdotum suorum communione se alienum efficiendum non dubitet... Ordinationes vero illicitas in irritum devocamus* (1).

9° S. Chrysostomus ad S. Innocentium I scribens : *Pietatem vestram audivisse opinor quid hic ausa sit iniquitas... Neque enim consentaneum est ut qui ex Ægypto sit, eos qui in Thracia sunt judicet.* (Coustant, 4, inter epistolas S. Innoc. I.)

10° Zozimus Papa : *Omnes sane admonemus* (nempe Episcopos Galliæ), *ut quique finibus, territoriisque suis contenti sint : nam barbara et impia ista confusio est aliena præsumere.* (Coustant, epistolarum Zozimi Ia.)

11° Volebant quidam sanctum Augustinum extra diœcesim se transferre ad coarguendos Donatistas. Respondet Augustinus (epist. ad Eusebium 34) : *Hoc ridiculum est dicere, quasi ad me pertineat cura propria nisi Hipponensis ecclesiæ... In aliis enim civitatibus tantum agimus quod ad Ecclesiam pertinet, quantum vel nobis permittunt, vel nobis imponunt earumdem civitatum Episcopi fratres et consacerdotes nostri.*

12° Concilium Ephesinum (Labbe, t. III, col. 659), impiam

(1) Conciliorum Mansi, tomo 7, col. 946. Edit. Florentiæ 1762.

vocat et illegitimam sententiam Joannis Antiocheni Episcopi in sanctum Cyrillum Alexandrinum, utpote quæ sine jurisdictione lata fuerit : *Nam*, inquit, *si quibuslibet potestas fiat majoribus sedibus contumeliam inferendi, et in illos in quos nihil juris habent sententias pronuntiandi...*

Ex his et aliis multis quæ addi possent monumentis, certissime constat jurisdictionem episcopalem qua Apostoli potestatem habuerunt illimitatam quoad loca, extraordinariam fuisse, et a Christo ita fuisse Apostolis traditam, ut non deberet ad successores eorum Episcopos transire. Nam de facto non transiit; siquidem statim post Apostolos et constanter postea, unusquisque Episcopus in aliquo determinato loco tantum jurisdictionem habuit.

Propositio 2ª. — *Restringi potest jurisdictio episcopalis quoad materias.* — Affirmavit Pereira, theologorum forte vanissimus et errorum copia ditissimus, *Episcopos potestatem absolutam et illimitatam in sua quosque diœcesi possidere;* quod et recantarunt his ultimis temporibus non pauci. Porro vix capi potest in tam crassum errorem incidere potuisse dictos viros, nisi in disciplinis ecclesiasticis plane fuerint hospites. Nam

I. Certum est circa materias ecclesiasticas condi posse a conciliis generalibus leges universos Episcopos, etiam Primates et Patriarchas ligantes. Plena sunt hujusmodi canonibus duodeviginti concilia œcumenica. Imo multa hujusmodi sanciuntur cum pœnis in Episcopos resilientes indictis. Ergo sicut dogma catholicum est, concilio œcumenico potestatem competere leges universales circa disciplinam ferendi, ita erraret in fide qui Episcopum quemque in sua diœcesi ab his legibus independentem statueret. Sed posse Episcopum constringi ad regendam suam diœcesim juxta leges sibi a concilio œcumenico impositas, et non aliter, idem est ac posse ipsius jurisdictionem episcopalem in variis materiis restringi.

II. De fide est competere Romano Pontifici plenam potestatem pascendi et regendi universalem Ecclesiam, ut expresse

definivit concilium Florentinum. Ergo et suis legibus ac præceptis potest summus Pontifex quemlibet Episcopum ad varia circa modum regendi suam diœcesim obligare. Sed hoc idem est ac posse episcopalem auctoritatem quoad materias restringi. Hanc summi Pontificis legislativam potestatem probavimus supra, parte 2, sectione 2.

III. Certum est ex perpetua Ecclesiæ doctrina et praxi leges disciplinares Conciliorum provincialium unumquemque Episcopum et etiam metropolitanum obligare (1) ; sed hoc idem est ac posse jurisdictionem episcopalem a concilio provinciali circa varias materias restringi.

IV. Viguit olim disciplina ut jurisdictio Episcopi circa multa potestati subjaceret sui Patriarchæ, et etiam sui Metropolitani; quod probant hæc Episcoporum Ægypti ad Patres Concilii Chalcedonensis verba : *Petimus vestram clementiam exspectare præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam et sancti Patres qui in Nicæa congregati sunt* 318, *hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Archiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, et nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo.* (Act. IV, apud Labbe, t. IV, col. 511.) Et ita recepta erat regula illa et consuetudo ut timerent, ne illam transgrediendo indignationem Ægyptiorum excitarent et ab eis occiderentur : *Omnes Ægyptiacæ regiones insurgent in nos... Occidemur in patria.* Idem constat ex Concilio Nicæno canone 4 : *Firmitas eorum quæ per unamquamque provinciam gerentur, metropolitano tribuatur Episcopo.* Idem constat ex Concilio Antiocheno anni 341 : *Episcopos qui sunt in unaquaque provincia scire oportet Episcopum qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ. Visum est... reliquos Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult qui*

(1) Sic concilium Arelatense II : *nihil contra magnam synodum metropolitani sibi æstiment vindicandum.* (Labbe, t. IV, col. 1017.)

ab initio obtinuit Patrum canon (Can. 9, Labbe, t. II, col. 566). Idem constat ex canone 27 eorum qui dicuntur Apostolici : *Uniuscujusque provinciæ Episcopi agnoscere debent eum qui inter illos primus exsistit,... et nihil magnum sine illius sententia facere.* Idem constat ex communi doctorum scholæ sententia. Gersonem adducere sufficiat : *Status prælationis episcopalis habuit in Apostolis et successoribus usum vel exercitium suæ potestatis sub Petro et successoribus ejus, tanquam sub habente vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis auctoritatis. Unde et quoad talia minores Prælati subsunt Episcopis, a quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur vel arcetur : et sic a Papa posse fieri circa Prælatos majores, ex certis et rationabilibus causis, non est ambigendum.* (*De statu Eccl.* Consid. 3.)

Jam quidem fere exstincta est disciplina quæ hanc tribuebat Metropolitanis in suffraganeos suos jurisdictionem; sed viguit olim, et, si Ecclesiæ opportunum videretur, posset reviviscere ; ergo etiam per Metropolitanum quoad materias restringi potest jurisdictio Episcopi in sua diœcesi : a fortiori per synodos et per summum Pontificem. Unde fatua omnino est doctrina de potestate *absoluta et illimitata* uniuscujusque Episcopi in diœcesi sua.

Propositio 3ª. — *Restringi potest jurisdictio episcopalis quoad personas.* — Id probant monumenta antiquitatis: anno 506 celebratum est Concilium Agathense, cui præfuit S. Cæsarius Arelatensis, et interfuere 33 Episcopi aut Episcoporum procuratores ex omni Gallia. Canone autem 27 sic statuitur : *Monachi etiam vacantes, ad officium clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in civitatibus, nec in paræciis ordinentur. Si necesse fuerit clericum de monachis ordinari, cum consensu et voluntate Abbatis præsumat Episcopus.* Confirmatum fuit decretum istud in concilio Ilerdensi, canone 3, anno 524 : *De monachis vero id observari placuit quod synodus Agathensis vel Aurelianensis noscitur decrevisse,... ut quos*

Episcopus probaverit in clericatus officio, cum Abbatis voluntate debeant ordinari. Unde pro sæcularibus suæ diœcesis ordinandis non indigebat Episcopus ullius consensu : pro ordinandis vero monachis, requirebatur Abbatis consensio. Ergo quoad monachos restrictionem aliquam patiebatur episcopalis ordinaria potestas. — Anno 525 Liberatus, in provincia Bizacena Episcopus, reducere sub jurisdictionem suam tentavit monasterium in sua diœcesi existens. Monachi cum Petro abbate suo ad Concilium Carthaginense causam detulerunt, allegantes se fuisse semper ab Episcopo diœcesano exemptos et soli Primati Carthaginensi subditos. Exemptionem probavit Concilium, non tantum pro illo monasterio sed et pro cæteris Africæ : *Erunt igitur omnia omnino monasteria, sicut semper fuerunt, a conditione clericorum modis omnibus libera, sibi tantum et Deo placentia.* (Labbe, t. IV, col. 1649.) Ibi autem notanda sunt verba hæc *sicut semper fuerunt.* Denotant enim exemptionem hanc ab initio vitæ monasticæ invaluisse. — Eadem exemptione potiebantur fœminarum monasteria, ut constat ex rescripto Bonifacii Carthaginensis Primatis, qui modo memorato Concilio præses fuerat : *Dilectissimis... filiabus meis universis Dei ancillis... Insinuo semper servorum Dei vel ancillarum monasteria liberum habere arbitrium a conditione omnium clericorum... Priscorum Patrum sequentes ritum, etiam vestrum monasterium hoc habere, et in vobis manere usque in ævum* (*statuimus*). *Unde per hanc vos auctoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis unde volueritis spiritalem cibum sumere, liberam in omnibus facultatem habentes...* (Labbe, t. IV, p. 1647.) — Antiquius adhuc habetur monumentum, nempe concilii Arelatensis anni 455, in quo sic statutum fuerat erga Lirinense monasterium : *Monasterii omnis laïca multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quidquam vindicet, aut aliquem ex illa clericum, nisi Abbate petente, ordinare præsumat... Laïca vero omnis monasterii congregatio ad solam ac*

liberam Abbatis proprii quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat. Lectum fuit decretum istud in Concilio Carthaginensi anni 525. (Labbe, t. IV, col. 1024.) — Hinc videre est quantum errent qui exemptiones religiosorum abusum recens introductum dictitant.

Ex tribus præmissis propositionibus constat jurisdictionem Episcoporum posse, et quoad loca, et quoad materias, et quoad personas varie determinari, mutari, extendi, restringi.

III

Certum est potestatem ordinis etiam episcopalis stare posse sine ulla jurisdictione.

I. Probant monumenta antiquitatis. Magni Concilii Nicæni tempore occurrit exemplum Episcopi omni jurisdictione carentis, et qui nihilominus non tantum characterem episcopalem, qui tolli non potest, servavit, sed etiam dignitatem et honorem episcopalis ordinis. Sic enim de Meletio Thebaidæ Episcopo habetur in synodali Concilii Nicæni ad Episcopos Ægypti epistola, quam refert Theodoretus (*Hist. eccles.*, l. 1, cap. 8) : *restant autem quæ ad Meletii petulantiam ab eoque ordinatos spectant. De his etiam quid statuerit synodus, vobis significamus, fratres dilectissimi. Placuit ergo, clementius in illum agente synodo (nam summo jure nullam prorsus veniam merebatur), manere Meletium in propria civitate, nullamque omnino habere potestatem, neque eligendi, neque ordinandi, neque hac de causa in regionem vel civitatem ullam commeandi; sed nudum honoris nomen retinere.* De Martiali et Basilide Episcopis qui depositi fuerant, sic loquitur S. Cyprianus (epist. 68) : *episcopatum gerere et sacerdotium Dei administrare frustra conantur.* Quæ profecto verba de jurisdictione quam amiserant Episcopi illi intelligenda

sunt. — Putat Bolgenus (*L'episcopato*, t. I, c. 4, p. 188, edit. Romæ, 1824), multos ab Apostolis ordinatos Episcopos sine ordinaria ulla jurisdictione; sed qui prout opus erat huc illuc, tanquam auxiliares, cum jurisdictione delegata tantum mittebantur. Et certe in Actis Apostolorum videmus Titum in Dalmatiam missum, Crescentem in Galatiam, Tichicum ad Ephesios, Timotheum ipsum cum Marco Romam vocari. Idem etiam existimavit Christianus Lupus qui in dissertatione proœmiali ad notas et scholia sua in synodos sic habet : *Plura sunt antiqua monumenta quæ evincunt, cunctos multarum ecclesiarum presbyteros in primitiva Ecclesia fuisse consecratione Episcopos : non tamen omnes erant etiam jurisdictione.* — Multi fuerunt antiquitus Episcopi coadjutores, inter quos Nazianzenus, Patris sui per aliquod tempus coadjutor, et S. Augustinus qui aliquandiu idem munus gessit sub Valerio Hipponensi Episcopo. Jam vero illi Episcopi coadjutores jurisdictionem ordinariam non habebant, sed delegatam tantum et dependentem ab Episcopis quibus adjutores erant. — Constat Chorepiscopos quosdam fuisse ordine seu consecratione Episcopos, et tamen jurisdictione episcopali caruisse. Et idem dici debet de Episcopis a schismate vel hæresi redeuntibus. Sic Concilium I Nicænum, canone 8, liberum facit Episcopis catholicis ut Episcopo ab hæresi revertenti servent honorem episcopalis nominis, vel eum alicui loco tanquam Chorepiscopum destinent : *Is autem qui nominatur apud eos* (nempe hæreticos) *Episcopus, honorem presbyterii possidebit; nisi forte placuerit Episcopo* (nempe catholico) *nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatum, aut presbyterii locum, ut in clero prorsus esse videatur : ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* Ubi videtur Episcopos Novatianos ut valide ordinatos a Concilio Nicæno habitos fuisse, at non ut jurisdictionem ullam habentes. — Sed clarius adhuc Concilium Antiochenum (can. 10, Labbe, t. II,

p. 566) : *ii qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi ordinationem manuumve impositionem acceperint, visum est ut suum modum sciant, et sibi subjectas Ecclesias administrent... Nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse et regio... Fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo civitatis cui subjicitur.* Isti Chorepiscopi ordinare poterant presbyteros; ergo erant vere Episcopi : nullam tamen jurisdictionem episcopalem habebant, siquidem omnino Episcopo urbis subjiciebantur. — Concilium Laodicenum jam quarto sæculo sic statuebat : *Non oportet in villis et vicis Episcopos ordinari... hos autem qui antehac ordinati sunt, nihil agere sine conscientia Episcopi civitatis. Similiter etiam presbyteri nihil sine præcepto et consilio Episcopi agant.* (Canone 57, Labbe, t. I, col. 1521.) — Imo fuerunt antiquitus Episcopi ad merum honorem creati, quin eis vel minimum assignaretur territorium in quo jurisdictionem exercerent. Sozomenus tres hujusmodi memorat (hist., l. 4, cap. 34) : *Barses item, et Eulogius, qui quidem ambo postmodum Episcopi fuere, non alicujus urbis, sed honoris dumtaxat causa, tanquam ad repensanda præclara ipsorum facinora in suis monasteriis ordinati. Quo quidem modo etiam Lazarus, de quo supra dixi, Episcopus fuit.* Item in Concilio Ephesino (Labbe, t. III, col. 663) memorantur Episcopi sine diœcesi et sine populo, quos synodus vocat *extorres, otiosos, ecclesiisque carentes.* — Sanctus Anselmus Cantuariensis consuetudinem reprehendit tales constituendi sine plebe Episcopos; ast eos ut vere Episcopos nihilominus habet : *Honor quoque episcopalis non parum vilescit, dum is ad pontificatum assumitur qui ordinatus, quo divertat, vel cui per episcopale ministerium certo præsideat nescit.* (Lib. 3, epist. 147, ad regem Hiberniæ.) — Idem invicte probat disciplina antiqua et perpetua circa Episcopos sedi suæ renuntiantes. Semper nempe habiti sunt tanquam a potestate jurisdictionis excidentes, non vero a potestate or-

dinis. *Cum quis episcopali præditus dignitate,* ait Innocentius III, *nullius tamen ecclesiæ possit esse Episcopus : quemadmodum de illo contingit, qui oneri pontificali renuntiat, non honori.* (Cap. *Inter Corporalia*, 2, *de translatione Episcopi,* in libro primo decretalium.) — Eusthatius in Pamphylia Metropolitanus episcopatui renuntiaverat, et ipsius loco electus fuerat Theodorus. De quo interpellata œcumenica synodus Ephesina sic statuit : *Justum rectumque esse definivimus ut absque omni contradictione* (*Eustathius*) *et nomen retineat Episcopi et honorem et communionem; ea tamen lege ut neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque in ulla Ecclesia ex propria sacrificet auctoritate, nisi id sibi, vel adjuvandi causa, vel concessionis ratione, affectu amoreque christiano, a fratre et coepiscopo, si ita contigerit, liberaliter deferatur.* (Epist. synod. Labbe, t. III, col. 805.) Eustathius poterat ordinationes facere; ergo servabat potestatem ordinis : non poterat ordinare nec aliud quidquam quæ ad episcopalia pertinent sine concessione ordinarii agere; ergo omnem amiserat jurisdictionem. — Hinc Gerson (et idem tradunt unanimiter scholæ doctores) : *Status episcopalis, licet esse possit in aliquo sine plebe et sine usu vel exercitio, hoc fieri non convenit.* (Apud Bolgenium, *L'episcopato,* t. 2, p. 27, edit. Romæ, 1824.) Ergo certum est potestatem episcopalis ordinis stare posse sine jurisdictione. Vicissim autem stare potest episcopalis jurisdictio sine potestate ordinis.

IV

Certum est episcopalem jurisdictionem stare posse sine potestate ordinis.

Probatur ex duplici facto disciplinæ generalis. 1° Jam ab aliquot sæculis invaluit in Ecclesia tanquam disciplina generalis et ubique recepta, ut electus in Episcopum, statim ac

præconisatus fuit in Consistorio Papali et obtinuit bullas, diœcesim sibi assignatam cum plena jurisdictione gubernare possit, etiamsi nondum consecratus. Etenim ex canone Tridentino (sess. 23, c. 2, de reform.) potest ad tres menses consecratio differri. 2° Est etiam universalis disciplina ut, mortuo Episcopo, ipsius juridictioni ad diœcesis gubernationem succedat capitulum cathedrale, et per vicarium capitularem illam exerceat. — Porro in hac utraque disciplina universaliter recepta errare non potuit Ecclesia. Si enim Episcopus præconisatus sed nondum consecratus, et vicarius capitularis, revera jurisdictionem non haberent, sequeretur ingens animarum pernicies. Cum enim ab ipsis parochi instituantur, matrimonia coram talibus parochis celebrata nulla essent : item nullæ absolutiones a talibus parochis, utpote vera jurisdictione carentibus. Disciplinam autem universalem hujusmodi, cum talia damna invehat et errorem dogmaticum includat, impossibile est ab Ecclesia probari, constitui, recipi : alioquin erraret Ecclesia et portæ inferi contra ipsam prævalerent. Ergo cum recta necessario dicenda sic hæc utraque Ecclesiæ disciplina, dicendum etiam est posse jurisdictionem episcopalem absque potestate episcopalis ordinis exsistere.

Idem factis antiquitatis probari posset. Videmus enim plures nondum Episcopos jurisdictionem episcopalem exercuisse tanquam aliorum vicarii et adjutores. Unum tantum exemplum adducemus. Sanctus Basilius aliquandiu ecclesiam Cæsareensem administravit tanquam Episcopi Eusebii vicarius et sub ipsius imperio. Quod factum sic memorat S. Gregorius Nazianzenus : *Adesse, docere, dicto audientem esse, quidvis denique illi* (*Eusebio*) *esse... externorum ad res agendas aptissimus... Ex hoc assecutus est, ut etiamsi illi cathedræ honore secundus esset, Ecclesiæ tamen imperio potiretur.* (Orat. 2, in funere Basilii.)

V

Concluditur distinctas esse et separari posse duas potestates, ordinis scilicet et jurisdictionis.

1. Si non essent distinctæ duæ prædictæ potestates, altera non esset immutabilis et inamissibilis, dum altera plus minusve extendi et restringi potest, tum quoad loca, tum quoad materias et personas; atqui supra ostendimus potestatem ordinis invariabilem esse et inamissibilem, jurisdictionis vero plus minusve posse restringi; ergo non sunt quid unum et idem, sed duo vere et essentialiter distincta. 2. Illa distincta sunt et separari possunt, quorum unum sine altero exsistere potest et de facto exstitit; atqui, ex modo probatis, et potestas ordinis sine jurisdictione, et jurisdictio etiam episcopalis sine ordinis potestate exstiterunt et exsistere possunt; ergo duæ illæ potestates distinctæ sunt et separari possunt.

Distinctionem illam exprimit Concilium Tridentinum sessione 23, c. 7 : *Si quis dixerit... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse Verbi et sacramentorum ministros, anathema sit.* Si per solam ordinationem jurisdictionem sufficientem haberent Episcopi et sacerdotes, synodus non addidisset hæc verba *nec missi sunt.*

§ II.

Variæ jurisdictionis species.

I. Dividitur in jurisdictionem *fori* (1) *interni* et *fori externi.*

(1) Forus sive Forum dicebatur apud Romanos, tum locus ubi justitia exercebatur, tum ipsummet justitiæ exercitium.

— *Jurisdictio fori interni* est illa quæ primario et directe refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem. Exercetur autem per sacramenta, per sacramentalia (verbi gratia, per exorcismos), per orationes publicas pro privatis personis, per reprehensiones, privatas instructiones, et similia. Illa autem fori interni jurisdictio subdividi potest in jurisdictionem fori interni *pœnitentialis*, quæ exerceri nequit nisi intra ipsum tribunal sacramenti pœnitentiæ, et in jurisdictionem fori interni *extrapœnitentialis*, quæ extra prædictum tribunal exercetur; quod evenit, verbi gratia, quando extra tribunal pœnitentiæ superior aliquem dispensat a voto, tollit occultam irregularitatem, et alia hujusmodi exercet.

Jurisdictio fori externi est illa quæ primario et directe publicam corporis fidelium utilitatem respicit. « Valde similis » est, ait Berardi (*Commentaria in jus can.*, t. I, p. 12, edit. » Taurini 1746) salvo potestatis utriusque discrimine, jurisdic- » tioni illi quæ publicis magistratibus competit, et publicam » utilitatem directo curat. Ista est qua jurgiis de dogmatibus » fidei, de morum doctrina, de disciplina subortis, lata sen- » tentia finis imponitur, leges edictaque salubria conduntur, » legitimisque pœnis rei criminum coercentur... Corollarium » est, tantum distingui invicem jurisdictionem fori interni » et jurisdictionem fori externi, quantum distinguantur in- » vicem et utilitas publica et privata. Hinc est, quod exsistere » possint qui habeant jurisdictionem in foro interno, quin » habeant in foro externo, quales sunt parochi; et e conservo » existere possint qui habeant jurisdictionem in foro externo, » quin habeant in foro interno, quales sunt vicarii generales » Episcoporum, vix clericali tonsura initiati; nimirum pro » modo singulorum, quorum aliquibus mandatur cura præci- » pue et directo universitatis, aliquibus cura directo et præci- » pue singulorum. » Subjungit idem auctor : « Maxima opus » esse prudentia in definiendo quænam ad fori interni, et quæ- » nam ad fori externi jurisdictionem pertineant... Ego exem-

» plum præbeo : facultas prædicandi evangelium, facultas » absolvendi a peccatis, facultas absolvendi a censuris, quod » spectat ad vinculum quo fideles spiritu cum Christo conjun- » guntur, est fori interni... At facultas concedendi potesta- » tem prædicandi, absolvendi, sive a peccatis sive a censuris, » ad forum externum pertinet, quia hæc in bonum commu- » nitatis directo refertur. »

Ex eo quod jurisdictio ecclesiastica alia sit fori interni, alia fori externi, sequitur : 1° illam non esse ejusdem conditionis ac jurisdictio civilis : hæc enim nullam fori interni exercitium habet, sed externi tantum. Sequitur 2° sano modo intelligi oportere vulgare adagium, *Ecclesiam de internis non judicare.* Ecclesia non judicat de internis, in judicio publico seu in foro suo externo, concedo : in foro suo interno, nego. Sit in exemplum simonia mentalis seu interna : illam Ecclesia vere prohibet sicut et externam; sed externa tantum subjacet pœnis externis in externo foro. Item qui in paschate communicat peccati mortalis conscius, non violat jurisdictionem externam Ecclesiæ quæ communionem pascalem præcipit; violat autem jurisdictionem internam, quæ exigit ut quisque per dignam communionem suæ utilitati provideat.

II. Dividitur in jurisdictionem *universalem* et *particularem.* — *Jurisdictio universalis* illa est quæ nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias potestati Ecclesiæ subjectas. Illam possederunt Apostoli; sed ipsis vita functis, postquam nempe constitutæ fuerunt diœceses et provinciæ ecclesiasticæ, a nemine unquam exerceri potuit quam vel a Pontifice maximo, vel conciliis œcumenicis. — Universalis quoad loca et personas, sed non quoad materias, competit pluribus Romanis congregationibus, v. g. concilii, rituum, etc.

Jurisdictio particularis illa est quæ restringitur vel ad certas personas, qualis est jurisdictio Prælatorum regularium in suos monachos; vel ad certum locum, qualis est jurisdictio

cujusque parochi in sua parochia, Episcopi in sua diœcesi, Metropolitani in sua metropoli, Patriarchæ in suo patriarchatu; vel ad certas materias, qualis est omnis jurisdictio concessa cum reservatione aliquorum casuum.

Quando jurisdictio particularis determinata est ad certas personas, non ad certa loca, exerceri potest ubique locorum. Hinc Prælatus regularium jurisdictionem suam in monachos sibi subditos potest ubique exercere, modo non turbet jurisdictionem Diœcesani in cujus diœcesi versatur. At jurisdictio quæ alicui competit ratione territorii, locum dedit pluribus dubiis quæ a canonistis et moralistis expenduntur; verbi gratia : utrum possit licite Episcopus subditos suos confirmare aut ordinare in aliena diœcesi absque Ordinarii hujus loci licentia : utrum possit licite et valide extra suam diœcesim exercere jurisdictionem contentiosam : utrum subditos suos extra diœcesim baptizare, absolvere, matrimonio jungere : utrum exercere jurisdictionem voluntariam, etc. : similes autem quæstiones moventur quoad parochos.

III. Diviserunt aliqui jurisdictionem, in *legem jurisdictionis* et *legem diœcesanam*. Ast partitio illa, sub finem 12 sæculi inventa ab auctore glossæ in Gratianeum codicem, et postea a pluribus auctoribus usurpata, fundamento carere videtur. Usurpata est ob varias monasteriorum a jurisdictione episcopali exemptiones. Ex obtentis scilicet privilegiis, monachis reservabatur Prælatorum suorum electio : interdicebatur Episcopo, ne publicis missarum solemniis cum frequenti populo solitariorum disciplinam turbaret, ne factas monasteriis oblationes minueret, ne procurationes, cathedratica, quartas mortuariorum, aliaque id genus exigeret, illæsa in reliquis perseverante Ordinarii jurisdictione. Glossographus ergo, ut paucis verbis comprehenderet ea omnia in quibus perseverabat Episcopi ordinaria jurisdictio, ea *legi jurisdictionis* adscripsit; et item ut exprimeret ea omnia in quibus eximebantur monasteria, illa adscripsit *legi diœcesanæ*, id est obliganti

diœcesim, non tamen monasteria. Hinc frequens illud apud canonistas quæsitum, utrum aliquid pertineat ad *legem jurisdictionis*, an *ad legem diœcesanam;* quod aliis terminis est quærere, utrum in tali materia monachi subjaceant jurisdictioni episcopali, an vero ab ea exempti sint. Ut autem talia quæsita resolvantur, inutile est prorsus recurrere ad denominationes *legis jurisdictionis* et *legis diœcesanæ*, sed inspiciendæ sunt chartæ quibus privilegia monasteriorum continentur, et perpendendæ consuetudines legitime præscriptæ. Jam tamen ab anno 1220 Honorius III prædicta distinctione utebatur, ut videre est in capite *Dilectus*, tituli *de officio judicis ordinarii*. Caput istud ita invenitur summatum in *corpore juris : lex diœcesana et lex jurisdictionis sunt diversæ : unde res judicata in una non obstat agenti in alia.* Recurrit etiam dicta distinctio in c. 22, *De regularibus;* et in c. 1, *De verborum signif.* in 6.

IV. Dividitur in *voluntariam* et *contentiosam*. — *Voluntaria* illa est qua Prælatus inter volentes gratiosum præbet officium, exempli gratia, indulgentias, mandata ad absolvendum concedendo, a censuris absolvendo, et similibus. « Dicitur voluntaria, ait Reiffenstuel (in 1 decret. tit. 29, n. 8), » non ex parte magistratus qui officium suum imploranti » semper impertiri debet, sed ex parte illius qui adit magis- » tratum. »

Contentiosa dicitur ea quæ exercetur in invitum : ut puta in jus vocando, puniendo, et alia hujusmodi exercendo.

Ita quidem generatim utramque exponunt auctores; at quando materias unicuique proprias assignant, mirum est quantum discedant a notione generali quam de voluntaria jurisdictione tradiderunt. Postquam enim dixerunt illam exerceri *in volentes*, illi tanquam propriam assignant potestatem condendi leges seu statuta, exigendi subsidium charitativum, facultates ad audiendas confessiones fidelium sacerdotibus concessas retrahendi, corrigendi extrajudicialiter

subditos, etiam ut aliqui dicunt, per pœnam suspensionis, vicarios a munere privandi, et hujusmodi; quæ quomodo *in volentes* exerceantur explicet qui possit.

Vocabulum jurisdictionis *voluntariæ* videtur idcirco non usurpandum in stricto sensu; et divisionem hanc recidere in istam, quæ clarior et magis accurata videtur, *judicialis* nempe et *extrajudicialis* jurisdictionis. Quidquid ordinare tenetur Episcopus cum forma judicii seu cum forma contentiosa, ad jurisdictionem judicialem seu contentiosam referendum. Quidquid absque illa forma statuendi jus habet, erit jurisdictionis *extrajudicialis* quæ ex usu canonistarum voluntaria vocari solet.

De prædicta jurisdictionis divisione sic habet Berardi (*Comment. in decretales*, t. I, p. 18, Taurini, 1746) : « Magis » opportuna est civilis quam ecclesiastici juris interpretibus » ista distinctio; si quidem jureconsulti generalem exinde » regulam proferunt, qua fieret ut contentiosa jurisdictio » extra territorium exerceri nullo modo posset, contra quam » reciperetur in voluntaria. At juris ecclesiastici interpretes » quamquam in exsecutione contentiosæ jurisdictionis illud » ipsum recipi oportere communi suffragio tradiderunt, non » tamen idipsum recipere potuerunt in voluntaria, quod » ista aliquando pendeat ab ordinis potestate cui cohæreat... » Ubi Prælatus a sua diœcesi absens velit in suos subjectos » voluntariam exercere jurisdictionem, quin ordinem quo » insignitur exerceat, id patitur generalis voluntariæ juris- » dictionis natura. Ubi vero etiam in subjectos suos velit » eam jurisdictionis speciem exercere, quæ sine ordinis mi- » nisterio explicari nequit, quemadmodum contingeret si » sacramentum ordinis et confirmationis diœcesano suo con- » ferret, id minime concedi visum est. »

V. Dividitur in *ordinariam, delegatam* et *prorogatam*.

« *Ordinariam* dicimus, quæ vel ex generali canonum » disciplina, vel ex privilegio quod vim legis habeat, vel ex

» consuetudine, quæ legem facile imitatur, competat, ita ut » adeptæ potius dignitati, quam personæ dignitatem gerenti » quæsita perpetuo credatur. » (Berardi, loco supra citato, pag. 19.) — « Jurisdictio ordinaria dicitur ea, quæ cuipiam » jure proprio, seu ratione officii aut dignitatis suæ ex lege, » canone, vel consuetudine competit. (Reiffenstuel, in 1 de- » cret., t. 29, n. 11). Hujusmodi est jurisdictio fori interni » quæ parochis, fori etiam externi quæ Episcopis, et quæ ca- » pitulis sede vacante jure communi tribuitur; item quæ pro » modo privilegiorum abbatibus cæterisque Prælatis Episcopo » inferioribus singulari jure conceditur.» (Berardi, ubi supra.)

« *Jurisdictio delegata* e contra est quam quis non habet » jure proprio, hoc est, non ratione sui officii aut dignitatis.., » sed solum ex commissione alterius cujus vice fungitur. » (Reiffenstuel.) Ah hanc reduci potest jurisdictio quam canonistæ vocant *mandatam*. In eo enim tantum differunt *mandata* et *delegata* jurisdictio, quod prior committatur pro universalitate causarum, posterior vero pro causis particularibus determinatis; sed ex frequentissimo usu non distinguuntur, et duo vocabula usurpantur ut synonyma.

« *Prorogatio jurisdictionis* est extensio jurisdictionis judicis, » de consensu partium facta, ultra limites intra quos cætero- » quin est constricta... Fit quatuor præcipue modis; videlicet » de persona ad personam, de re ad rem, de tempore ad tem- » pus, et de loco ad locum. » Reiffenstuel in 2 decretal., tit. 2, n. 122.)

§ III.

De jurisdictione ordinaria.

Præsentis paragraphi scopus est tantummodo quærere, quinam veniant sub appellatione Ordinarii, Episcopi, et Diœcesani.

I. Sub nomine *Ordinarii* venit, 1° summus Pontifex, Christi in terris vicarius. Ipse enim est universalis Ecclesiæ Episcopus, et Ordinarius Ordinariorum; quas denominationes ipsi competere, ut probet Reiffenstuel multa allegat documenta (in 1 Decretalium, tit. 31, n. 6). 2° Ordinariam etiam jurisdictionem habent legati summi Pontificis. 3° Item aliquæ congregationes Romanæ, et quidem universalem, licet non quoad materias. 4° Conservatores a Papa deputati ad protegenda aliquorum jura. 5° « Inter Ordinarios quoque » secundum canones, connumerantur Patriarchæ, Primates, » Archiepiscopi et Episcopi : ideoque Ordinariorum nomine » simpliciter prolato, hi omnes, pro sua quisque provincia » vel diœcesi, venit intelligendus. » (Reiffenstuel, loco citato, n. 9.) 6° « Etiam vicarius generalis Episcopi et capitulum » sede vacante veniunt nomine Ordinarii. 7° Canonicus theo- » logalis, qui ex officio jurisdictionem habet ad prædicandum » seu docendum. 8° Canonicus pœnitentialis, qui item ex » officio jurisdictionem habet in foro pœnitentiali et externo. » 9° Tandem Ordinarii appellatione venit quicumque Prælatus inferior, habens ex officio jurisdictionem aliquam ordi- » nariam » (idem, ibid.); modo tamen jurisdictio illa ordinaria sit in foro externo.

Advertendum est omnes qui habent jurisdictionem ordinariam non venire sub nomine Ordinarii; nam sub hoc nomine non intelliguntur parochi, vicarii perpetui, et rectores parochiarum ad nutum revocabiles, licet habeant ordinariam potestatem.

II. Sub nomine *Episcopi* veniunt 1° Patriarchæ, Primates et Archiepiscopi. Non tamen in odiosis : verbi gratia, si illegitimus dispensationem a Papa obtineat ut possit fieri Episcopus, non ideo censetur dispensatus ad archiepiscopatum. 2° In iis quæ spectant ad jurisdictionem, nomine Episcopi venit electus et confirmatus, licet nondum episcopali consecratione insignitus. 3° Prælati inferiores jurisdictionem

habentes quasi episcopalem, sub nomine Episcopi, aliquando veniunt, aliquando non. « In particularibus casibus, num » hoc vel illo modo Episcopi nomen veniat, discernendum » erit potissimum ex appositis vel non appositis certis clau- » sulis seu dictionibus, ex ipsa subjecta materia, stylo curiæ » Romanæ, aliisque hujusmodi circumstantiis. Quod ipsum » declaratur exemplis : sic inprimis recognitio miraculorum » non spectat ad alium quam ad Episcopum, juxta concilium » Tridentinum (sess. 25), *nisi eodem recognoscente et appro-* » *bante Episcopo.* Ubi ponderanda dictio illa *nisi* quæ habet » vim dictionis taxativæ... Similiter *causæ matrimoniales et* » *criminales... Episcopi tantum examini et jurisdictioni relin-* » *quuntur.* (Trid. sess. 24, c. 20, de R.) Ac proinde, quia idem » concilium utitur dictione taxativa *tantum,* non posse ab- » bates quantumvis exemptos et jurisdictionem quasi episco- » palem habentes, de causis matrimonialibus cognoscere, » tenuit Rota (Decisione 346, n. 8, inter impressas). — E » contra quod appellatione Episcoporum in spectantibus ad » jurisdictionem quandoque veniant Prælati inferiores juris- » dictionem quasi episcopalem habentes, declaratur induc- » tione. Sic inprimis respectu propriorum subditorum utun- » tur facultate dispensandi in occultis irregularitatibus, atque » absolvendi suos subditos a quibuscumque casibus occultis » etiam Sedi Apostolicæ reservatis, prout concessum est » Episcopis in concilio Tridentino (sess. 24, c. 6, de R.) Deinde » quod decretum concilii Tridentini... de visitatione *ab Epis-* » *copis* quotannis peragenda extendatur etiam ad inferiores » Prælatos jurisdictionem habentes, tradit Azorius, Bar- » bosa, etc.; omittuntur plura his similia. 4° Nomine Episcopi » simpliciter prolati, venit etiam vicarius generalis ipsius, » ubi is non reperitur exclusus, imo et delegatus Episcopi ha- » bens ad hoc speciale mandatum. » (Reiffenstuel, loco citato.)

III. Utrum parochi veniant nomine Prælatorum sive *Ordinariorum* jurisdictionem in foro externo habentium. — « Pa-

» rochi locorum, spectato jure communi, jurisdictionem in » foro externo non exercent, sed tantum in foro pœnitentiali : » adeoque, secluso speciali privilegio, nec excommunicare » aut alias censuras ferre possunt, nec proprie nomine Præ- » latorum sive Ordinariorum jurisdictionem in foro externo » habentium veniunt. » (Reiffenstuel, loco citato.)

IV. Quis veniat sub nomine *Diœcesani?* — « Diœcesanus » proprie dicitur solus Episcopus : hoc enim vocabulo deno- » tatur ille qui præest toti diœcesi, quod convenit soli Epis- » copo. » (Reiffenstuel, loco citato.) Differt ergo appellatio *Diœcesani* ab appellatione *Ordinarii;* nam Ordinarii vocantur etiam Prælati inferiores jurisdictionem ordinariam habentes. « Unde quando decretalis aliqua loquitur de Diœcesano, ea non procedit de inferioribus Prælatis, licet habeant in loco jurisdictionem ordinariam, alioquin simpliciter dixisset *Ordinarius* non *Diœcesanus.* » (Reiffenstuel.) Hæc tamen regula quasdam patitur exceptiones, quas vide apud citatum auctorem loco supradicto.

§ IV.

De jurisdictione delegata.

Dicendum 1° quæ jurisdictio delegata, et quomodo ab ordinaria differat; 2° a quibus possit jurisdictio delegari; 3° quibusnam committi possit delegatio; 4° quomodo a judice delegato appelletur.

I

Quæ jurisdictio delegata, et quomodo ab ordinaria differat.

1. Jam diximus jurisdictionem delegatam esse illam quæ habetur, non vi proprii officii sed ex beneficio et commissione alterius. Differt judex delegatus a *vicario* in eo quod vicarius

gerat vices Ordinarii in eodem loco ac tribunali in quo consuevit Ordinarius sedere; secus autem contingit in delegato, qui ab Ordinario deputatur ad cognoscendas causas in alio loco, verbi gratia, in aliquo castro; unde statim intelligitur posse appellari a delegato ad Ordinarium, quia est diversum utriusque auditorium; non autem a vicario ad Ordinarium, quia vicarius unum et idem habet auditorium seu tribunal cum suo Ordinario, unde esset appellare ab eodem ad eumdem.

2. Delegatio distinguitur in *universalem,* quando alicui committitur universalitas causarum, vel saltem universalitas alicujus generis causarum, verbi gratia, matrimonalium; et in *particularem,* quando alicui committitur una aut altera tantum causa particularis et determinata. Accurate autem attendendum est ad istam distinctionem, ob diversa quæ ex utraque delegationis specie in jure consectaria dimanant. Nam delegatus ad universitatem causarum reputatur *quasi-ordinarius* : non item delegatus ad causam particularem. Deinde delegatus ad universalitatem causarum potest subdelegare, non quidem totam suam jurisdictionem, sed unam vel alteram causam : delegatus autem ad causam particularem, nisi sit delegatus a supremo Principe, subdelegare nequit. Tertio delegatus ad universalitatem causarum dicitur in stricto sensu habere *mandatam* jurisdictionem. Alter vero *delegatam* tantum.

3. Alii sunt delegati *ab homine,* alii *a jure.* Mirum videri potest aliquam jurisdictionem dari a jure seu a legibus ecclesiasticis, et tamen non esse ordinariam, sed delegatam tantum. Tamen reputatur et est revera delegata tantum, quando jus illam tribuit, non ratione officii, sed per modum specialis commissionis. Et sic in multis Episcopi constituti sunt a jure delegati Sedis Apostolicæ.

Valde notabilis est effectus delegationis illius a Sede Apostolica Episcopis factæ. Nam quando Episcopi statuunt ut de-

legati Sedis Apostolicæ, minime potest appellari ab ipsorum sententia ad Metropolitanum, sed ad delegantem tantum, id est summum Pontificem.

Quandoque Episcopis conceditur ut procedere valeant *etiam tanquam delegati Sedis Apostolicæ.* Ob istam vocem *etiam* concludunt canonistæ in ipsorum arbitrio esse ut procedant, vel tanquam Ordinarii, vel tanquam delegati. In dubio an Episcopus usus fuerit jurisdictione sua ordinaria, an vero delegata, censetur cum delegata egisse. « Tum, ait Reiffen-
» stuel (in 1 decret. tit. 29, n. 38), quia potestas Papæ delegata
» sibi magis est honorifica, tum quia, propter appellationem,
» ad summum Pontificem dumtaxat concessam, rarius con-
» tingit appellari. »

4. Multiplex est discrimen attendendum ordinariam inter et delegatam jurisdictionem. *Primo,* ordinarius superior jurisdictionem suam regulariter delegare potest : delegatus, sine speciali delegantis concessione, aut nisi sit delegatus ad universalitatem causarum, aut nisi delegatus sit a Principe, id est Papa, subdelegare nequit. *Secundo,* citatus a judice ordinario, si dubitetur de jure citantis, tenetur venire et exponere cur jurisdictionem citantis recuset; quia nempe semper præsumitur pro jurisdictione ordinaria donec aliud probetur. Econtra citatus a delegato comparere non tenetur, nisi sibi de delegatione prius fides fiat. Nam aliquem esse delegatum est quid facti; facta autem non præsumuntur nisi probentur. Unde recepta praxis habet, quod delegati antequam incipiant exercitium suæ commissionis, soleant se *legitimare,* id est, exhibere originales litteras suæ delegationis. *Tertio,* superior ordinarius potest sententiam a se latam exsequi. Econtra, an delegatus (nisi sit delegatus a Papa) possit exsequi suam sententiam, controvertitur. De qua quæstione hæc annotat Reiffenstuel : « Inprimis certum est,
» quod delegatus Papæ possit per seipsum exsequi sententiam
» a se latam, nisi malit eam judici ordinario demandare.

» Deinde etiam alii judices delegati, ante sententiæ prolatio-
» tionem, non solum possunt partes citare, sed etiam contu-
» maces punire. Nam quando jurisdictio data est, ea quoque
» concessa esse videntur sine quibus jurisdictio explicari non
» potest... Tandem satis probabiliter dici potest quod, spec-
» tato jure canonico, etiam delegatus inferioris possit suam
» sententiam exsequi, quando delegans habebat talem potes-
» tatem exsequendi, sive hanc eidem expresse concesserit,
» sive non; quia jam accessorie videtur concedi. » *Quarto,* jurisdictio ordinaria non exstinguitur morte concedentis (modo excipiatur jurisdictio vicarii generalis Episcopi); econtra jurisdictio delegata exspirat, si delegans, re integra, id est, processu nondum incœpto, moriatur. Dictum est, *modo excipiatur jurisdictio vicarii generalis Episcopi,* quia eamdem cum Episcopo jurisdictionem habet idemque tribunal; unde mortuo, vel translato, vel suspenso Episcopo, perit hoc ipso jurisdictio generalis vicarii, licet ordinaria sit utpote ipsius officio a jure alligata. *Quinto,* jurisdictio ordinaria est favorabilis, delegata vero, utpote ordinariæ derogans, censetur odiosa, unde est stricte interpretanda. Hinc sequitur prorogari quidem posse ordinariam, non vero delegatam, etiamsi consentiant partes. *Sexto,* sub appellatione *magistratus* venit jurisdictio ordinaria, non vero delegata.

II

A quibus et quomodo possit jurisdictio delegari.

1. Admittitur communiter tanquam certa et generalis regula, eum qui habet jurisdictionem ordinariam posse eam delegare. Constat autem non solum ex positivis textibus juris ecclesiastici, et ex perpetua Ecclesiæ praxi, sed etiam ex ratione : nam talis est præsens hominis conditio, ut nonnisi valde limitato labori vires ejus sufficere possint. Unde nisi

Papæ liberum esset aliorum auxilio multa negotia expedire, generalis Ecclesiæ gubernatio fatisceret; atque idem de aliis Prælatis, pro pondere curarum et negotiorum cujusque muneri incumbente, dicendum est. Unde cum Christus voluerit Ecclesiam ab hominibus regi, potestatemque a se communicatam ab hominibus recte exerceri, concludendum necessario est, voluisse etiam potestatem hanc posse per auxiliares a Prælatis exerceri.

2. Nihilominus superior ordinarius non potest totam suam jurisdictionem, inconsulto Principe, alteri delegare. Ita communiter canonistæ (vide Reiffenstuel in 1 decret., t. 29, n. 59). Nam totam jurisdictionem alteri committendo, non tam censeretur delegare, quam abdicare, quod non potest inconsulto Principe. Insuper non potest aliquis Principe inferior propria sua auctoritate alicubi constituere potestatem aliquam ordinariam, æqualem illi quam ipse accepit : id enim est singulare privilegium supremæ potestati competens. Hoc autem faceret Ordinarius qui totam suam jurisdictionem alteri delegaret.

3. Delegatus primæ auctoritatis, id est, Papæ, potest alteri causam subdelegare. Ita communis doctorum sententia. (Vide Reiffenstuel, in 1 decretal., t. 29, n. 57.)

4. Delegatus alicujus Prælati Papa inferioris, absque specialis delegantis concessione, vel nisi sit delegatus ad universalitatem causarum, subdelegare nequit. Ita communis canonistarum doctrina, excepto Bartholo, qui contendit etiam delegatum ad causam particularem posse illam subdelegare : sed auctor ille in hoc communiter reprobatur.

Quoad delegatum a summo Pontifice, ipsum non posse subdelegare notant juris canonici periti, in casu quo Papa sufficienter indicasset se velle causam expediri per ipsummet delegatum. Idem delegatus invalide subdelegaret, si ideo tantum ita ageret, ut malitiose se exoneraret a causæ discussione.

III

Quibusnam possit jurisdictio delegari.

1. Delegandus a Papa, vel subdelegandus a legato Papæ, debet esse constitutus in aliqua dignitate ecclesiastica, vel obtinere personatum aut canonicatum ecclesiæ cathedralis, aut esse officialis seu vicarius generalis Episcopi, vel prior conventualis. Ita communis canonistarum doctrina. (Reiffenstuel, loco cit., n. 70.) Hoc tamen intelligitur de *ordinario* auctoritatis papalis exercitio. Si enim summus Pontifex alium mitteret legatum, verbi gratia, simplicem monachum aut clericum, et exprimeret hoc fieri de certa sua scientia, valerent processus et gesta hujusmodi legati.

2. Episcopus potest delegare simplicem clericum cæteroquin discretum et gnarum, nec tenetur eligere constitutum in dignitate, personatu aut canonicatu cathedrali.

3. Item Episcopus potest eligere aliquem non sibi subditum, id est, alterius diœcesis; hic tamen, utpote non subditus, potest delegationem recusare. At si Episcopus eligat aliquem suum subditum, potest, ait Reiffenstuel (loco cit., n. 69), invitum et renitentem ad acceptandam delegationem compellere, ne alioquin inutilis videatur delegandi potestas.

4. An a Prælato Papa inferiore delegari possit laïcus? Certum est *primo* delegari laïco non posse ab Episcopis causam spiritualem seu mere ecclesiasticam. Est sententia communis. (Vide Reiffenstuel, in 1 decret., tit. 29, n. 88.)—*Secundo*, certum est laïco delegari non posse ab Episcopis causas criminales clericorum : est item sententia communis.—*Tertio*, an autem laïco delegare possit Episcopus causam temporalem alicujus clerici judicialiter cognoscendam, controvertitur : utramque sententiam cum suis fundamentis exponit Reiffenstuel (in 1 decret., tit. 29, n. 89).

5. An a Papa delegari possit laïcus? « Papa potest non

» solum causas civiles et criminales clericorum, sed etiam
» quasdam alias ecclesiasticas delegare, atque judicandas et
» terminandas committere cuipiam laïco, verbi gratia, regi...
» Quam (sententiam) totus mundus sequitur, ut inquit Julius
» Clarus... Idque specialiter concedendum est summo Ponti-
» fici propter plenitudinem suæ potestatis, quam habet non
» solum in ordine ad causas clericorum, aliasque ecclesia-
» sticas, sed etiam in ordine ad dispensandum de jure supra
» jus ipsum... Atque hoc ipsum olim factum esse legitur.
» (In can. *Hadrianus*, et can. *In synodo*, dist. 63; et can.
» *Illud*, q. 3.) Qua ratione defenduntur a nonnullis privile-
» gia regis Francorum pro conferendis beneficiis regni sui,
» et privilegium Reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus
» casibus contra clericos...

» Cæterum licet summus Pontifex possit privilegio Fori
» quoad quosdam clericos et quoad quasdam causas eorum
» derogare, harum cognitionem laïco judici ex rationabili
» causa delegando, non tamen potest tollere clericorum
» exemptionem in totum, seu quoad omnes clericos, omnes-
» que causas ipsorum... Nam ex tali derogatione seu im-
» mutatione, decoloraretur universalis status Ecclesiæ, con-
» tra quem nequit Papa dispensare... » (Ita Reiffenstuel in
1 decretal., t. 29, n. 93, inde concludens :) « Quod Papa non
» possit sine causa dare potestatem alicui Principi sæculari,
» ut possit judicare inter clericos. Et hoc eo magis est dicen-
» dum, quia juxta communiorem et probabiliorem canonis-
» tarum sententiam, exemptio est de jure divino. »

6. Ex dictis quisque facile colliget, versiculos quibus indicantur conditiones requisitæ ut quis delegari possit, et qui a canonistis referri solent (refert Reiffenstuel, loco cit., n. 67), jurisdictioni civili ex antiquo jure Romano potius accommodatos fuisse, quam ecclesiasticæ. En illos versus :

Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama,
Ætas, qui subsit : committitur huic bene causa.

IV

Quomodo a judice delegato fiat appellatio.

1. Certum est licitum cuique esse appellare a delegato, etiam Papæ, quando per ejus sententiam se injuste gravatum existimat, modo talis delegatus non acceperit potestatem procedendi, adjecta clausula *appellatione remota*. Ita communiter doctores.

2. Quid vero si delegatus summi Pontificis habeat in mandato clausulam *omni appellatione remota?* Non potest appellari, nisi in quibusdam casibus, in quibus jus expresse appellationem concedit nonobstante prædicta clausula. At vero si delegatus summi Pontificis causam subdelegaverit, bene potest a subdelegato ad delegatum appellari; quia delegatus pontificius non potuit subdelegare cum clausula, *appellatione remota*. Hæc enim clausula a Pontifice adjecta censetur propter personale meritum ejus quem eligit, non autem ita ut possit ad alios per subdelegationem extendi.

3. Quando ordinarius a Papa diversus causam delegavit, appellatio semper fieri potest a delegato ad delegantem, id est Ordinarium. Ita sententia communis.

4. Si delegatus alteri subdelegaverit *totam* jurisdictionem suam, nihil sibi reservando, appellatur a subdelegato ad Ordinarium, sive Ordinarius ille sit Papa, sive sit alius Prælatus. (Reiffenstuel in 1 decretal. tit. 29, n. 159.)

5. Si delegatus Papæ subdelegaverit suam auctoritatem alteri, non tamen integram, id est, sibi aliquid reservando, tunc non potest appellari a subdelegato immediate ad Papam, omisso medio; sed appellandum est a subdelegato ad delegatum. Objici quidem potest regula generalis et certa canonis *ad Romanam* 2, q. 6, qua declaratur ab omnibus mundi partibus, atque *omisso medio*, posse immediate appel-

lari ad Papam veluti communem omnium Patrem : sed regula illa fallit in prædicto casu ; quia in isto casu auctoritas *media*, nempe delegatus, est ab ipsomet Pontifice missa. Unde in persona delegati pontificii honoranda est ipsa Pontificis persona. Imo, ait Reiffenstuel, *temeraria foret tunc appellatio ad personam Papæ, utpote quæ jam repræsentatur et habetur in persona sui delegati*. (Loco citato.)

6. Si appelletur a subdelegato alterius delegati quam pontificii, nihil obstat quin, omisso delegato et ipso Ordinario, v. g. Episcopo, immediate appelletur ad Papam ; quia semper immediatus patet ad Papam recursus, excepto casu prædicto, ad ipsum delegatum Papæ relativo. Quæ in hoc paragrapho enuntiavimus vide probata apud Reiffenstuel (in 1 decret. tit. 29, n. 155 et seq.).

CAPUT VII.

DE SACERDOTIO SEU POTESTATE ORDINIS (REMISSIVE).

Præter *magisterium* seu potestatem docendi, et *jurisdictionem* seu potestatem gubernandi, instituit in Ecclesia sua Christus *sacerdotium* seu potestatem ordinis. At de hac tertia potestate disceptatio præsentis nostri tractatus scopum simul et limites excederet. Quapropter, ea omissa, lectorem remittimus ad theologos, ubi *de ordine* disserunt.

EPILOGUS.

De variis in tradenda juris canonici disciplina methodis.

Manca remaneret *de juris canonici principiis* tractatio, nisi et de variis in ea exponenda disciplina methodis breviter saltem aliquid attingeremus.

In duplicem classem immediate distribui possunt varia juris canonici exponendi systemata : in methodum scilicet *prædeterminatam*, et methodum *liberam*.

Omnes enim auctores qui de jure canonico scripserunt, vel ordinem ipsum materiarum in Corpore juris determinatum secuti sunt, vel pro suo quisque ingenio in diversæ ordinationis et formæ ædificium tractationes suas exstruxerunt.

Qui formam seu methodum in Corpore juris prædeterminatam secuti sunt, in duas iterum classes distinguuntur : *Glossistæ nempe, et tractatistæ.*

Glossistæ de jure canonico per tractatus proprie dictos non disseruerunt; sed tantum notas aliquas seu breves commentarios, qui *glossæ* vocari solent, textui juris adnexuerunt.

Glossis successere tractatus seu fusa commentaria, textibus juris, eo ordine quo in collectione Gratiani et libris decretalium jacent, aptata. Et hac methodo scripsere celebriores canonistæ fere omnes. Quorum antiquiores, quoniam eorum nomina sæpe truncata et tironibus vix intelligibilia in citationibus occurrunt, non supervacaneum erit hic describere.

In totum Gratiani decretum scripserunt : Guido de Bayso, qui citari solet sub nomine *Archidiaconi*, eo quod archidiaconus esset in ecclesia Bononiensi. — Ægidius de Bellamera. — Dominicus a Sancto Geminiano, qui vocari solet *Geminianus*. — Cardinalis a Turrecremata. — Joannes Antonius a S. Georgio, qui citari solet sub nomine *Præpositi*, eo quod esset præpositus in ecclesia Medionalensi, et etiam sub nomine *Cardinalis Alexandrini*. — Ludovicus Bologninus.

In quinque libros decretalium scripsere : Innocentius Quartus. — Henricus, qui citari solet sub nomine *Cardinalis Ostiensis*, quia cardinalis et Episcopus Ostiensis fuit. — Joannes Andreas, patria Bononiensis. — Henricus Boich, patria Leonensis. — Ægidius Bellamera. — Baldus de Ubaldis, patria Perusinus. — Franciscus de Accoltis, patria Aretinus. — Antonius de Butrio, patria Bononiensis. — Goffredus, patria

Tranensis. — Petrus de Ancharano, patria Bononiensis. — Cardinalis Franciscus de Zarabellis, patria Patavinus. — Nicolaus de Tudeschis, qui citari solet sub nomine *Abbatis*, vel sub nomine *Panormitani*, vel sub nomine *Abbatis Panormitani*, eo quod esset abbas monasterii Benedictinorum in civitate Panormitana, in Sicilia. — Joannes de Anania, patria Bononiensis. — Joannes Imola. — Fortunius Garzias, Hispanus. — Andreas Barbatia, Siculus. — Philippus Decius, patria Mediolanensis. — Felinus Sandæus, canonicus Ferrariensis. — Augustinus Beroius, Bononiensis.

Quidam ex dictis scripserunt etiam in sextum librum decretalium et in librum Clementinarum. His vetustioribus successere, eadem semper methodo, innumeri alii canonistæ qui hodie bibliothecas replent. Quin, eam methodum sequebatur adhuc, nostris fere temporibus, Devoti, in magno suo opere, quod morte præveniente non absolvit.

Unde usque ad viciniora fere tempora non liberum auctoribus fuit de materiis juris canonici arbitrario ordine et systemate disserere; sed adeo præ manibus omnium erat *Corpus juris canonici*, adeo nota cuique hujus codicis ordinatio et materiarum dispositio, ut qui tantæ auctoritatis textui elucubrationes juridicas non aptasset, confusionem potius legentibus quam utilitatem attulisset, nec parvam etiam sibi concitasset nova sua methodo invidiam. Hinc juris canonici tractatus nihil aliud erant quam in libros decretalium dissertationes et commentaria.

Nec mediocris forte detrimenti fuit quod a venerando isto tramite recentiores tam facile recesserint. Licet enim librorum decretalium ordinatio, si metaphysica subtilitate consideretur, perfectam et ex natura rei quasi logice fluentem methodum non præ se ferat, at (quod utilitate multo præstat) textum atque ordinem fixum, ab omnibus notum et receptum, exhibebat; ex quo in dissertationum et disputationum ambages, facile et sine deceptionis periculo gressus fiebat.

Hinc Zallingerus, postquam sibi hanc proposuit quæstionem : *Cur ordo teneatur decretalium ac titulorum, ubi exstant in Corpore juris sacri, quod aliter fit a plerisque hodie scriptoribus?* digna viri prudentissimi simul et in his disciplinis versatissimi sententia respondet : « 1° Quia in scholis aliqua » canonum collectio tamquam interpretationis et institutionis » materies, et in judiciis tamquam decisionum norma propo- » sita esse debet : atqui Gregorius P. IX, a quo auctoritatem » habet collectio quæ exstat in Corpore juris, sic ait : *Volen- » tes igitur ut hac tantum compilatione universi utantur in » judiciis et in scholis, districtius prohibemus, ne quis præsumat » aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali...* » 3° Quia hac forma atque hoc ordine jus canonicum dudum » receptum fuit... 5° Quia ex scriptoribus hodie natis apud » nos alius alium atque alium tenet ordinem in gravissimis » pertractandis rebus; id quod mihi visum est privatorum » arbitrio minime relinqui debere; cum eam ob causam sciri » haud possit quæ sit propria cujusque argumenti veluti » sedes : quo loco idem in antiquis decretalium commentatio- » nibus sit investigandum : quid denique commodi ex recen- » tibus libris præ antiquis, comparatione facta, studiosi ejus » juris exspectare queant. » (*Instit. juris eccles.*, initio primi voluminis.)

Hodie tamen methodus, a libris decretalium tanquam a typo prædeterminata, generaliter derelinquitur, atque suo quisque systemate institutiones et commentationes sacri juris concinnat. Ita inter alios multos Schenkl, Walter, et novissime Phillips. Neque ego existimavi huic temporum nostrorum jam obtinenti consuetudini esse obnitendum. Quæ enim nostra ætate utiliora sunt, clariori ordine videntur posse disponi, quam si a serie decretalium non discederetur. Aliunde autem quod olim proderat, quia omnibus notum Corpus juris canonici, hodie multis, tironibusque præsertim, confusionem pareret; et tandem (quæ ratio instar necessitatis urget),

institutiones juxta decretalium libros ordinatas pauci legerent vel nulli.

Jam vero inter liberas methodos, quænam cæteris anteponi debeat, subtiliori quam utiliori, ut mihi videtur, dissertatione inquirunt moderni auctores. Dum enim tam abunde et subtiliter disputant de vere philosophica atque e visceribus rei deducta methodo qua tractari juris sacri quæstiones deceat, in ipsa quæstionum tractatione valde jejuni plerumque sunt. Fatendum tamen est plurimum in variis disciplinis utiliter tradendis conferre methodum ex natura rei pertractandæ regulariter deductam, quæ scilicet a generalissima propositi objecti consideratione tanquam a trunco exordiens, per logicam divisionum et subdivisionum subordinationem, ad materias omnes, tanquam ramos varios, attingendas atque explorandas perveniat. At vero metaphysicus ille in methodo rigor non ita necessarius existimandus est, ut nequeant opera illo destituta ingentis esse utilitatis et meriti. Quot Italorum, verbi gratia, libri, in variis quæ rem ecclesiasticam spectant tractationibus, primas facile obtinent, licet recta in eis methodus desideretur! Imo falli nobis videntur rigoris hujus methodici juvenili zelo, qui aliquas disciplinas, sub objecto suo immensam materiarum copiam recondentes, conantur violenter unius tractatus cancellis includere. Si enim velint plene unumquodque argumentum discutere, cogentur librum suum tot divisionum et subdivisionum lineamentis sulcare, ut eis obrui legentis attentionem necesse sit. Id de theologia experientia docuit; quam si tentaret quis unico tractatu quantumvis fuso et logice diviso exponere, per innumerabiles divisionum et subdivisionum tramites sese et lectorem insipienter defatigaret; atque inde confusio oriretur unde præcaveri sperabatur.

Quod vero in disciplina theologica quædam suasit necessitas, ut nempe præcipua quælibet materia speciali et separato tractatu exponeretur, id nobis in jure canonico anteponen-

dum visum est. Concinnata ergo præsenti *de principiis* seu de primordialibus notionibus tractatione, exquirimus jus Ecclesiæ quatenus est societas a civilibus societatibus distincta, et hinc tractatus *de Ecclesia,* id est, *de jure Ecclesiæ relative ad societates civiles.* Sua sunt variis qui in Ecclesia potestatem aliquam exercent personis propria jura : hinc tractatus *de Papa;* tractatus *de curia Romana* (id est, *de Cardinalibus, Legatis et Nuntiis,* ac *Romanis Congregationibus*); tractatus *de Episcopo;* tractatus *de Capitulis,* tractatus *de Judiciis,* ubi et de vicario generali Episcopi; tractatus *de Parocho,* tractatus *de religiosis Ordinibus,* seu *de jure regularium;* tractatus *de jure liturgico.*

Ex qua ordinatione plurima visa est utilitas exsurgere : lector enim dum ei unica, gravis tamen alioquin materia, a cæteris disjuncta proponitur, libentius et facilius ei penitus introspiciendæ incumbit. Nec possunt omnes immensum totius juris canonici ambitum peragrare; sed una aut altera parte, sibi pro ingenii aut munerum gerendorum ratione magis utili, accuratius explorata contenti erunt; quam ideo necesse est eis tanquam totum aliquid ab aliis jurisprudentiæ partibus detractum, exhibere. Vitamus etiam infinitarum divisionum et subdivisionum impedimentum. Id insuper commodi, quod tractatuum istorum collectionem poterit quisque vel ad solitam *de personis, rebus* et *judiciis* distributionem generalem, vel ad subtiliorem aliam, facili negotio aptare.

Superest ut gravissimis e Gallia viris respondeamus, qui sine mora *Compendium* aliquod ad seminariorum usum a nobis edi optarunt atque summa erga nos benevolentia postularunt. Morem eis gerere gratum profecto fuisset nobis quamplurimum; at deterruit atque aliquantisper differendum suasit earum in quibus versamur circumstantiarum ratio. Non enim una atque eadem doctrina, ut notum est, in re canonica apud Galliæ clerum hodie recipitur; sed quod

aliis certum et indubitatum, idem alii falsum et rejiciendum pronuntiant. Varii in rebus gravissimis sensus, varia et inde deducta praxis. Imo et seminariorum cœtus invaserat minime sana atque a Sede Apostolica nuper confixa doctrina. In quo rerum et animorum statu quid potuisset uno aut altero *Compendii* volumine in sanioris doctrinæ gratiam confici? Neque enim quid recte sentiatur asserere et exponere satis est, quando idipsum injecta præjudicia repellunt; sed omnino necesse est probatæ doctrinæ defensorem ad pugnam cum adversario descendere, atque totis probationum armis congredi; ut sic quæ veritatis vigore polleant, quæ inani larva decipiant, ab omnibus dignoscantur. Compendia autem, arctatis quidem expositionibus apta sunt; at ea polemicæ tractationes omnino prætergrediuntur. In compendio asserta, non solidis firmata documentis, excepissent qui jam eadem tenent, rejecissent alii : parva prioribus utilitas, nulla ab aliis obtenta mutatio. Quæ enim mei tantuli scriptoris auctoritas, ut aliter quam ipsa propositarum rationum vi dissentientes viros persuadere me posse autumem?

Timui ergo compendium in medios disputationum hodiernarum æstus statim immittere, antequam aliqua saltem *Institutionum* mearum edita fuissent volumina, quæ ipsi, evolutionum et argumentationum copia, præsidium subministrarent, viamque ad seminaria sternerent. Multa enim quæ in compendio cursim tradita, et probationum indicatione potius quam evolutione firmata, forte displicuissent, perlectis prius aliquot *institutionum*, seu magni mei operis tomis, benignius excipientur. Ad crisim interea vocabitur quæ in hoc præcipue *de Principiis juris canonici* tractatu traditur doctrina; unde ex subortis animadversionibus vel approbationibus, licebit seminariorum quem paramus librum accuratius et prudentius concinnare.

Omnia autem in præsenti tractatu disputata, asserta et

quomodocumque scripta, Sedis Apostolicæ judicio ac correctioni, prompta, ut par est, voluntate ac omninoda humilitate subjicio.

FINIS TRACTATUS DE PRINCIPIIS JURIS CANONICI.

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM.

Tractatus distributio 1

PARS PRIMA. De natura juris canonici. 2

Sectio I. De jure in genere et de juribus a canonico diversis. . . 4

CAPUT I. De jure in genere; ejus notio et variæ species 4

§ 1. Unde juris nomen desumptum 4

§ 2 Quotuplici sensu nomen juris usurpari soleat, et quo nos sensu hic eam vocem accipiamus 5

§ 3. Juris generatim sumpti in varias species distributio 6

CAP. II. De primario juris cujuscumque fundamento 8

§ 1. Refelluntur quædam systemata. . . . . .

Propositio 1ª. Principium obligationum non constituitur per pactum ullum sociale inter homines initum. 9

Propositio 2ª. Neque per obligationem consulendi utilitati publicæ . 10

Propositio 3ª. Neque per lumen naturale rationis dictans talem actum esse ponendum et talem esse vitandum. 10

Propositio 4ª. Neque per conscientiæ dictamen. 11

Propositio 5ª. Neque per ipsummet intellectum divinum ab æterno percipientem quosdam actus esse ab hominibus ponendos, et quosdam vitandos. 11

Propositio 6ª Neque per divinæ voluntatis essentiam, vi cujus Deus aliquos actus imperat, alios vetat 12

§ 2. Statuuntur principia quædam quorum ope deveniatur ad primarium juris cujuscumque fundamentum 12

Propositio 1ª. Homo in quolibet actu suo sibi proponit attingendum finem aliquem ultimum. 12

Propositio 2ª. Finis ultimus ad quem homo necessario tendit quolibet actu suo est bonum plenum seu infinitum. 14

Propositio 3ª. Potest homo bonum plenum supponere et quærere in rebus finitis 15

§ 3. Incumbit homini proprie dicta obligatio tendendi ad Deum tanquam finem ultimum. 16

§ 4. Prædicta obligatio tendendi ad Deum tanquam finem ultimum est omnium obligationum et juris cujuscumque fundamentum 17

CAP. III. De jure naturali. 18
§ 1 Ipsius essentia 20
§ 2. De juris naturalis promulgatione, seu de medio per quod jus illud hominibus innotescit. 24
I. Exponitur vera et communis doctrina, admittens jus naturale cognosci a quolibet homine per lumen naturale ipsi inditum 24
II. Refellitur systema traditionalismi, docens notiones de jure naturali cuilibet ab extrinseco testimonio infundi, ita ut illas homo credendo a societate recipiat, non percipiendo ipse per suum proprium intellectum recognoscat 25
§ 3. De juris naturalis materia, immutabilitate, et vi irritandi quosdam actus 32
CAP. IV. De jure positivo divino. 35
CAP. V. De jure gentium notio 38
CAP. VI. De jure civili 43
§ 1. Juris civilis definitio. 44
§ 2. Ejus in varias species partitio. 44
§ 3. Juris civilis Romani formatio. 46
§ 4. De corpore juris civilis Romani, quibus partibus constet, et quomodo allegari soleat 48
Sectio II. De recta et præcisa juris canonici notione. 53
CAP. I. De juris canonici definitione. 53
§ 1. Ejus varia nomina. 53
§ 2. Quorumdam auctorum definitiones. 55
§ 3. Utrum recta sit definitio quæ auctores juris canonici facit, non solos Romanos Pontifices, sed generatim primos Ecclesiæ pastores, id est, Episcopos 57
§ 4. Quomodo jus canonicum rectè definiri queat. 61
CAP. II. Juris canonici divisio in varias species 65
CAP. III. Juris canonici præstantia 67
1° Quanta sit ex doctorum sententia 67
2° An præstet juri civili 70
3° An præstet theologiæ, et an pro episcopali munere canonista præferendus sit. 71
Sectio III. De jure gallicano. 73
CAP. I. De jure canonico nationali in genere. 74
§ 1. Quid et quotuplex sit jus canonicum nationale. 74
§ 2. Nullum jus canonicum nationale firmari et legitime subsistere potest alia quam Summi Pontificis auctoritate. 75
§ 3. Utrum summus Pontifex possit quodcumque jus canonicum nationale irritare. 77
Propositio 1ª. Potest irritare jus nationale quod fuit ab initio merum privilegium 77
Propositio 2ª. Et etiam jus nationale quod fuerit initio jus com-

mune, ita ut non evaserit particulare, nisi quia dum generaliter alibi cessavit, in aliqua regione vigere non desiit. — *Remissive.* 78
Propositio 3ª. Potest summus Pontifex justa exigente causa irritare jus canonicum nationale etiam concordatis firmatum. . . 78
CAP. II. Quænam sit recta juris gallicani notio et definitio. 82
CAP. III. An jus priscum gallicanum antiquatum fuerit a tempore Pii VII per concordatum anni 1801? 85
§ 1. Recensentur leges et gesta ad jus novum gallicanum pertinentia. 85
§ 2. Per bullam *Qui Christi Domini* priscum jus canonicum gallicanum antiquatum et annullatum est. 87
§ 3. Quod Pius VII perseverare consenserit priscum jus gallicanum (illud præsertim quod *libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* nomine designari solebat) nequaquam probatur ex juramento a cardinali Caprara apud primum consulem præstito, neque ex ullo alio pontificiæ auctoritatis actu. 101
§ 4. Tanquam fontes novi juris canonici Gallicani omnino excludi debent, tum *articuli organici*, tum leges quæcumque a mera potestate civili editæ, tum decisiones concilii status, ac gubernii ordinationes 111
§ 5. Quid in dubio an aliquid pertineat necne ad novum jus gallicanum? 136
Regula generalis pro hodierno jure canonico Galliæ. 136
§ 6. Quid censendum de multiplici praxi præter jus commune jam a tempore Pii VII in Galliis introducta, tacente sancta Sede. — *Remissive* 136
PARS SECUNDA. De causa efficienti, seu de fontibus juris canonici 137
SECTIO I. An sit in Ecclesia aliquis fons juris canonici, et an unicus vel multiplex 139
CAP. I. Est in Ecclesia potestas legislativa seu potestas condendi canones, ac proinde aliquis fons juris canonici. 140
CAP. II. De verbo Dei scripto et non scripto quatenus juris canonici fonte. Non est recensendum inter fontes juris canonici proprie dictos 143
CAP. III. De jure canonico apostolico seu per apostolos constituto . . 145
§ 1. Quænam certo sint juris apostolici, seu per apostolos ipsos constituta. 146
§ 2. An constitutiones quæ dicuntur apostolorum sint ab ipsis apostolis traditæ et a sancto Clemente conscriptæ? 149
§ 3. De canonibus apostolorum in Corpore juris canonici conclusis. 152
Propositio 1ª. Illi canones probabilius ante medium tertii sæculi fuerunt incogniti 154
Propositio 2ª. Sunt tamen antiquissimi, et jam probabilius sub finem sæculi tertii vel initium quarti in Ecclesia cogniti . . 155
Propositio 3ª. 84 canones prout hodie exstant in Corpore juris

canonici et civilis, fuerunt omnes in Ecclesia græca recepti, non item in latina 156
Propositio 4ª. In 50 primis ab Ecclesia Romana et postea generatim in Occidente receptis, benigne interpretari possunt quæ viderentur heterodoxa; in reliquis vero quædam sunt ab heterodoxis confecta et rejicienda. 157
Propositio 5ª. Canones qui dicuntur apostolorum probabilius nec ab apostolis traditi, nec a sancto Clemente conscripti sunt. . . 158
§ 4. An decreta ab apostolis sancita constituant proprie dictum juris canonici fontem a potestate legislativa Romanis Pontificibus distinctum? 159
CAP. IV. De Patrum sententiis quatenus juris canonici fonte. 161
CAP. V. Concluditur unicum proprie et stricte loquendo exstare juris canonici fontem, Romani scilicet Pontificis, Christi in terris vicarii legislativam potestatem 162
Sectio II. De constitutionibus summorum Pontificum quatenus juris canonici fonte. 166
CAP. I. Summus Pontifex immediate accepit ab ipso Christo et ex vi institutionis ejus, potestatem legislativam in universam Ecclesiam. 168
Art. 1. Argumentum ex Scriptura sacra. 169
Art. 2. Argumentum ex praxi Ecclesiæ, id est, exercitio dictæ potestatis legislativæ summorum Pontificum. 172
Art. 3. Argumentum ex Conciliis 184
Art. 4. Argumentum ex Patribus et auctoritate Brevis dogmatici *Super soliditate*. 186
Art. 5. Argumentum ex bulla *Auctorem fidei*. 190
Art. 6. Argumentum ex veteribus collectionibus juris canonici. 190
CAP. II. Romani Pontifices possunt, si velint, legibus suis universos fideles ligare absque cujuscumque acceptatione. 191
CAP. III. Potest, si velit, Romanus Pontifex, legibus suis ligare absque Episcoporum acceptatione 201
CAP. IV. Obligant leges pontificiæ absque principis sæcularis acceptatione aut placito. 209
§ 1. Vera placiti regii origo et historia. 209
§ 2. Falsum est requiri placitum regium, seu potestatis sæcularis acceptationem 217
CAP. V. Utrum generaliter verum sit Romanos Pontifices de facto nolle suas leges esse obligatorias nisi acceptentur 219
§ 1. Sententia tenens quasdam leges pontificias ad disciplinam spectantes, de facto non statim obligare, antequam acceptentur, modo hoc tribuatur liberæ voluntati summi Pontificis, licita est et sustinetur a multis doctoribus catholicis. 219
§ 2. De quibusdam tantum, non vero de omnibus legibus pontificiis

circa disciplinam, verum est Papam consentire ut non obligent statim nisi acceptentur 223
§ 3. An teneatur Episcopus supplicationem ad summum Pontificem dirigere, quando non acceptat legem aliquam pontificiam 227
Propositio 1ª. Quando lex reputatur tanquam certo pertinens ad numerum earum quas Papa non vult obligatorias facere ante acceptationem, Episcopus non acceptans tenetur nihilominus ad supplicationem 227
Propositio 2ª. Si Episcopus nec legem acceptet nec supplicationem dirigat, non tantum peccat ipse, sed omnes de communitate qui legem promulgatam norunt, ad eam observandam teneri videntur. 229
Propositio 3ª. Toto supplicationis tempore, id est, donec a sancta Sede rescribatur, suspenditur ipso facto obligatio legis 229
Propositio 4ª. Si dubitetur an lex sit de numero earum quarum obligationem summus Pontifex subjicit conditioni acceptationis, videtur Episcopum posse agere sicut erga legem quæ certo de isto numero esset. 229
Propositio 5ª. Si rescribatur objectas rationes a summo Pontifice non probari, statim incipit lex certo obligare, et jam ab acceptatione non pendet quoad obligandi vim 230
CAP. VI. De requisita legum pontificiarum promulgatione ut obligent. 230
§ 1. Promulgatio in singulis provinciis non est necessaria ex jure naturali 233
§ 2. Neque ex jure divino positivo 245
§ 3. Synopsis historica de praxi Ecclesiæ circa legum ecclesiasticarum promulgationem 248
§ 4. Promulgatio in singulis provinciis non demonstratur necessaria ex antiqua Ecclesiæ praxi. 259
§ 5. Quomodo varia decreta pontificia promulgari soleant 270
CAP. VII. De variis constitutionum seu litterarum apostolicarum speciebus, nominibus et expeditionibus. 272
§ 1. Variæ species quoad materiam 273
§ 2. Variæ species quoad formam. 275
I. De nomine bullæ, et de forma bullas constituente. 275
II. Quomodo expediantur bullæ. 277
III. De nomine *brevis*, et de ejus forma 279
IV. Quomodo expediri soleant brevia 280
CAP. VIII. Totius secundæ Sectionis conclusio. 281
Sectio III. De cancellariæ regulis tanquam juris canonici fonte. 284
CAP. I. Quid sint cancellariæ regulæ 285
CAP. II. An in præcipua parte regularum cancellariæ, in qua nempe multæ beneficiorum collationes decernuntur summo Pontifici reservatæ, Apostolica Sedes potestatem suam excesserit? 288

§ 1. Falsum est potestatem qua usi sunt Romani Pontifices beneficiorum collationem sibi reservando, novitatem fuisse post falsas decretales fraudulenter introductam. 291
§ 2. Nullum est beneficium ecclesiasticum quod non possit summus Pontifex conferre, si id Ecclesiæ utile reputaverit. 301
§ 3. An exitiales reputandæ sint pontificiæ beneficiorum reservationes? 317
CAP. III. An vim legis universalis habeant cancellariæ regulæ, et sint juris canonici fontibus annumerandæ? 320
CAP. IV. An cancellariæ regulæ adhuc vigere censendæ sint in Gallia? 321
§ 1. An et quomodo ante concordatum anni 1801 viguerint in Gallia cancellariæ regulæ? 322
§ 2. Quid evaserint regulæ cancellariæ vi concordati anni 1801? . 325
Sectio IV. De Conciliorum decretis quatenus juris canonici fonte. 329
1° Quænam Concilia generalia fuerint a sancta Sede confirmata, et quænam reprobata 329
2° Decreta synodorum generalium a Sede Apostolica firmata vim legis universalis habent et sunt juris canonici proprie dicti fons. 331
3° Non approbata aut reprobata robore carent. 332
4° Synodi particulares per se non habent vim legis universalis, nec proinde sunt fons juris canonici stricte sumpti. 333
Sectio V. De romanis Cardinalium congregationibus quatenus juris canonici fonte 334
CAP. I. Quid sit, et quibus polleat facultatibus congregatio Concilii. . 334
CAP. II. An declarationes seu decisiones congregationis Concilii vim universalis legis habeant 337
CAP. III. An et aliarum Congregationum decreta vim universalis legis habeant (*remissive*) 347
Sectio VI. De consuetudine, quatenus juris canonici fonte . . . 349
CAP. I. De consuetudinis natura et diversis speciebus. 350
1° Definitio consuetudinis 350
2° Ejus in varias species divisio. 352
3° Quomodo differat a legibus, statutis, traditionibus et præscriptione 355
CAP. II. De requisitis conditionibus ut consuetudo vim legis habeat. 357
§ 1. De requisitis ex parte communitatis consuetudinem inducentis. 357
1° Requiritur ut inducatur a communitate perfecta. 358
2° A majori parte communitatis. 358
3° Cum certa scientia et non ex errore. 359
4° Libere et non vi aut metu. 360
5° Cum intentione se obligandi 361
6° Actibus non interruptis 362
§ 2. De requisita consuetudinis rationabilitate 362

Propositio 1ª. Potest aliqua consuetudo adversari juri communi quin sit mala vel irrationabilis 363
Propositio 2ª. Irrationabilis et mala est omnis consuetudo juri naturali aut divino contraria. 364
Propositio 3ª. Consuetudo a jure reprobata est etiam inter irrationabiles reponenda 364
Propositio 4ª. Consuetudo quæ peccatorum occasio est et fomes, irrationabilis est censenda 365
Propositio 5ª. Item quæ bono communi adversatur. 365
Propositio 6ª. Item qua rumpitur *nervus* disciplinæ ecclesiasticæ. 365
Propositio 7ª. Item quæ adversatur libertati et immunitati ecclesiasticæ, nisi nitatur privilegio seu concessione sanctæ Sedis. 366
Propositio 8ª. Ergo irrationabilis consuetudo placiti regii 367
Propositio 9ª. Ergo irrationabilis consuetudo qua Episcopi alicujus regionis decreta non acceptarent nisi a se probata, dum constaret Papam non consentire ut sua lex a tali acceptatione penderet. 368
Propositio 10ª. Irrationabilis etiam est consuetudo impediendi ne legati Sedis Apostolicæ recipiantur in provinciis 368
§ 3. De requisito principis, id est summi Pontificis, consensu, ut consuetudo vim habeat 369
Punctum I. Certum est requiri aliquem Principis consensum. 369
Punctum II. Triplex distinguitur Papæ consensus : expressus, tacitus et legalis. 370
Punctum III. Si consuetudo sit certo irrationabilis seu mala, ex nullo Papæ consensu vim habere potest. 371
Punctum IV. De consensu tacito summi Pontificis, juncto cum facilitate reclamandi contra consuetudinem : dat vim consuetudini rationabili sive *præter* sive *contra* jus 372
Punctum V. De consensu tacito summi Pontificis absque reclamandi facilitate. 374
Propositio 1ª. Legislator censendus est velle legem suam servari, quandiu legitime concludi nequit ipsum hujus legis derogationi consentire 374
Propositio 2ª. Quandiu Papa non habet facilitatem reclamandi, legitime concludi non potest ipsum consentire consuetudini contra legem. 375
Propositio 3ª. Quandiu Papa non habet facilitatem reclamandi, consuetudo non potest contra legem legitime præscribere . . . 377
Quæ thesis confirmatur ex Apostolicæ Sedis et Curiæ Romanæ praxi 378
Punctum VI. De consensu legali 382
§ 4. De requisita consuetudinis præscriptione ut vim legis habeat. . 385
Punctum I. Quandonam consuetudo vim legis per viam præscriptionis acquirat 385
Punctum II. Quantum temporis requiratur ut consuetudo per viam præscriptionis vim legis acquirat. 386

1° Quoad consuetudines *præter* jus, sufficit spatium decem annorum. 387
2° Quoad consuetudines *contra* jus, triplex sententia : quid concludendum 388
CAP. III. De effectibus consuetudinis 390
I. Legem interpretatur. 390
II. Legem inducit. 390
III. Irritat actus in contrarium gestos. 391
IV. Quomodo legem præexistentem et sibi contrariam abroget. . 392
CAP. IV. De consuetudinum abrogatione 393
§ 1. De abrogatione consuetudinis per supervenientem legem. . . . 393
I. Consuetudinem generalem abrogat superveniens lex generalis, etsi nullam expressam mentionem faciat de consuetudine 393
II. Consuetudinibus particularibus, sed non immemorialibus, sufficienter derogatur per clausulam generalem *nulla obstante consuetudine*, aut simili 394
III. Prædicta clausula non abrogat consuetudinem immemorialem, sed ad illam tollendam requiritur expressa mentio 395
§ 2. De abrogatione consuetudinis per legem antecedentem consuetudini, seu utrum consuetudo annulletur per legem anteriorem quæ prohibuit omnem in posterum sibi contrariam consuetudinem. 396
Punctum I. Quæstio in genere 396
1° Sententia affirmans. 396
2° Sententia negans. 397
Punctum II. Quæstio in particulari decretis Tridentinis applicata. . . 399
1° Certo nullas esse consuetudines Tridentinis decretis contrarias tradunt maximæ auctoritatis doctores. 399
2° Aliqui tamen auctores stant pro sententia opposita. 402
3° Expenditur congregationum et tribunalium Romanæ curiæ praxis. 403
4° Ob dictam praxim concluditur nulli fas esse decreta Tridentina violare ex solo titulo contrariæ consuetudinis. 408
§ 3. De abrogatione consuetudinis per contrariam consuetudinem. . 409
PARS TERTIA. De juris canonici evolutione historica 411
CAP. I. Quo jure recta fuerit Ecclesia proximis apostolorum temporibus 412
CAP. II. De statu juris canonici in Oriente ab initiis usque ad Photium. 413
§ 1. De canonibus et constitutionibus Apostolorum sancto Clementi adscriptis. 414
§ 2. De celebri et antiquissima collectione in concilio Chalcedonensi commemorata 415
§ 3. De collectione canonum Joannis scholastici et de ipsius nomocanone 418
CAP. III. De statu juris canonici in Oriente a Photio usque ad recentiora tempora 421

CAP. IV. Primus et solus codex auctoritatem publicam habens apud Latinos usque ad sæculum VI, fuit collectio canonum Nicænorum et Sardicensium. 425
§ 1. Collectio quæ dicebatur *Nicænorum canonum* sola in Occidente auctoritatem publicam habuit usque ad VI sæculum 425
§ 2. Num ea quæ dicebatur *Nicænorum canonum* comprehenderit etiam sub eadem denominatione canones concilii Sardicensis. . . 429
§ 3. An Romanorum Pontificum decretales epistolæ in unum codicem cum canonibus Nicænis et Sardicensibus relatæ et editæ fuerint, et an id necessarium fuerit ut dictæ decretales vim universalis legis obtinere potuerint 429
§ 4. Quales fuerint duæ versiones latinæ veteris codicis græci, Dionysio Exiguo anteriores, et num auctoritatem habuerint in Ecclesiis occidentalibus 431
CAP. V. De celebri Dionysii Exigui collectione sæculo VI. 434
§ 1. A quo et quomodo confecta 434
§ 2. Num Dionysius collegerit primus decreta pontificia, et an inde concludi possit olim canones Conciliorum tantum, non vero decretales pontificias, auctoritatem habuisse 437
CAP. VI. De *breviatione* seu indiculo canonum Ferrandi diaconi Carthaginensis sæculo VI. 439
CAP. VII. De collectione seu capitulis S. Martini Bracarensis Episcopi sæculo VI 440
CAP. VIII. De breviario et collectione Cresconii sæculo VII 442
CAP. IX. De collectione Hadriana, anno 774 Carolo Magno tradita . 443
CAP. X. De famosa Isidori Mercatoris collectione, seu de falsis decretalibus, sæculo IX. 444
§ 1. Quis auctor, quo tempore et quem in scopum scripserit 447
§ 2. Falsum est Isidorianam imposturam conscia et connivente Romana Sede fuisse contextam. 452
§ 3. Falsum est per confictas decretales exstructam Romano Pontifici quam sibi vindicat jurisdictionem, perturbata Episcoporum jura, et alia rei ecclesiasticæ illata damna 456
CAP. XI. De *libro Diurno*, sæculo VIII. 463
§ 1. Quinam olim de libro Diurno mentionem fecerint 464
§ 2. De codice Romano, de modo quo ab Holstenio editus est, et a Romana Sede suppressus, et de suppressionis causa. 465
§ 3. De codice Parisino a Patre Garnerio edito, de alio codice Galliæ, et quomodo suum ediderit Garnerius 469
§ 4. Divulgatus tandem anno 1724 liber Diurnus ab Holstenio editus, et quomodo 471
§ 5. Quanti momenti sit Diurnus liber ad fidei confirmanda decreta et ecclesiasticam disciplinam. 471
CAP. XII. De aliis usque ad Gratianum Collectionibus. 473
CAP. XIII. De Gratiani collectione. 478

CAP. XIV. De collectionibus post Gratianum usque ad Gregorium IX. 482
CAP. XV. De collectione decretalium auctoritate Gregorii IX. 484
§ 1. In quem finem et quomodo edita. 484
§ 2. Quomodo a Gratianea differat quoad auctoritatem 486
CAP. XVI. De additis Gregoriani collectioni, seu de sexto decretalium libro, de Clementinis et extravagantibus, de bullario Benedicti XIV; et bullario Romano 487
CAP. XVII. De Corpore juris canonici. 489
§ 1. Quibus partibus constet. 489
§ 2. De ratione illud allegandi 490
CAP. XVIII. De correctione decreti Gratiani publica auctoritate facta sub S. Pio V et Gregorio XIII. 493
CAP. XIX. De jure quod vocant novissimum. 495

PARS QUARTA. — De jure Ecclesiæ constitutivo. 497

CAP. I. De forma sociali Ecclesiæ constitutiva. 498
§ 1. Christus Ecclesiam instituit cum sociali forma. 498
§ 2. Quænam sit forma socialis Ecclesiæ propria. 501
Propositio 1ª. Ecclesia a Christo instituta est externa et visibilis. 501
Propositio 2ª. Instituta est distincta et per se stans. 504
Propositio 3ª. Estque ex hac institutione societas completa . . 505
Propositio 4ª. Est necessario ineunda 509
Propositio 5ª. Ipsam instituit Christus cum forma monarchica (*remissive*) 513
CAP. II. De hierarchia quam in Ecclesia sua constituit Christus. . . 513
Propositio 1ª. Christus in Ecclesia sua hierarchiam instituit, constantem Episcopis, presbyteris et ministris. 515
Propositio 2ª. Dictam hierarchiam instituit per sacramentum ordinis perpetuandam; et ita ut ordinatis conferretur tum character indelebilis, tum inamissibilis quædam potestas, quæ *valide* exerceri valeret independenter ab omni superiori auctoritate. . 518
Propositio 3ª. Illam ita instituit, ut Episcopi essent presbyteris superiores 519
Propositio 4ª. Episcopos eo fine Christus instituit, ut Ecclesiam suam regerent; ita ut, de jure divino, regendis variis Ecclesiæ partibus ordinarie præficiendi sint Episcopi 520
Propositio 5ª. Episcopos instituit Christus, ut Ecclesiam regerent per triplicem potestatem : docendi nempe seu magisterii, sanctificandi seu sacerdotii, et gubernandi seu jurisdictionis 521
Propositio 6ª. Hierarchiam a se institutam, et constantem Episcopis, presbyteris et ministris, complevit Christus ei præficiendo caput, supremum nempè pastorem seu monarcham, Romanum Pontificem 522
CAP. III. De supremo pastore seu monarcha, quem Christus hierarchiæ a se institutæ et toti Ecclesiæ præposuit 522

Propositio 1ª. Romanus Pontifex est de jure divino totius Ecclesiæ caput, ac Christi vicarius, cum plena potestate universalem Ecclesiam pascendi, regendi ac gubernandi. 522
Propositio 2ª. Romano Pontifici contulit Christus plenam potestatem pascendi regendique ac gubernandi ipsammet hierarchiam divinitùs institutam, id est, Episcopos, presbyteros et ministros. 523
Propositio 3ª. Quamdam ordinis potestatem non subjecit Christus Romani Pontificis arbitrio, quoad validitatem 523
Propositio 4ª. Id tamen non impedit quin vero sensu *plena* dici valeat et revera sit Romani Pontificis potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi ac gubernandi. 524
Propositio 5ª. Quamvis voluerit Christus Ecclesiam suam ab Episcopis regi ac doceri, atque in hunc finem ipse eos instituerit, ipsorum tamen jurisdictionis et magisterii potestas, tota dependet a Romano Pontifice; ita ut, abnuente Papa, nullus Episcopus eam legitime exercere valeat 525
Propositio 6ª. Romanus Episcopus est superior, rex et caput omnium aliorum Episcoporum, non tantum quoad jurisdictionem et magisterium, sed etiam quoad sacerdotium seu potestatem ordinis 526
Propositio 7ª. Romanus Pontifex est superior, rex et caput omnium Episcoporum, sive divisim, sive collective sumptorum. 528
CAP. IV. De hierarchiis evolutivis, id est, quæ, semel posita divina Christi institutione, per auctoritatem Ecclesiæ evolvi potuerunt, et de facto evolutæ sunt 530
Propositio 1ª. Semel posita divina Ecclesiæ constitutione superiùs descripta, evolvi potuit, et de facto evoluta est hierarchia graduum episcopalium 530
Propositio 2ª. Item evolvi potuit, et de facto evoluta est hierarchia graduum presbyteralium sub Episcopo. 531
Propositio 3ª. Item evolvi potuit, et de facto evoluta est hierarchia jurisdictionis 531
Propositio 4ª. Item evolvi potuit, et de facto evoluta est particularis hierarchia jurisdictionalis familiarum religiosarum. . . . 533
Propositio 5ª. Item evolvi potuit, et de facto evoluta est aliqua hierarchia dignitatis, seu meri honoris et præcedentiæ 534
Propositio 6ª. Item evolvi potuit, et de facto evoluta est aliqua subsidiaria hierarchia ordinis 535
Propositio 7ª. Item evolvi potuit hierarchia magisterii, et forsan aliquatenus de facto evoluta dici potest 536
Propositio 8ª. Omnes hierarchiæ evolutivæ, quemadmodum auctoritate Ecclesiæ, non autem divina institutione evolutæ sunt, ita per eamdem auctoritatem mutari ac supprimi possent 537
CAP. V. De magisterio seu potestate docendi. 539

Propositio 1ª. Ecclesia cum potestate docendi a Christo instituta est 539
Propositio 2ª. Magisterium seu potestas docendi in Ecclesia residens, est potestas obligandi ad fidem 542
Propositio 3ª. Magisterium seu potestas docendi, a Christo in Ecclesia sua instituta, errare nequit 543
Propositio 4ª. Ejusmodi magisterium est divinum simul et humanum 543
Propositio 5ª. Potestas docendi cum infallibilitate residet penes Romanum Pontificem; non autem residet in ullo Concilio, quatenus sine Papa aut contra Papam pronuntiante (*remissive*). 544
CAP. VI. De jurisdictione seu gubernandi potestate 544
§ 1. Differt et separari potest jurisdictionis potestas a potestate ordinis. 546
I. Certum est potestatem ordinis esse in omnibus Episcopis æqualem et summam. 547
II. Certum est episcopalem jurisdictionem restringi posse. . 548
III. Certum est potestatem ordinis, etiam episcopalis, stare posse, sine ulla jurisdictione. 555
IV. Certum est episcopalem jurisdictionem stare posse sine potestate ordinis. 558
V. Concluditur distinctas esse et separari posse ambas potestates, ordinis scilicet et jurisdictionis. 560
§ 2. Variæ jurisdictionis species. 560
§ 3. De jurisdictione ordinaria 566
§ 4. De jurisdictione delegata 569
I. Quæ jurisdictio delegata, et quomodo ab ordinaria differat. . 569
II. A quibus et quomodo possit jurisdictio delegari. 572
III. Quibusnam delegari valeat. 574
IV. Quomodo a judice delegato fiat appellatio 576
CAP. VII. De sacerdotio seu potestate ordinis (*remissive*). 577
Epilogus. — De variis in tradenda juris canonici disciplina methodis 577

FINIS INDICIS.

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DU CLERGÉ.

PRINCIPALES NOUVELLES PUBLICATIONS.

ŒUVRES CHOISIES DE Mgr DUPANLOUP,

PORTRAIT GRAVÉ SUR ACIER PAR M. MARTINET, DE L'INSTITUT.

4 beaux vol. in-8. Prix. . . . . 30 fr.

DÉFENSE DE LA LIBERTÉ DE L'ÉGLISE

PAR LE MÊME.

2 beaux vol. in-8. Prix. . . 15 fr.

M. L'ABBÉ D. BOUIX

Auteur du *Cours de droit Canon.*

La Solitaire des Rochers. Nouvelle édition, collationnée et revue soigneusement par M. l'abbé Bouix. 2 beaux vol. in-12 . . . . . 6 fr.

Histoire des vingt-six martyrs du Japon, crucifiés à Nangasaqui, le 5 février 1597, avec un aperçu historique sur les chrétiens du Japon, par l'abbé D. Bouix. 1 beau vol. in-8 . . . . . 5 fr.

LE P. MARCEL BOUIX

de la Compagnie de Jésus.

Œuvres spirituelles de saint Pierre d'Alcantara, précédées du portrait historique du saint par sainte Thérèse, par le P. Marcel Bouix, de la Compagnie de Jésus. 1 beau vol. in-8 . . . . . 6 fr.

Abrégé des méditations du vénérable P. Louis Du Pont, de la Compagnie de Jésus, par le P. d'Orléans, nouvelle édition, revue et augmentée d'une retraite, par le P. Marcel Bouix, de la Compagnie de Jésus. 2 beaux vol. in-12 . 5 fr.

La Religieuse dans la solitude, ou Retraite selon les exercices de saint Ignace, par le P. Pinamonti, revue par le P. Marcel Bouix. 1 vol. in-12. . . . 3 fr. 50

ŒUVRES DE Mgr CRUICE

Évêque de Marseille.

Études sur de neuveaux documents sur les philosophumena. 1 vol. in-8 . . . 4 fr. 50.

Histoire de l'Église de Rome, de l'an 192 à l'an 224. 1 v. in-8. 7 fr.

Quelques (de) **discussions récentes sur les origines du Christianisme.** 1 vol . 1 fr. 50

Vie de Mgr Affre, archevêque de Paris. 1 vol. in-8. . . . . 5 fr.

— Abrégé de la grande édition, 1 vol. in-12. . . . . 1 fr. 50

ŒUVRES DE M. NOEL

Vicaire général.

Explication du catéchisme de Rodez. 6 vol. in-12. . . 24 fr.

Explication des cérémonies de la Messe. 2 vol. in-12. 8 fr.

Instructions sur la liturgie. 5 vol. in-12 . . . . . 20 fr.

ŒUVRES DE M. L'ABBÉ HERBERT

Direction pour la conscience d'une jeune personne pendant son éducation. 1 vol. in-12. 3 fr.

Direction pour la conscience d'une jeune personne à son entrée dans le monde. 1 vol. 3 fr.

Direction pour la conscience d'un jeune homme pendant son éducation. 1 vol. in-12 . 2 fr.

Imitation de Jésus-Christ, expliquée verset par verset. 2 vol. in-12 . . . . . 6 fr.

— LE MÊME OUVRAGE avec gravures. 2 vol. in-8 . . . . . 12 fr.

Nouveau mois de Marie. 1 vol. in-18. . . . . 1 fr. 50

Sainte Table (la) 1 vol. in-12. 2 fr.

Trois jours d'adoration devant le Saint-Sacrement. 1 vol. in-18 . . . . . 80 c.

ŒUVRES DU Dr BÉLOUINO.

Femme (la) 1 vol. in-8 . . 5 fr.

Histoire des persécutions de l'Eglise. 10 vol. in-8 . . 50 fr.

Oraison (l') **dominicale.** 1 vol. in-32 . . . . . 50 c.

Passions (les). 2 vol. in-8. 10 fr.

ŒUVRES DU R. P. RAMIERE

DE LA COMPAGNIE DE JÉSUS.

L'ABANDON A LA DIVINE PROVIDENCE

Nouvelle édition, 1 vol. in-18. . . 60 c.

L'APOSTOLAT DE LA PRIÈRE

Par le P. Ramière, de la Compagnie de Jésus. 1 vol. in-12 . . . 2 fr. »
Le même, in-18. . . . . 1 fr. 25

L'ÉGLISE ET LA CIVILISATION MODERNE

Par le P. Ramière, de la Compagnie de Jésus. 1 vol. in-8°. 4 fr.

LES ESPÉRANCES DE L'ÉGLISE

Par le P. Ramière, de la Compagnie de Jésus. Un beau vol. de 800 pages. 5 fr.

LE MESSAGER DU SACRÉ-CŒUR

Bulletin mensuel de l'Apostolat de la prière, paraissant tous les mois du 15 au 30. Prix de l'abonnement. 3 fr.

PETIT MANUEL DE L'APOSTOLAT

Par le P. Ramière. 1 vol. in-18. . . . . 20 c.

LE ROSAIRE DE L'APOSTOLAT

Par le P. Ramière. 1 vol. in-18. . 10 c.

L'UNITÉ DANS L'ENSEIGNEMENT DE LA PHILOSOPHIE

AU SEIN DES ÉCOLES CATHOLIQUES,

Par le P. Ramière, de la Compagnie de Jésus. 1 vol. in-8°. . . . . 2 fr.

ŒUVRES DU P. HUGUET.

LA DÉVOTION A MARIE EN EXEMPLES

Ou Excellence des prières et des pratiques en l'honneur de la Très-Ste Vierge, Par le R. P. Huguet, 2e édition, 2 beaux vol. in-12, de 500 pages chacun. 3e édition. 6 fr.

DÉVOTION A L'EUCHARISTIE EN EXEMPLES

Démontrée par des miracles authentiques et des traits appartenant à l'histoire contemporaine, par le R. P. Huguet. 1 vol. in-12. 2e édition. 3fr.

DEVOTION AU SACRÉ-COEUR EN EXEMPLES

Par le même. 1 vol. in-12. 1 fr. 50.

LA DÉVOTION AUX SEPT DIMANCHES

1 vol. in-18. 15 c. — Par cent 12 fr.

IMPORTANCE DE LA PREMIÈRE COMMUNION

Démontrée par des exemples, approuvée par Mgr l'évêque de Moulins, par le R. P. Huguet. 1 vol. in-12, 2e édition. 1 fr. 50.

LE MALHEUR D'UNE PREMIÈRE COMMUNION SACRILÉGE

In-18. 15 c. — Par cent. 12 fr.

MOIS de MARIE IMMACULÉE de S. FRANÇOIS de SALES

Par le R. P. Huguet, mariste. 1 vol. in-18, magnifique édition. 1 fr. 50.

MOIS DU SACRÉ-CŒUR

Par le R. P. Huguet. Nouvelle édition. 1 vol. in-18. . . 1 fr. 50

POUVOIR DE SAINT JOSEPH

Approuvé par S. E. le cardinal de Bonald, archevêque de Lyon, et Mgr l'archevêque de Milan. 1 beau vol. in-18. 2e édition, 1 fr. 50.

LE TRÉSOR HISTORIQUE DES ENFANTS DE MARIE.

Par le R. P. Huguet. 2 vol. in-12. 6 fr.

LE R. P. DE RAVIGNAN

Sa Vie, ses Œuvres,

Par M. Poujoulat. Nouvelle édition. 1 beau vol. in-12. 3 fr. 50.

LA VÉRITÉ DE L'ÉVANGILE

Par M. F. Nettement. 1 beau vol. in-8 . . . . . 5 fr.

ÉVANGILE MÉDITÉ ET EXPLIQUÉ

POUR CHAQUE JOUR DE L'ANNÉE.

Par l'abbé Duquesne. 4 vol. in-12. . . . . 7 fr.

DIVINITÉ DE L'ÉGLISE CATHOLIQUE

Manifestée par sa charité

Par le Cardinal Baluffi, traduit par M. l'abbé Postel. 2 vol. in-12. 5 fr.

DE LA CONNAISSANCE ET DE L'AMOUR DE N. S. J.-C.

Par le P. Saint-Jure, de la Compagnie de Jésus. 3 vol. in-8°. 10 fr. 50

GUIDE (LE) DE CEUX QUI ANNONCENT LA PAROLE DE DIEU,

Contenant la doctrine de saint François de Sales, celle de la Société de Jésus, de Benoit XIV, etc., par M. l'abbé de Baudry, ancien Directeur du séminaire de Lyon. 1 vol. in-12. . . . . 5 fr.

INSTRUCTIONS FAMILIÈRES

Prêchées à Milan, par Ange Raineri. 4 vol. in-8. . . . 18 fr.

SOUFFRANCES DE N. S. J.-C.

Par le R. P. Alleaume, de la Compagnie de Jésus. 2 vol. in-12. 2 fr. 80

ŒUVRES MUSICALES DU R. P. HERMANN

Amour à Jésus-Christ. Recueil de 40 cantiques à la divine Eucharistie, avec accompagnement d'orgue ou de piano. 1 vol. grand in-8. . . . . 13 fr.
— LES PAROLES SEULES. 1 vol. in-18. . . . . 80 c.
Les fleurs du Carmel. Recueil de nouveaux cantiques, avec accompagnement d'orgue ou de piano. 1 vol. grand in-8. . . . . 12 fr.
Gloire à Marie. Recueil de nouveaux cantiques, dédié à son Immaculée Conception, avec accompagnement d'orgue ou de piano. 1 vol. grand in-8. . . . . 10 fr.
— LES PAROLES SEULES. 1 vol. in-18. . . . . 80 c.
Le couronnement de la Madone, et la Vierge aurore du salut. Chants à Marie pour toutes les fêtes et solennités en l'honneur de la sainte Vierge. 1 vol. in-8. . . 3 fr.

La Lyre angélique, ou Recueils de cantiques nouveaux, avec accompagnement d'orgue ou de piano, par Bousquet. 1 vol. grand in-8. . . . . 12 fr.

MOIS DE MARS COMPLET

Un volume in-18. . . . . 1 fr. 50

MOIS DU SACRÉ-CŒUR DES AMES INTÉRIEURES,

Par le P. HUGUET. 3e édition. 1 vol. in-18. . . . . 1 fr. 50.

MOIS DE MARIE

Mois (nouveau) **des enfants de Marie** a. m. D. g. 1 vol. in-18 60 c.
Mois de Marie de Notre-Dame des Victoires, ou Méditations sur les grandeurs de la sainte Vierge par M. l'abbé Dufriche-Desgenettes, curé de Notre-Dame des Victoires. 1 vol. in-18. . . . . 1 fr. 50
Mois de Marie des saints Pères, par l'auteur de l'*Imitation de saint Liguori*. 1 beau et gros vol. in-18 bien imprimé. . . 1 fr. 50
Mois de Marie par Mme Tarbé des Sablons. 1 vol. in-18. . . 1 fr. 25
Mois de Marie immaculée de saint François de Sales, ou Méditations pour le mois de Mai et les fêtes de la sainte Vierge, par le R. P. Huguet, mariste, 5e édition 1 vol. in-18. . . . . 1 fr. 50
Mois de Marie (nouveau) par M. l'abbé Herbet, auteur de l'*Imitation expliquée*. 1 vol. in-18 1 fr. 50
Mois de Marie, par un prêtre de Saint-Sulpice. 1 vol. in-18. 1 fr.
Mois de Marie ou Rosaire médité par l'abbé Sagette. 1 vol. in-18. . 1 fr. 50
Marie, Mère admirable, par Hubert Lebon, 1 vol. in-18. 80 c.
Trente petites lectures en l'honneur de la sainte Vierge Grand in-32. . . . . 40 c.
Les fêtes de la sainte Vierge par l'abbé Georges. 1 v. in-18. 1 f. 20
Vie de la très-sainte Vierge, par le docteur chanoine Hirscher, nouvelle traduction par M. l'abbé Reinhard, du diocèse de Strasbourg. 2 vol. in-12. . . . . 2 fr.

COLLECTION DE LIVRES ASCÉTIQUES

FORMANT 21 VOL. IN-12 A 1 f. LE VOL.

Vie de sainte Angèle de Foligno, par le frère Arm and. 1 vol.
Vie du P. Balthazar Alvarez, de la Compagnie de Jésus, par le P. Louis Dupont, de la même Compagnie. 2 vol.
Vie de sainte Catherine de Bologne, par le R. P. Crasset, de la Compagnie de Jésus. 1 vol.
Vie de Catherine de Gênes, 1 v.
Vie de sainte Françoise Romaine. 2 vol.
Vie de la bienheureuse Colombe de Rieti, par le P. Sébastien de Pérouse. 1 vol.
Vie de saint Joseph. 1 vol.
Vie de la bienheureuse Lidwine par le R. P. Jésus Bruchman. 1 vol.
Vie de sainte Marie-Magdeleine de Pazzi, par le P. Cépari de la Compagnie de Jésus. 2 vol.
Vie de saint Philippe de Néri 1 vol.
Vie de sainte Rose de Lima, par le P. Léonard Hanson. 1 vol.
Vie spirituelle de la bienheureuse Baptiste Varani. 1 vol.
Vie de sainte Véronique Giugliani, par Philippe Marie Salvatori. 1 vol.
Aridités dans l'Oraison (des), par le P. Lancicius, de la Compagnie de Jésus. 1 vol.
Art de traiter avec Dieu (l'), du P. Rojacci. 1 vol.
Saints Anges (les). 2 vol.
Tableau de la théologie ascétique. 1 vol.

pils juris
9428

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO — 5, CANADA
9428